9
12-c
5

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
9
7 HA
4

Ex Bibliotheca
Majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

2.401
60 . 60
F E
105
12 . c . 5

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE



Patauÿ Typis Seminarÿ

ROMANORUM PONTIFICUM

BREVIS NOTITIA

Ritus Eccleſiaſticos a ſingulis inſtitutos præcipue declarans.

ACCEDIT

ONOMASTICON

Vocum obſcuriorum quæ in Miſſali, Breviario, Martyrologio Romano, & hac Notitia continentur.

AUCTORE
GUILIELMO BURIO
Bruxellenſi, Eccleſ. Metrop. Mechlin. Canonico Zellarienſi.

PATAVII, MDCCXXIV.
Ex Typographia Seminarii.
Apud Joannem Manfrè.
Superiorum Permiſſu, & Privilegio.

Biblioth. Secr. Coll. Rom. Soc. Jesu

Digitized by Google

Illuſtr.mo ac Rever.mo D.

AUGUSTINO

EPISCOPO SPIGACENSI

PRÆLATO DOMESTICO,
& ASSISTENTI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Hieronymus de Blanchis
F.

QUi a Te profectus, Te auctore atque impulſore lucem primum in his regionibus videt, ad Te

redire geſtit, Vir Illuſtriſſime ac Reverendiſſime, Tibique inſcribi jure quodam ſuo poſtulat Libellus iſte; in quo omnium Romanorum Pontificum Series, geſta præcipua, & quæ ad Eccleſiaſticos ritus pertinent, brevi narratione comprehenſa continentur. Neque hac una de cauſſa ad te adfectat iter; verum, quod cum dignitate, tum virtute, & Catholicæ fidei dilatandæ ſtudio ad probatiſſimos quoſque ex iſtis accedas multo maxime. Tuis enim laboribus plane Apoſtolicis effeciſti, ut Romanæ Sedis & Religionis ſplendor ibi quoque affulgeret, ubi denſiſſimæ cujuſdam noctis tenebræ a multis retro annis ſe ſe offuderant. Siquidem Regibus, ac Principibus ſummis apprime carus,

rus,

rus, cum apud eos Religionis rationes & negotia procurares, id egiſti conſilio, prudentia, auctoritate, ut ipſa in Sede, ut ita dicam Lutheranæ Sectæ Templum magnificentiſſimum exſtrueretur, quod Sacris Myſteriis Romano ritu publice peragendis a Te dedicatum inſerviret. Quod Tu ipſe ſæpenumero feciſti tanta cum celebritate & admiratione omnium, ut Catholica in Civitate verſari videreris. Fruere iſto tam præclaro excellentis virtutis Tuæ fructu (quæ utinam altiore loco poſita aliquando conſpiciatur) & publicam hanc meæ in Te voluntatis & obſervantiæ ſignificationem æqui bonique conſule.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

PRolixam Romanorum Pontificum Hiſtoriam non exhibeo, Benevole Lector, ſed brevem tantummodo ſingulorum Notitiam; quid potiſſimum in Eccleſia ab illis inſtitutum; quid actum præcipue fuerit, unde ſacrorum Rituum antiquitas colligi facile poterit. Ducentos & quinquagintaquinque uſque ad præſentem Pontificem Optimum Maximum Benedictum XIII. numero. Non ignoro propter Joannes, Felices, Stephanos, Bonifacios, Benedictos, Martinos, & Silveſtros, de quibus quot fuerint controvertitur, in ſupputatione aliquod eſſe diſcrimen. Notitia tamen hæc, & præſertim Elenchi Sectio vi-

gesi-

geſima quinta, controverſiam hanc, ſi plane non dirimit, breviter ſaltem declarat. De Notæ non ita bonæ Pontificibus quid dicam? ſcio quacumque ratione operienda eſſe a filiis verenda Patrum. Sed quid tum poſtea? ſi Hiſtoriæ Pontificiæ Scriptores etiam Orthodoxi, quæ ego pro inſtituto paucis expono, ea pluribus paſſim narrant? Nam nihil de Heterodoxis dico, qui nullos fere præter trium priorum ſæculorum Pontifices uſque ad Silveſtrum pro legitimis agnoſcunt. Verum gratiæ Deo habendæ, quod in tanto hactenus Pontificum numero pauci admodum moribus non omni ex parte incorruptis extiterint, cum vel inter duodecim a Chriſto electos Apoſtolos, & inter ſeptem cooptatos ab Apoſtolis Diaconos ſua peſtis fuerit. Quare inter tot a Deo

per homines creatos Pontifices decem aut duodecim non omnino probatæ virtutis inveniri, non eſt magnopere admirandum. Laborant & ipſi vitio infirmitatis ingenitæ, ac peccatis ut ceteri hominum obnoxii ſunt. Pontifices Summi, & Sanctiſſimi dicti, non propter mores ſemper ſanctos, ſed propter Eccleſiam ipſam, cui præſident, Sanctam, & munus, quod in ea exercent, ſanctiſſimum. Licet vero Deus Sedem Apoſtolicam ita ſemper conſervaverit, ut ab Arianis, Donatiſtis, Pelagianis, & ſimilibus monſtris occupata nunquam fuerit; Deo tamen non placuit, Domnos Apoſtolicos omnes vitiis omnibus eximere: ut intelligamus Religionem Chriſtianam non in hominum perfectione, ſed in Dei verbo, & Eccleſiæ Fide fun-

datam fuiſſe. Animadvertendum propterea eſt, tempore prope medio inter hoc noſtrum & Chriſtianitatis primordium, circa Sæculum nempe Nonum, eos ferme extitiſſe, qui a priorum pietate Pontificum, non a doctrina ſana deſcivere; Deum tamen Eccleſiam ſuã nunquam deſeruiſſe, Principibus Chriſtianis ſanctitate conſpicuis (uti recte advertit Baronius) eam vel tum maxime fulciendo: ita ut quod in uno defuit, in alio Providentia Divina ſuppleverit. Et hæc quidem de Notæ non ita bonæ Pontificibus. De humili autem loco natis, ac de juvenibus ad Pontificiam Dignitatem evectis, uti de paucis minus literatis, ac illegitimo toro procreatis, omnia pro ſingulorum notitia paucis indicantur. Ordinis Auguſtiniani, & Benedictini Pon-

tifices exacte cognoſcere non potui; quia inter ipſos adhuc controvertitur ex utro Ordine qui fuerint: ſed numerum, quem ipſi fere tenent, appoſui, eoſque de quibus eſt controverſia, utriſque aſcripſi: quod nimirum aliqui ex uno in alterum Ordinem ſubinde tranſierint. De poſteriorum Ordinum Regularium Pontificibus, ex illorum Annalibus clariora haberi poſſunt Pſeudopontifices & Schiſmaticos libere omnes profero; qui, quod Chriſti Tunicam, id eſt Eccleſiam, diſtraxerint ac fœdaverint, non tam notitia quam nora mala digni ſunt. Prophetiam de Summis Pontificibus ab anno Chriſti 1143. ad finem uſque mundi futuris, ſancti Malachiæ, non veteris Teſtamenti Prophetæ, ſed Ordinis Ciſtercienſis, & Armacani in Hiber-

nia Archiepiſcopi, huic Notitiæ non inſero. Nam prædictionibus iſtis nulla habenda fides eſt, tum quod etiam ad Pſeudopontifices detorqueri ſoleant, tum quod ea, quæ ad legitimos Romanæ Eccleſiæ Antiſtites pertinent, vaticinia tam longe petenda ſint, ut non niſi inepte & per vim illis poſſint accommodari. Quis vero tam excors eſt, qui non videat, hariolationem iſtam penitus labefactari ac funditus everti teſtimonio illo, atque adeo oraculo Chriſti Domini apud S. Marcum 13.32. apertiſſime aſſerentis, *De die autem illo*, hoc eſt mundi fine, & extremo judicii die, *nemo ſcit?* Etenim poſt accommodatám Pontifici, qui nunc in Petri Cathedra ſedet, prænotionem, quæ ad ipſum ſpectat, eſt autem *Miles in Bello*, adhuc reſtarent 20 futuri Pontifices,

quorum ultimo regnante prædicitur fore, ut *Civitas ſepticollis diruatur*, *& Judex tremendus judicet populum ſuū*. Itaque cum experientia conſtet, nullum adhuc ex tot legitimis Pontificibus, qui Romanam Eccleſiam adminiſtrarunt, ad annos Petri perveniſſe, fidenter aſſerere licet, nec ullum ex paucis illis, qui reliqui ſunt, per totidem annos eſſe regnaturum. Ex quo fit, ut ſi non certa & explorata ratione, ſaltem probabili admodum, nec a ſcopo multum aberrante conjectura ſummus ille dies prægnoſci poſſit, quo Chriſtus Dominus de univerſo hominum genere eſt judicaturus. Habeant ſibi per me licet hæc omnia, & id genus alia, qui fabulis & inanibus rebus delectantur; ego quidem certe tamquam commentitia, Sanctoque Malachiæ ſuppoſita procul

aman-

amandanda cenſeo. Poſteà legitimos omnes huc uſque Pontifices verſibus Technicis 157. concludo: quod & Nicolaus quidam Miniacutius Canonicus Regularis Lateranenſis uſque ad Alexandrum III. Pontificem 177. abhinc annis quingentis conatus fuit; unde verſus pauculos accepiſſe me non inficior: ſed conferantur ipſius cum hiſce, & differentia apparebit. Nam præterquam quod omnes, quantum nomina propria permittunt, ſuis metris conſtant, & paſſim Leonini ſive Rhythmici ſunt; uniuſcujuſque Pontificis non tantum nomen, ſed etiam numerus nominis verſibus his intexitur, ſuperaddito ſingulis ordine ſucceſſionis, & ad latus anno Chriſti, unde facili negotio quo ſæculo, & quotus quiſque ſederit, colligi poterit. Præterea ſingulorum nationem,

ac tempus ſeſſionis, non exactum illud ſemper menſium & dierum (nam de eo inter Scriptores non convenit) ſed annorum quos propius attigerunt aſcripſi, ut cum triginta Elenchi ſectionibus omnia melius conveniant; quarum titulos hic breviter ſubjicio: Prima Sectione referuntur *Pontifices ab Eccleſia pro Sanctis habiti*. 2. *Decem primæ Eccleſiæ perſecutiones quos Pontifices ſuſtulerint*. 3. *Viginti Concilia Generalia ſub quibus Pontificibus habita*. 4. *Ex Religioſis Ordinibus ad ſummum Pontificatum aſſumpti*. 5. *Qui & quot variarum Nationum Pontifices*. 6. *Optimæ præ reliquis notæ*. 7. *Inviti & renitentes electi*. 8. *Qui Conſanguineos non reſpexerunt*. 9. *Nobiliori proſapia orti*. 10. *Tenui parentela nati*. 11. *Notæ non ita bonæ*. 12. *Minus literati*. 13. *Juvenes ad Pontificatum aſſumpti*. 14. *Pontifices aliquot*

die-

dierum. 15. *Aliquot menſium*. 16. *Eo Pontificatus anno mortui, quem nomine præferebant*. 17. *Papatus præ reliquis diuturnus*. 18. *Pontifices qui Imperatores coronarunt*. 19. *A quibus primum Sancti canonizati*. 20. *Annum Jubilæum quinam hactenus celebrarint*. 21. *Avenione in Gallia reſidentes*. 22. *Pſeudo-pontifices*. 23. *Diuturnę Sedis Apoſtolicæ vacationes*. 24. *Pontifices non ex Cardinalibus electi*. 25. *Differentia in numero & nomine Pontificum*. 26. *Qui primum nomen mutarint*. 27. *Ante Papatum legitime uxorati*. 28. *Pontificum Nepotes ad Pontificatum aſſumpti*. 29. *Muſici, Medici, Spurii, & Fratres ſibi in Pontificatu ſuccedentes*. 30. *Omnes hactenus Romani Pontifices 157. verſibus Technicis deſcripti*. Tandem habes Onomaſticum, quo voces Eccleſiaſticæ obſcuriores clare & dilucidę explicantur.

Non

Non enim videbatur opuſculum ſufficiens, ut libro ſeparato ederetur: emendatum forſan & auctum tempore creſcet. Nonnulla hic, fateor, pluribus nota erunt, at non item hujuſce eruditionis expertibus: neque eo conſilio proferuntur, ut paſſim obſerventur, & ab uſu quotidiano recedatur (quot enim Eccleſiæ hodie utuntur ipſo Breviario juſſu Urbani Octavi, magno & longo labore diligenter accurateque correcto?) ſed ut per Etymologiam res ipſæ clarius innoteſcant. Etenim expedit, ut unuſquiſque artis ſuæ vocabula non ignoret. Nam pudor eſt literatos interdum Laicos melius intelligere voces Ritus Eccleſiaſticos ſignificantes, quã ipſos Clericos, qui eas quotidie uſurpant. Pluribus te non moror, Benigne Lector, niſi ut animo benevolo,

qualia-

qualiacumque ſint, hæc accipias, & conſideres illud Apoſtoli effatum 1. ad Cor. 12. *Alii datur per Spiritum ſermo ſapientiæ, alii ſermo ſcientiæ, alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum*; quod poſtremum ſi mihi conceſſum fuerit, licet alia non acceperim, me voti compotem factum, exiſtimabo.

JESUS CHRISTUS PONTIFEX OMNIUM QUI FUERUNT, SUNT, ET ERUNT, MAXIMUS.

ad Heb. 7. QUI EO, QUOD MANEAT IN ÆTERNUM, SEMPITERNUM HABET SACERDOTIUM; cum Eccleſiam ſuam conſtituere, & Vicariam ſummi ſui Sacerdotii poteſtatem in unum aliquem, & eos omnes, qui legitima ſucceſſione ſequerentur, transferre vellet, Simonē Petrum præ reliquis ſuis Apoſtolis elegit, cui non ſine myſterio Nomen novum indidit, dicens Joannis 1. *Tu*

es

es Simon filius Jonæ, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. Unde fortaſſe conſuetudo ortum trahit, longo tamen poſt tempore obſervari cœpta, ut ad ſummum Pontificatum evecti proprium nomen in aliud mutare ſoleant, ut ſimul cum nomine priſtinos mores exuiſſe cenſeantur. Fuit autem Pontificatus a Chriſto, antequam mortem pateretur, Petro hiſce verbis Matthæi 16. promiſſus: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meã, & tibi dabo claves Regni Cœlorum*: poſt Paſſionem tamen dumtaxat collatus; quod ut ait Divus Thomas in Matthæum, *Claves iſtæ nondum eſſent fabrefactæ, & Chriſti ſanguine intinctæ ac temperatæ, cum quo pariter virtus ac efficacia Sacramentorum, & Clavium poteſtas effluxit*: quam Chriſtus Petro

con-

conferre volens, eum ſingillatim hiſce verbis Joannis 21. ſemel, iterum, ac tertio interrogat: *Simon Joannes diligis me plus his?* cumque reſpondiſſet toties Petrus: *Etiam Domine tu ſcis, quia amo te:* tum Chriſtus totidem vicibus ſubjunxit: *Paſce Agnos meos.* Ter hoc modo examinatus Petrus, juſſionem triplicem accepit, doctrinæ verbo, vitæ exemplo, ac ſubſidio temporali, oves ſibi creditas procurandi. Inſuper trinam illam de dilectione Petri interrogationem ideo a Chriſto factam fuiſſe ait ſanctus Auguſtinus, ut *redderetur negationi trinæ triplex Confeſſio, ne minus amori lingua ſerviat quam timori, & plus vocis elicuiſſe videatur mors imminens, quam vita præſens; eſſetque amoris officium paſcere Dominicum Gregem, ſi fuit timoris indicium negare Paſtorem.* Chri-

Tract. 123. in Joan. in med.

ſtus

ſtus itaque cum vixiſſet in terris annos triginta tres, & tres menſes, ac poſt Reſurrectionem ſuam per dies quadraginta vivum ſe Viris, Fœminis, Diſcipulis, Apoſtolis, ac pluſquam quingentis Fratribus exhibuiſſet; feria quinta, Jovis dicta, quarta decima Maii (cum ſimili ante ſex ſeptimanas die, Cæna Legali quoad eſum Agni Paſchalis celebrata, Corporis & Sanguinis ſui Sacramentum inſtituiſſet, ac duodecim ſuos Apoſtolos Sacerdotes conſecraſſet) præſentibus & intuentibus undecim, e vertice Montis Olivarum, ſex ab Hieroſolyma ſtadiis diſtante, in cœlum aſcendit, oculiſque omnium ſe ſubtraxit, relinquens Petrum ſuum in terris Vicarium, non ſucceſſorem; nam Chriſto ſuccedere nemo poteſt. Succeſſor enim tunc datur, quando alius

Petrus Chriſti Vicarius, nō Succeſſor.

ab

ab officio amovetur, & deſinit Magiſtratum gerere, alio in ejus locum ſuffecto: Chriſtus autem manet Pontifex in ęternum. Neque e contrario ullus Romanus Pontifex Petri Vicarius, ſed Succeſſor dicendus. Ipſe enim munus Pontificium, non nomine Petri, ſed Chriſti miniſtrat, licet Petro ſuccedat: & auctoritatem, qua utitur, ac poteſtatem, quam habet ligandi atque ſolvendi, a Chriſto habet non a Petro. Petrus ſiquidem ut a vita, ſic a Pontificatu diſceſſit. Qui Petro ſuccedit, Vicarius Chriſti eſt; qui vivit Pontifex in æternum. Igitur Romanos Pontifices, non Succeſſores, ſed Vicarios Chriſti; at Petri non Vicarios, ſed Succeſſores dicemus, niſi nominum, & rerum ſignificatione abuti volumus.

Romanus Pontifex, Petri Succeſſor, non Vicarius.

ROMANORUM PONTIFICUM BREVIS NOTITIA.

SANCTUS PETRUS Christi Vicariatum ab ipſo Domino acceptum tenuit ab anno Chriſtiano quarto & trigeſimo uſque ad ſeptuageſimum; quod eſt ſpatium ſex & triginta annorum: nimirum Hieroſolymæ annis 5. Antiochiæ 7. Romæ 24. menſibus 5. diebus 10. Petrum inſtituiſſe tempus Adventus Chriſti, per tres hebdomadas integras, & unam non integram annue obſervandum, affirmat G. Durand. in Rationali Divin. Offic. lib. 6. cap. 2. Quadrageſimam ab eodem inſtitutam fuiſſe, ex Radulpho probat B. Gavantus in Rubricis de Quadrag. quod Paſcha ſemper celebretur in die Solis, jam Dominica dicta, ex auctoritate D. Petri eſſe narrat C. Baronius ad annum Chriſti 58. n. 82. in prima Miſſa ante omnes Apoſtolos feſto Pentecoſtes ab ipſo celebrata, poſt Conſecrationem

Anno Christi 34.

Adventus.

Quadrageſima.

Paſcha die Dominica.

 dixit

Pater noſter in Miſſa. dixit Orationem Dominicam, ſive *Pater noſter*; quod & Apoſtoli deinde uſurparunt: neque Miſſa, teſte Gregorio lib. 7. Epiſt. 63. aliis partibus primum conſtabat, quam Conſecratione, Oratione Dominica, & Communione; quæ Oratio cæteris etiam omiſſis, uti in die Paraſceves, nunquam prætermittitur. *Conſecrationis formæ vox* enim. Conſecrationis Euchariſticæ formæ a Chriſto editæ vocem illam *enim* a Petro inſertam fuiſſe ait S. Thomas 3. p. qu. 78. art. 2. ad 5. Fuit Petrus origine Syrus, natus Bethſaidæ Galilææ civitate; vico, habet Breviarium Romanum Feſto S. Andreæ. Simeon Metaphraſtes ait, Bethſaidam fuiſſe parvam & ignobilem Capharnaitani agri civitatem, ſitam ad littus magni lacus Geneſareth, ſive Maris Tiberiadis. Petri annos fere vigintiquinque, quibus Romæ rexit Eccleſiam, nemo Pontificum Romanorum hactenus vidit. Nomen Petrus eſt a Græco, ἡ Πέτρα, Latine Saxum, Syriace Cephas; quod, ut ait Euangelium, interpretatur Petrus, ſuper quam Petram Chriſtus ædificavit Eccleſiam ſuam.

2. LINUS, primus poſt Petrum (uti Breviarium Ro-

Romanum 23. Septemb.) gubernavit Eccleſiam: cujus tanta fides & ſanctitas fuit, ut non ſolum demones ejiceret, ſed etiam mortuos ad vitam revocaret. Sancivit ne qua mulier niſi velato capite Eccleſiam introiret: ſcripſit res geſtas B. Petri, & ea maxima quæ ab illo acta ſunt contra Simonem Magum; item de Petri & Pauli Agone libros duos. Illum Princeps Apoſtolorum, dum univerſalis Eccleſiæ ſollicitudine, ab Urbe in diverſas Chriſtiani Orbis Provincias evocaretur, ordinavit Coepiſcopum, ſive Coadjutorem ſuum una cum Cleto: & Linus quidem intra Urbem, Cletus autem extra, in ſuburbiis vicariam gerebant poteſtatem: & quamvis Petrus Clementem in Apoſtolica Cathedra ſucceſſorem paulo ante mortem deſignaſset, Clemens tamen modeſtia uſus juri ſuo ceſſit, & Linus Pontifex Romanus electus fuit, ac dein Cletus: Clemens itaque fuit ſecundus Petri deſignatione, non Eccleſiæ nominatione aut electione, quæ Lino, ac deinde Cleto tributa fuit; idque non ſine Divino conſilio, ne in poſterorum exemplum tranſiret ſucceſsores ſibi in Pontificatu eligere, & liber-

Mulieres in Eccleſia velato capite.

Succeſſores in Pontificatu non eligendi.

tas Eccleſiæ in conſtituendo Paſtore iſto modo adempta foret; vide paulo poſt in Clemente. In antiquis Vaticani Pontificum Imaginibus primus depictus eſt Linus Pallio amictus; unde eum Pallii Pontificalis inſtitutorem multi tenent: fuit ipſe Italus, Volaterris in Etruria natus, tranſegit in Pontificatu annum undecimum. Nomen Linus a Græco eſt τὸ λίνον, linum; quod ſignificat etiam filum cui affigitur hamus piſcatorius, Flandrice *de leyn*, imo ipſum rete, quod ex lineis filis contextum eſt: idque non ſine myſterio; nam Apoſtoli, eorumque ſucceſsores Pontifices ac Sacerdotes Dei, ſunt piſcatores hominum.

Pallium Pontific.

3. CLETUS, ſecundus poſt Apoſtolum Petrum (uti Martyrologium Romanum 22. Aprilis) rexit Eccleſiam; ad eam regendam nomine & re Cletus, quod eſt vocatus; is ex præcepto Principis Apoſtolorum in Urbe viginti quinque Presbyteros ordinavit. Sacerdotes initio Eccleſiæ non dicebantur, ſed Presbyteri, ideſt Seniores, non propter decrepitam ætatem, ſed ob ſcientiam & ſanctitatem, quæ in ſenioribus

ribus plus requiritur, & eſſe ſupponitur, juxta illud Sapientiæ 4. *Senectus venerabilis eſt non diuturna, neque annorum numero computata; cani enim ſunt ſenſus hominum, & ætas ſenectutis vita immaculata*. Quænam ætas ad Presbyteratum requireretur; vide poſt in Fabiano. Et Chriſtianorum Myſtæ, non Sacerdotes ſed Presbyteri eo dicti ſunt, quod inter Judæos eſſent Sacerdotes & Principes Sacerdotum; & inter Gentiles, fœminæ Sacerdotes dicerentur, uti apud Virgil. lib. 6. Æneid. Sibylla Cumana vocatur *Longæva Sacerdos*: & ad illam Deiphobus: *ne ſævi magna Sacerdos*: ac S. Ambroſius de Virginitate l. 1. Veſtales Virgines, Palladis Sacerdotes appellat. Similiter loco Templorum dictæ ſunt Eccleſiæ, id eſt cætus ſive conventus; unde in actis S. Silveſtri dicitur: *Templa claudantur, & Eccleſiæ pateant*. ut paulatim obſervationes Judaicæ & Gentilium ſuperſtitiones evaneſcerent. Primus in litteris uſus eſt verbis illis: *Salutem & Apoſtolicam Benedictionem*, qua etiamnum ſalutationis formula utuntur ſummi Pontifices. Presbyteri tanquam Angeli ſalutant populum dicendo: *Dominus vobiſcum*,

Non Sacerdotes, ſed Presbyteri primum dicti.

Non Templa ſed Eccleſiæ.

Salutationis formula, Papæ, Epiſcopi, Presbyteri.

qua formula Gabriel Angelus uſus eſt ad Mariam Virginem : & Angelus ad Gedeonem dicens : *Dominus tecum*. Epiſcopi tanquam Apoſtolorum ſucceſſores dicunt: *Pax vobis*, quod Apoſtoli a Chriſto Domino acceperunt. Summus Pontifex dictus *Domnus Apoſtolicus*, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem precatur. Fuit Cletus Romanus; vixit in Pontificatu annos 12. menſes 7. Nomen Cletus Græcum eſt, Latine vocatus, uti Anacletus revocatus, & Paracletus advocatus a τὸ καλέω, id eſt, voco, unde & kalendæ.

4. CLEMENS ex genere Imperatorum Romæ ſummo loco natus, Philoſophus præclarus; deinde Chriſtianus Theologus eximius : multa ſcripſit accurate & ſalutariter, quibus Chriſtianam Religionem illuſtravit, ut ipſius Opera in folio edita teſtantur. Septem Urbis regiones diviſit ſeptem Notariis, ſingulas ſingulis attribuens, qui paſſiones Martyrum & res ab eis geſtas diligentiſſime litteris mandarent; quorum umbram Romanæ Eccleſiæ Protonotarii, præſertim qui *Participantes* vocantur, adhuc retinent.

Protonotarii Apoſtolici.

Participantes.

Paramenta Sacerdotalia.

Ve-

Veſtes Sacerdotales ad Miſſam ordinavit; voluit lavari Corporalia in proprio vaſe: dicitur auctor Canonis Miſſæ, item Benedictionis frugum. Voluit quod Baptizatus, prout citius poterit, confirmetur. Martyrium ipſius exacte deſcribitur in Brev. Roman. 23. Nov. de ipſo

Corporalium lotio.

Canon Miſſæ.

Benedictio frugum.

Baptizati confirmatio

Diſceptat mundus, ſit quartus;
ſitne ſecundus:

nam invaluit apud aliquos opinio, Linum & Cletum nequaquam poſt Petri obitum ſuffectos fuiſſe, ſed tantum viventis adhuc, dum univerſalis Eccleſiæ ſolicitudine ſæpe in diverſas Provincias evocaretur, coadjutores fuiſſe: & quidem Petrus paulo ante obitum Clementem Romanum Pontificem, & Succeſſorem ſuum deſignaverat; verum Petro e vivis ſublato, ceſſit humiliter ipſe nomine & re Clemens (quod eſt mitis & lenis, qui remittit de eo quod poſſit proſequi) atque ſubire munus & onus illud recuſavit; idque non ſine divino conſilio, ne ſuprema Eccleſiæ dignitas, poteſtas hereditaria fieret, & arbitrio unius, non totius multitudinis electione, adminiſtranda crederetur: proinde Lino & Cleto, qui Petri coad-

Clemens non ſecundus ſed quart. Papa.

jutores fuerant, prælatis, quartus ipſe Pontificatum iniit. & vero certa Apoſtolicæ Sedis tempora eis tribuenda eſſe docet ipſius Eccleſiæ auctoritas ex Breviar. & Martyrol. Romano ſupra de utroque allata: tum etiam ſacer Miſſæ Canon, in quo Linus & Cletus, ſecundum antiqua diphtycha, poſt Apoſtolos primi recenſentur, ſequente eos Clemente: qui antiquus Apoſtolorum Petri & Pauli diſcipulus, poſt Linum & Cletum, Romanus Pontifex ab anno Chriſti 93. uſque ad 23. Novemb. anni 102. per annos novem, menſes & dies ſex, primum Æræ Chriſtianæ ſæculum feliciter abſolvit, ac ſequens incœpit.

ANNO CHRISTI 100.

5. ANACLETUS, cujus feſtum agitur die 13. Julii, decrevit, ut a tribus neque a paucioribus, reliquis conſentientibus, Epiſcopus conſecraretur; uti conſecratum fuiſſe, narrat Anacletus ipſe, Jacobum minorem Hieroſolymitanorum Epiſcopum, a Petro, Jacobo majore, & Joanne. Voluit ut Clerici ſacris Ordinibus publice, & a proprio Epiſcopo initientur: utque Presbyteri ſacrificent non ſoli, ſed ſecum

Epiſcopus a tribus ordinandus.

Sacri Ordines publice, & a proprio Epiſcopo conferendi.

cum teſtes adhibeant; & illud non ubique, ſed in locis Deo conſecratis: utque *Dominus vobiſcum*, & *Orate Fratres* non ad unum, ſed ad duos minimum præſentes dicatur: & ut in Miſſa, peracta conſecratione, omnes præſentes communicent. Tres decretales epiſtolas ſapientia plenas, quæ extant, conſcripſit de Teſtibus, Judiciis, & Ordinationibus Epiſcoporum: voluit ab Epiſcopis annuatim viſitari Limina Apoſtolorum. Inſuper Clericis comam alere primus prohibuit: formam in radendo obſervandam Anicetus poſtea præſcripſit. Beati Petri ſepulchrum ſive Memoriam ornavit, Pontificumque ſepulturæ locum attribuit, & ſeparata a plebe loca ſepeliendis Martyribus aſſignavit. Fuit ipſe Græcus Athenienſis, pervénit in Pontificatu ad annum nonum, menſem tertium. Ἀνέκλητος latine revocatus dicitur, uti Paracletus advocatus, & Cletus vocatus.

Sacrificandum in locis ſacris, & multis præſentibus, omnibuſque communicantibus.

Memoria B. Petri, idem quod ſepulchrum.

6. EUARISTUS item Græcus, Judæo Patre natus, totidemque annorum & menſium Pontifex, domos Fidelium cultui divino mancipatas, in quibus Synaxes, id eſt congregationes fie-

Tituli Eccleſiarum, & Cardinalium.

bant, & Tituli vocabantur, Presbyteris & Diaconis, ad confuſionem vitandam, diviſit: unde Cardinalium Tituli originem trahunt. De Titulo mentionem facit Martyrologium Romanum 26. Julii hiſce verbis: *Romæ Sancti Paſtoris Presbyteri, cujus nomine Titulus extat in Viminali apud ſanctam Pudentianam*: Ad quem locum vide notas Baronii, qui inter alia ſic ait: Idem Titulus quod Memoria ſeu Eccleſia, ſic dictus, quod in loco ubi erat Eccleſia erigenda, Crux poneretur in Titulum, uti hodie in Eccleſiarum erectione adhuc ſervatur.

Titulus idem quod Memoria ſeu Eccleſia.

Conſtituit Euariſtus ex traditione apoſtolica ut Matrimonium publice celebretur, & Sacerdotis benedictio adhibeatur, neve Vir & Uxor ante una dormirent, quam a Sacerdote benedicerentur; ut qui vult nubere, in Domino nubat. Feſtum ipſius agitur 26. Octob. ubi in lectione Breviarii fit mentio de ſeptem Diaconis ab ipſo ordinatis, qui Epiſcopum cuſtodirent, dum prædicationis munere fungeretur: idque propter ſtylum veritatis, ne Epiſcopo prædicanti ab æmulis imponerentur errores. Vide infra in Lucio ſimile quid ordinatum.

Matrimonium publice cum Sacerdotis benedictione.

Epiſcopo prædicanti aſtant Diaconi.

Eua-

Euariſtus Εὐάρεϛος bene optimus latine ſonat; εὖ valde, bene, ἄρεϛος optimus: unde interjectio εὖγε *Euge!* vox laudantis. quare non debet ſcribi Evariſtus, ſed Euariſtus: ſicuti Euangelium, id eſt bonum nuncium, non Evangelium; per u vocalem, non per v conſonantem.

7. ALEXANDER Primus, vir quidem ætate Juvenis, ſed moribus ac ſanctitate incomparabilis, & ſalutaribus inſtitutis illuſtris: ordinavit in Miſſa lectionem Epiſtolæ & Euangelii, Canoni addidit, ob memoriam Paſſionis Chriſti, *Qui pridie quam pateretur.* & poſt Conſecrationem: *Unde & nos memores*, uſque ad Memento Defunctorum. Statuit ut una tantum Miſſa in die celebraretur (quod uſque ad Deuſdedit Papam 70. ita manſit, qui ſecundam permiſit) utque tantum Panis azymus, uti purior & Chriſti Inſtitutioni ſimilior, & vinum in Myſterio offerretur: vinum autem aqua miſceri juſſit, propter Sanguinem & Aquam, quæ ex Jeſu Chriſti Latere profluxerunt, atque ad Chriſti & Eccleſiæ conjunctionem ſignificandam. Paſſiones ex

Lectio Epiſtolæ & Euangelii in Miſſa. Item Memoria Paſſionis Chriſti.

Una tantum miſſa in die.

Panis azymus.

Vinum aqua mixtum.

Lectio Paſſionum in heb. majori. Euangeliſtis in Hebdomada Majore juſſit legi eo ordine quo ſcriptæ ſunt. Decrevit ut aqua benedicta *Aqua benedicta & ejus virtutes.* ſale admixta perpetuo in Eccleſia aſſervaretur, & in cubiculis adhiberetur ad fugandos Dœmones, ita reſcribens: *aquam ſale admixtam populo benedicimus, ut cuncti aſperſi ſanctificentur. nam ſi cinis vituli aſperſus ſanguine populum ſanctificabat, multo magis aqua aſperſa ſale, diviniſque precibus ſacrata: & ſi ſale aſperſo per Heliſæum Prophetam ſterilitas aquæ ſanata eſt; quanto magis divinis precibus aqua ſacrata ſterilitatem rerum auferet humanarum, & inſidias diaboli avertet, atque a phantaſmaticis verſutiis hominem defendet & coinquinatos ſanctificabit?* Fuit Alexander Romanus, seditque annos decem, menſes tres, & dies 20. Memoria ejus ab Eccleſia celebratur tertia Maii, Feſto Inventionis S. Crucis. Nomen Alexander Græcum eſt, latine ſonans auxiliator virilis vel virorum. ἀλέξειν auxiliari, ἀλέξιον auxilium ſive remedium, Alexius remedium ferens.

8. XYSTUS Primus ſimiliter Romanus, decemque fere annorum Pontifex, ſe uni-

univerſalis Eccleſiæ Epiſcopum in epiſtolis ſcripſit, cenſuitque ne Epiſcopi ad Sedem Apoſtolicam quacumque de cauſa vocati, inde redeuntes a ſuis populis reciperentur, niſi ſecum deferrent literas Romani Pontificis. Vetuit ne vaſa ſacra ab aliis, quam a ſacris miniſtris, nullo modo a fœminis tangerentur: neque Corporalia ex alia materia, quam ex lino eoque puriſſimo fierent; ordinavit cani in Miſſa Triſagion *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth*. Memoriam defunctorum in miſſa ex præſcripto Apoſtolorum ejus decreto tribuere Platinam, ait Gavantus, cum Platina aſcribat Gelaſio primo. De hoc Xyſto nihil habetur in Breviario, ſed in Martyrologio ſexta Aprilis. octavus poſt illum Pontifex Zephyrinus vocatur a Tertulliano libro de Pudicitia, *ſecundum veterem nomenclaturam Pontifex Maximus, & Epiſcopus Epiſcoporum;* unde patet non eſſe recens Papam, Oecumenicum ſive univerſalem appellari. nomen ξυστὸς latine eſt Porticus ſive ſeries longa arborum.

Papa univerſalis Eccleſiæ Epiſcopus.

Vaſa ſacra a fœminis non tangenda.

Corporalia ex lino.

Triſagion Sanctus &c. in Miſſa.

Memoria Defunctorum.

Pontifex Maximus, Epiſcopus Epiſcoporum.

9. TELESPHORUS Quadraginta dierum ſolem-

Jejunium quadrageſimale. ne jejunium per ſeptem hebdomadas ante Paſcha ab omnibus Chriſtianis obſervari, uti ab Apoſtolis conſtitutum erat, injunxit: quod jejunium tunc non continuum, ſed interpolatum, incipiebat a Septuageſima, omiſſis tribus per ſeptimanam diebus; vide Onomaſticon in voce Quadrageſima. *Gloria in Excelſis.* Inſeruit Miſſæ hymnum Angelicum *Gloria in Excelſis*. Ordinavit celebrari tres Miſſas in feſtivitate Natalis Domini; *Tres Miſſæ in Natali Domini.* primam media nocte, cum Chriſtus in Bethleem natus eſt; ſecundam illuceſcente aurora, quando a Paſtoribus eſt adoratus; tertiam hora diei tertia, quum dies Redemptionis noſtræ illuxit: Aliqui ad triplicem Chriſti Nativitatem referunt: 1. æternam ex Patre, 2. temporalem ex Virgine Matre, 3. ſpiritualem, per gratiam in cordibus fidelium. Alii, quia Chriſtus natus eſt in ſalutem eorum qui erant ante legem, ſub lege, & poſt legem ſub Euangelio. De ipſo fit mentio in Officio Eccleſiaſtico Vigilia Epiphaniæ. Fuit Monachus, Græcus, uti nomen indicat, quod latine ſonat, finem referens. Carmelitæ illum pro ſuo habent, ſedit annos undecim, menſes novem.

HY-

10. HYGINUS decretum promulgavit de ſuſceptoribus ſeu Patrinis (ita enim Eccleſia eos vocat, qui infantes tenent, & præſentant dum baptizantur, & ex ſacro lavacro ſuſcipiunt) ubi inter alia hæc habentur: *ſicut infantes contrahunt peccatum originale ex culpa aliena, ita Divinæ convenit miſericordiæ, ut juſtificentur per fidem & confeſſionem alienam*. Clerum compoſuiſſe, & gradus diſtinxiſſe, vel traditam ab Apoſtolis formam illuſtraſſe dicitur: & ſicut Euariſtus Titulos in Urbe Presbyteris diviſit, ut unuſquiſque ſuæ Parochiæ terminis diſtingueretur; ita Hyginus Clerum compoſuit, & gradus diſtinxit, ut alii ſuperiores, alii inferiores Presbyteri & Diaconi, & ordines minores eſſent. Extat ejus Epiſtola decretalis ad omnes Chriſtifideles de Deo Trino & Uno, & Chriſti Filii Dei Incarnatione, Catholicam Doctrinam plene complectens. Commemoratio de eo fit 11. Jan. Fuit Græcus, Patria Athenienſis, attigit in Pontificatu annum quartum. Nomen ipſius ὑγεινὸς latine ſanus vel ſanans dici poſſet, ὑγεία ſanitas.

Patrini in Baptiſmo.

Ordines & gradus in Clero.

PIUS

Paſcha die Dominico celebrandum.

11. PIUS Primus, Apoſtolorum traditionem de Paſchate die Dominico celebrando firmavit, ad Eccleſias nonnullas judaizantes corrigendas, quæ Paſcha quocumque die, luna decima quarta, cum Judæis in Plenilunio martiali celebrabant, cum Chriſtiani Dominica ſequente ſuum Paſcha celebrent. Primus notatur Pius qui Romæ Templum conſecravit, Thermas Novati dictum, domum ſcilicet Pudentis Senatoris, ſanctarum Virginum Pudentianæ & Praxedis patrem; apud quem S. Petrus cum Romam introiſſet, primo hoſpitio exceptus fuit: cui Pius fratrem ſuum, Paſtorem nomine, primum præfecit Presbyterum: unde primus Titulus, Paſtoris dictus fuit. Vide Onomaſticon in voce Titulus. Ritus conſecrandi & velandi Virgines ſacras a Pio ordinatus dicitur. Pœnam quam ſtatuit in Sacerdotem cujus negligentia de Sanguine Domini aliquid ſtillaverit, vide Breviarium Romanum 11. Julii. fuit natione Italus, patria Aquilejenſis, annos novem & dimidium Petri Cathedram tenuit.

Primi Templi conſecratio.

Conſecratio & velatio Virginum.

ANI-

12. ANICETUS, quo Eccleſiæ melius conſultum eſſet, ne malis moribus labefactaretur, renovavit Decretum Anacleti, ne Clerici comam nutriant, formamque tonſionis addidit, ut deſuper caput in modum ſphæræ ſeu coronæ radantur. Etiam cavit a paucioribus quam tribus conſecrari Epiſcopum; ubi vero Metropolitanus eſſet conſecrandus, omnes Provinciales Epiſcopos intereſſe voluit. Ab eodem quoque ſancitum fertur ne Archiepiſcopi niſi ex ſingulari prærogativa Primates (quorum aliqui poſtea Patriarchæ dicti ſunt) appellarentur, reliquis Metropolitani nomen remaneret: in qua voce vide Onomaſticon. Ejus quoque decretum eſt ne Epiſcopus crimen Metropolitani ſui ad alium quam ad Primatem, aut ad Sedem Apoſtolicam deferret. Fuit Anicetus Syrus, eſt nomen ipſius græcum *ἀνίκητος* latine invictus, ab alpha privativo & *νικάω* vinco. colitur ab Eccleſia 17. Aprilis, ſedit annos octo, menſes fere novem.

Corona in capite Clericorum raſa.

Archiepiſcopi non ſunt Primates paſſim vocandi.

13. SOTER Pontifex re & nomine Eccleſiæ ſalutaris. Σωτὴρ.

τὴρ idem eſt quod latine Salvator, hebraice Jeſus. præter pietatem ſingularem, in rebus deliberandis egregii conſilii fuit, erga omnes ſe adeuntes comis & benignus, eccleſiaſticaque eloquentia inſignis: ſancivit ne ullus poſt cibum potumve ſeu quodlibet minimum ſumptum Miſſam facere, neque abſque patentis neceſſitatis interventu eam imperfectam relinquere audeat: Ideoque præcepit, ut Sacrificans habeat ſecum adjutorem Sacerdotem, ut ſi aliquo caſu ille qui ſacrificium incepit turbatus, vel ad terram eliſus fuerit, a tergo ſemper habeat qui ejus vices proſequatur intrepidus. Voluit item juxta Anacleti conſtitutionem, ut nullus Presbyter Miſſarum Solemnia celebrare præſumat, niſi duobus ad minimum præſentibus, ſibique reſpondentibus, & ipſe tertius habeatur Sacerdos. Quia cum ab ipſo dicitur Dominus vobiſcum, & Orate Fratres, aptiſſime convenit, ut ipſius ſalutationi præſentes reſpondeant. Idem ſancivit ne ſacræ virgines vaſa ſacra & pallas attingerent, neve thuris miniſterio in Eccleſia uterentur: idque contra Montanum Hæreticum, cujus ſecta fœminas ſa-

Miſſa a jejuno celebranda, neque imperfecta relinquenda.

Deficiente in Miſſa ſacerdote, alius ſuppleat.

Miſſam audientes Sacerdoti reſpondeant.

Sacræ Virgines vaſa ſacra non tangant, nec Thus miniſtrent.

ſacris Myſteriis immiſcebat. Idem ſtatuit, ut Chriſti Corpus in Cœna Domini ab omnibus ſumeretur, exceptis iis qui propter grave peccatum id facere prohiberentur. Euariſti decretum de Benedictione ſacerdotali, & conſenſu Parentum Matrimoniis adhibendo renovavit: Ideo enim dicuntur Sponſus & Sponſa, quia ante Matrimonium a parentibus ex utraque parte ſpondebantur. Colitur ab Eccleſia 22. Aprilis: fuit Italus, Fundis in Campania natus, ſedit annis quatuor, tredecim diebus minus.

Omnium in Cœna Domini communio.

Benedictio Sacerdotalis, & conſenſus parentum ad matrimonium.

14. ELEUTHERIUS Græcus, uti nomen indicat, liberatorem ſeu ſervatorem ſignificans ab ἐλευθερόω libero; quod re ipſa erat: nam ipſius tempore ſumma pace & quiete (ut Breviarium Romanum 26. Maii ait) fruebatur Eccleſia Dei a perſecutoribus libera. Ad hunc Pontificem Lucius Britannorum Rex circa finem ſecundi ſæculi extinctam Religionem Chriſtianam reſtaurare cupiens, quam Joſeph ab Arimathia, qui Chriſti corpus ſepelivit, in ea inſula primum prædicaverat, ſupplices literas miſit, ut ſe ac ſuos in

Converſio prima & ſecunda Anglorum ad fidem Chriſti.

Chri-

Chriſtianorum numerum reciperet: uti narrat Gildas vetuſtiſſimus illius Gentis Scriptor; & Tertullianus vicinus illorum temporum, Britannorum inacceſſa Romanis loca ſubdita tunc Chriſto fuiſſe ſcribit: quamobrem Fugatium & Damianum, pios & doctos viros, miſit in Britanniam, per quos Rex & reliqui fidem ſuſceperunt; cui fideliter adhæſerunt, quoadusque erupit furor Diocletiani Imperatoris; nam deinde teſte Gilda, ob immanitatem perſecutionis Religio ita refrixit, ut pœne extincta, tandem a S. Gregorio Magno, miſſis eo doctis & ſanctis viris Auguſtino aliiſque Monachis ſub finem ſæculi Chriſtiani quinti, renovata fuerit; quam uſque ad ſæculum quintumdecimum, per mille circiter annos integram inviolatamque conſervarunt: & circa annum Chriſti 1534. per turpiſſimum ab Eccleſia Catholica ſchiſma ſe obſtinate retraxerunt, in quo ſchiſmate adhuc hodie pertinaciſſime perſeverant. Scripſit Eleutherius Galliæ Provinciis; nullas eſcas ſuperſtitioſe refutari debere, quoniam Deus univerſas ad victum fidelibus ſuis tribuit. Matth. 5. & Actor. 10. idque contra En-

Anglorum poſt mille annos ab Eccleſia Cath. defectio.

Encratitarum hæreſim, quæ non ſolum carnes, ſed etiam nuptias damnabat. noluit præterea quempiam de gradu ſuo dejici, niſi prius accuſatus, reus criminis convinceretur: exemplo Salvatoris, qui ſcelus Judæ, licet furis, & proditoris, nondum tamen convicti, ita æque tulit, ut quidquid interim pro dignitate Apoſtolica egiſſet, ratum firmumque eſſe voluerit. Poſtquam sediſſet annis quindecim, incompertum eſt quo mortis genere ſublatus fuerit; niſi quod in antiquis Martyrologiis Martyr reperitur adſcriptus, & Eccleſia illum 26. Maii pro tali colit: cum alioqui certum ſit Martyris nomen apud Tertullianum, Cyprianum, & alios pleroſque antiquorum tribui conſueviſſe non iis tantum qui mortem, ſed etiam qui cruciamentum aliquod Chriſti cauſa ſubjiſſent; qui & dicti reperiuntur Confeſſores, cum, ſi utriuſque vocis vim expendas, idem ſint; nam μάρτυρ latine teſtem ſignificat: & quod Martyres ſanguine fecerunt, confeſſione ſua alii Sancti fidem Chriſti teſtati ſunt. hinc in Martyrol. Romano multi vocantur ſimpliciter Epiſcopi, alii Epiſcopi & Confeſſores, de quo vide

Accuſati, non convicti, non damnandi.

Martyr Græce idem quod Latine Confeſſor.

BIBLIOTECA NAZ. ... A ...

de notas Baronii ad Martyrol. die 2. Januarii, ad illa verba: *Paſſio Beati Iſidori Epiſcopi*; & alterius ibidem *Iſidori Epiſcopi & Confeſſoris*. ac Onomaſticum hic additum in vocibus *Confeſſor*, & *Martyrologium*.

15. VICTOR Primus. initio Eccleſiæ Baptiſma conferebatur omni tempore, & qualibet aqua, ut omnes in viam fidei facilius adducerentur; ſed creſcente Religionis honore, & numero fidelium aucto, ordinatum fuit ad majorem Sacramenti hujus celebritatem, ut ſolummodo conferretur in Paſchate & Pentecoſte, per aquam tunc benedictam: uti patet ex decreto hujus Victoris, quod extat de Conſecr. diſt. 5. c. Celebritatem: idque eo potiſſimum, ut qui baptizari vellent, myſteriis fidei melius imbuerentur; integroque anno catechizabantur, & tempore præſertim Quadrageſimæ concionibus intererant: unde S. Cyrillus Hieroſolymitanus ſermones ſuos indigitat Catecheſes, quos habuit tempore Quadrageſimæ ad Catechumenos ſive Baptizandos: quæ conſuetudo duravit uſque ad tempora Caroli Magni,

Solemnis Baptiſmus in Paſchate & Pentecoſte.

Catechiſmus & Catechumenus unde dicantur, vide Onomaſt.

gni, & Ludovici Pii, ut ait S. Thomas; quando ordinatum fuit, ad multa inconvenientia vitanda, ut omni tempore Baptiſma conferretur, retenta nihilominus veteri conſuetudine benedicendi Fontes Baptiſmales ſingulis annis in Sabbato Sancto, & Vigilia Pentecoſtes; atque offerendi in Miſſa *Pro his quoque quos Deus regenerare dignatus eſt ex aqua & Spiritu Sancto, tribuens eis remiſſionem omnium peccatorum*: uti per Octavam Paſchatis & Pentecoſtes adhuc dicitur in Canone Miſſæ. Victor hic confirmavit decretum Pii, ut Sacrum Paſcha die Dominico celebraretur: qui ritus ut poſtea in mores induceretur, habita ſunt multis in locis Concilia; & in Nicæna denique prima Synodo ſancitum eſt, ut Paſchæ dies feſtus poſt quartam decimam lunam ageretur; ne Chriſtiani Judæos imitari viderentur, qui in quamcumque hebdomadis diem Luna decimaquarta, poſt æquinoctium vernum, incidiſſet, Paſcha celebrare ſoliti ſunt: ne Chriſtiani cum Judæis illud celebrantes eorum ſceleribus in occidendo Chriſto commiſſis conſortes eſſe videantur. hinc die Dominico proximo ſequente, Paſcha

Benedictio Fontis Baptiſm. pridie Paſch. & Pentecoſtes.

Differentia inter Paſcha Judæorum & Chriſtianor.

Chri-

Chriſtianum, quod eſt Chriſti Reſurrectio, quæ iſta die contigit, celebrari decretum fuit: uti Sabbatum in diem Dominicam mutatum, & dies Veneris, quam Gentiles ludis, epulis & variis nequitiis traducebant, in mœrorem & luctum, ac jejunium, ob Chriſti mortem eo die toleratam, converſa eſt. & quamvis Victor primum decreviſſet, ut Baptiſmus tantummodo per aquam in Paſchate & Pentecoſte benedictam conferretur: ſtatuit tamen poſtea, ut quavis aqua, modo naturali, ſi neceſſitas cogeret, quicumque baptizari poſſet. ſcripſit de Quæſtione Paſchæ, & alia quædam opuſcula: fuit Afer, ſeditque annis novem.

quavis aqua naturali baptizare licet.

Anno Christi 100.

16. Zephyrinus indixit omnibus Chriſtianis, ſi ad pubertatis annos pervenerint, communicare in Paſchate. decrevit quod Calices & Patenæ eſſent vitreæ, non ligneæ prout ante erant; idque propter ligni poroſitatem. hanc tamen conſtitutionem ſequentes Pontifices irritaverunt, decernentes ut calices fierent ex auro, argento, vel ſaltem ſtanno; non ex ære, ob æruginem, & tetrum ſaporem quem æs creat. ſancivit,

Communio in Paſchate.

Calices lignei, deinde vitrei, tandem ex metallo.

civit, ut qui ordinandi eſſent, opportuno tempore & multis præſentibus Clericis ac Laicis de more ſacris initiarentur; doctique ac ſpectatæ vitæ homines ad id officii munus deligerentur. decrevit præterea, ut rem divinam facienti Epiſcopo Sacerdotes omnes honoris & reverentiæ gratia aſtarent. idem inſtituit ut Patriarcha, Primas, Metropolitanus adverſus Epiſcopum non ferat ſententiam, niſi Apoſtolica auctoritate fulti. promulgavit etiam edictum de recipiendis Mœchis pœnitentibus, indeque obſtrepentem Tertullianum, qui illos non recipiendos tenebat, anathemate multavit. feſtum ejus agitur 26. Auguſti. Sedit annos octodecim, nativitate Romanus, nomine Græcus, quod a Zephyro vento, qui quaſi Ζωοφόρος, id eſt vitam afferens, dicitur: quia eo flante, terra hieme mortua, vere reviviſcit; ita Zephyrinus latine vivificans reddi poſſit.

Doctis ac probis ordin. ſacri multis præſentibus conferendi.

Epiſcopo ſacrificanti adſtent ſacerd.

Epiſcopi a ſolo Papa condemnandi.

Mœchi pœnitentes recipiendi.

17. CALIXTUS Primus, vel, uti correctius ſcribitur, CALLISTUS Κάλλιστος pulcherrimus ſive optimus; ordinavit ut Clerici ad ſacros Ordines promovendi, uxoribus abſtinerent; pro-

Continentia ſacris ordinibus annexa.

Matrimonium prohibitum inter conſanguin. hibuit Matrimonium inter conſanguineos; eos Hæreticos cenſuit, qui arbitrabantur Sacerdotes poſt admiſſum crimen, etiamſi dignam pœnitentiam ſubiiſſent, ad priſtinos honores redire non poſſe. *Jejunium Quatuor Temporum.* conſtituit *Quatuor* anni *Tempora* quibus jejunium ex Apoſtolica traditione acceptum ab omnibus ſervaretur, idque pro fructibus terræ: juxta prophetiam Zachariæ cap. 8. *Jejunium quarti, & jejunium quinti, & jejunium ſeptimi, & jejunium decimi erit domui Judæ in gaudium & lætitiam & ſolemnitates præclaras.* quia ſicut replemur a Domino frumento, vino, & oleo ad alenda corpora, ita repleamur jejunio ad alendas animas. Ædificavit Baſilicam S. Mariæ trans Tyberim: & in via *Cæmeterium Calliſti.* Appia vetus Cœmeterium ampliavit, in quo multi ſancti Sacerdotes & Martyres ſepulti ſunt; quod ab eo Calliſti Cœmeterium eſt appellatum, uti Breviar. Rom. 14. Octobris. fuit Romanus, ſeditque annos quinque.

Vaſa ſacra argentea & aurea. 18. URBANUS Primus, vaſa pro ſacro miniſterio juſſit fieri ex argento & auro, excluſis propter fragilitatem vitreis. Ex inſtitutione Chriſti, & Apoſto-

lo-

lorum traditione ſtatuit, ut quiſque baptizatus, deinde Chriſmate confirmaretur; idque per manus Epiſcopales: nam & ab Epiſcopis Chriſma conficitur, & ipſi in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt; qui ſoli leguntur Act. 8. & 19. quod ſuper baptizatos manus imponebant, & accipiebant Spiritum ſanctum: ita ut ratione non careat Sacramentum Confirmationis a ſolis Epiſcopis conferri. Urbani inſtitutum eſt, ut Eccleſia fundos ac reditus a Fidelibus oblatos reciperet, partireturque proventus Clericis omnibus viritim, nihilque cujuſpiam privatum eſſet, ſed in commune bonum: quod hodie inter Clericos obſolevit. Ipſe de bonis Eccleſiæ attributis ſcripſit his verbis: *Ipſæ res Fidelium, quæ Domino offeruntur, non debent in alios uſus quam Eccleſiaſticos, & Chriſtianorum fratrum vel indigentium converti; quia vota ſunt Fidelium, & pretia peccatorum, ac patrimonia pauperum.* uti Brev. ipſius feſto 25. Maii. Rationem alibi reddit, cur ſedes Epiſcoporum excelſæ, & paratæ ſive ornatæ, ut throni habeantur in Eccleſiis: ſcilicet ob traditam eis a Domino poteſtatem judicandi, & ſolvendi atque ligan-

Confirmatio per manus Epiſcopi conferenda.

Eccleſiæ fundi et reditus.

Quomodo diſpenſandi.

Sedes Epiſcopi excelſa & ornata.

di; quare etiam tribunalia dicuntur. fuit ipſe nobilis Romanus; & magnam partem Romanæ nobilitatis, interque alios S. Cæciliam cum ſponſo ſuo Valeriano, & fratre Tiburtio ad Chriſtum convertit, ſedit annos 6. menſes 7. dies 4.

Pſalmorum in Eccleſia cantus.

19. PONTIANUS, ſimiliter Romanus, quatuor annorum, totidemque menſium, ac dierum viginti quinque Pontifex; inſtituit Pſalmos die ac nocte in Eccleſia cantari, Miſſæque præpoſuit *Confiteor*; quia *juſtus in principio accuſator eſt ſui*. Proverb. 18.

Confiteor ante Miſſam.

Sacerdotes cur honorandi, & panis ubi cecidit cur oſculandus.

docuit quod honorandi ſint Sacerdotes; quoniam ore proprio, inquit, conficiunt Corpus Chriſti, illudque populis diſtribuunt; & panem ideo venerari & oſculari ſolemus, ubi in terram ceciderit; quia inde Corpus Chriſti conficitur. feſtum ejus agitur 19. Novembris: qui ob præclaram Fidei confeſſionem multis calamitatibus afflictus in exilio vitam finiens, ſine fuſo ſanguine Martyr ab Eccleſia colitur: quo modo inter Pontifices quinque coluntur: Marcellus, Joannes, Silverius, Martinus, & Pontianus. Joannes Stella in vitis Pontificum, quas uſque ad Julium

Martyres ſine fuſo ſanguine.

II. produxit, refert Cyriacum quemdam Pontiano ſucceſſiſſe, annumque unum ſediſſe; ſed quod contra voluntatem Patrum, Papatui renunciaſſet, atque in comitatu S. Urſulæ Coloniam veniſſet, in Pontificum catalogo poſitus non fuit; cum tamen ipſe virgo exiſtens, cum virginibus illis Martyrio coronatus ſit. ita Joannes Stella Sacerdos Venetus; cujus fabuloſæ hiſtoriæ etiam Ciaconius meminit: atque hoc perperam ſcriptum eſſe, ſeries temporum demonſtrat; nam Martyrium S. Urſulæ prope duo ſæcula poſt contigit: potuit tamen contigiſſe, quod in comitatu S. Urſulæ (ubi erant etiam Sacerdotes & Præſules) aliquis fuerit cæteris venerabilior, Cyriacus *Papa* dictus; quo nomine antiquitus ipſi Epiſcopi vocabantur, imo ſpectabiliores ſacerdotes: uti poſtea videbitur in Gregorio VII.

Papa in comitatu 11000. Virginum; ſed perperam.

20. ANTERUS, rogatus an liceret mutari Epiſcopum de civitate in aliam, reſpondit, licere quidem pro communi utilitate aut neceſſitate, ſed non pro libitu cujuſquam, aut dominatione: uti Petrus Princeps Apoſto-

Epiſcopi non tranſ-

ferendi niſi publica utilitate.

ſtolorum de Antiochia, pro publica Eccleſiæ utilitate, translatus eſt Romam, & quidam alii auctoritate Apoſtolica mutati ſunt: verum avaritiæ vel præſumptionis, aut propriæ voluntatis cauſa, non ſunt Epiſcopi mutandi de civitate in civitatem, niſi fiant Archiepiſcopi. Martyrio coronatus legitur, eo quod geſta Martyrum diligenter a Notariis exquiſiviſſet, & in Eccleſia recondiſſet; ne una cum vita bene agentium memoria aboleretur. nihil de ipſo in Breviario, ſed in Martyrologio 3. *Januarii*. fuit Pontifex unius dumtaxat anni, ipſe Græcus, uti nomen Ἀντέρως, quod eſt contrarius amori; contra quem Platina Dialogum ſcripſit, ἔρως amor noxius, ἄρος amor bonus: ſic Anterus accentu in penultima, eſt contrarius amori noxio.

21. FABIANUS, coronata per Martyrium uxore, Pontifex deſignatus fuit indicio columbæ e ſublimi devolantis, ejuſque capiti inſidentis. De ipſo narrat Breviar. Rom. 20. Januarii, quod *ſeptem Diaconis ſeptem urbis regiones diviſit, qui pauperum curam haberent*. Diaconorum veſtis Dalma-

matica, apertas, & laxas habens manicas, indicium eſt liberalitatis quam exercebant ipſi erga pauperes: totidem ſubdiaconos creavit, qui res geſtas martyrum a ſeptem Notariis per Clementem inſtitutis ſcriptas colligerent, & in ordinem redigerent. ſtatuit ut quotannis feria quinta in Cœna Domini vetere combuſto, Chriſma renovaretur. ad Presbyterii ordinem triginta annorum ætatem requiſivit: quia ipſe Dominus illa ætate Baptizatus, tunc docere cœpit. Presbyteros non accuſandos aut reprehendendos dixit; quia eorum cauſas ſibi Dominus reſervare voluit, & ſuo judicio vindicare: tolerandos eos potius a fidelibus, quam exprobrandos, & veluti paleam cum tritico, uſque ad ultimum ventilabrum relinquendos; & ſicut piſces malos cum bonis, uſque ad ſegregationem, quæ futura eſt in littore maris, id eſt in fine ſeculi. Idem Presbyteros illiteratos celebrare vetuit: prohibuitque ne quis fidelis ex conſanguineis uxorem duceret, uſque ad quintum, excluſive, conſanguinitatis gradum. fuit Fabianus Romanus annorum quindecim ſanctiſſimus Pontifex.

Diaconi pauperum curatores: eorum veſtis cur laxa?

Presbyteri ætas annorum 30.

Inter Conſanguineos Matrimonium vetitum.

22. CORNELIUS ad Pontificatum non ſubito pervenit, ſed per omnia Eccleſiaſtica officia promotus, ad ſacerdotii ſublime faſtigium aſcendit: neque vim fecit ut Pontifex fieret, ſed vim ipſe paſſus eſt, ut Pontificatum coactus acciperet, uti ſanctus Cyprianus ait; qui & modum tunc eligendi Pontificis Maximi ita tradit: primo divinum aliquod indicium præcedebat, ut quem Deus vellet eligi, ſigno aliquo admoneret; idque Apoſtolico more: de eo igitur qui judicio Dei prælectus erat, coacto Presbyterio (hoc enim nomine ſacra illa comitia dicebantur) rogabatur ſingulorum ſententia: eorum itidem votum & teſtimonium explorabatur, qui plebis totius vicem repræſentabant: *oportet enim illum teſtimonium habere bonum ab his qui foris ſunt. ad Tim.* 3. admittebantur æque ad comitia, ſi qui aderant in Urbe Epiſcopi cum prærogativa ſuffragii; quod vero ad plebis in electione officium ſpectabat, ſic delegati aderant, ut de ordinandi anteacta vita teſtimonium ferrent, non autem quod ferendi ſuffragii jus haberent, ut docet Cyprianus: ſuffra-

Modus eligendi ſummum Pontificem.

Cur delegati ex plebe ad electionem Pontificis admiſſi?

ſra-

fragium ad Clerum, judicium ſeu teſtimonium ad plebem referens; licet hoc ipſum alibi appellet etiam ſuffragium. Sub Cornelio contigit primum in Eccleſia ſchiſma: PRIMUM IN ECCLESIA SCHISMA. Novatus Epiſcopus Africanus videns Novatianum Presbyterum Romanum, qui ex Philoſophia & dicendi peritia magnum ſibi faſtum comparaſſet, ob Cornelii electionem invidiæ ſtimulis agitari, cœpit una cum illo adverſus Cornelium agere; ita ut Novatianus per nonnullos rudiores ac ſimpliciores Epiſcopos, eoſque ebrios redditos clandeſtine ordinatus fuerit in Romanum Epiſcopum: ſed quomodo hi errorem ſuum depoſuerint, & Cornelium Papam legitimum agnoverint, vide Cypr. ad Antonianum. Novatianus vero in hæreſim lapſus (a quo ſecta Novatianorum) aſſerebat lapſorum peccatum eſſe irreconciliabile, neque ulla medicina aut pœnitentia curari vel remitti poſſe: & ſic negabat articulum Symboli Apoſtolici: *Remiſſionem peccatorum*, & claves univerſaliter datas Petro ligandi atque ſolvendi: & plures alios errores diſcipuli ejus adjunxerunt. ipſe tempore Xyſti Secundi Romæ occiſus, martyr Satanæ ef-

Novatianus contra Cornelium.

Hæreſis Novatianorum.

effectus eſt; ipſiuſque aliquot in Epiſcopatu ſucceſſores ducentis prope annis, uſque ad Cœleſtini primi Pontificatum permanſerunt; a quo deinceps publice Epiſcopum habere prohibiti ſunt. Fuit Cornelius Romanus, vixitque in Pontificatu circiter annos duos. vetuit a Sacerdotibus & Dei miniſtris exigi ſacramentum juramenti, niſi pro confirmatione veræ Fidei. quomodo cum Lucina fœmina ſanctiſſima, corpora Apoſtolorum Petri & Pauli e Catacumbis in locum opportuniorem tranſtulerit, videatur Brev. Rom. 16. Septemb. & quid ſint Catacumbæ, Onomaſticum huic Notitiæ additum.

Clericis jurare non licet, niſi pro confirmatione veræ fidei.

23. LUCIUS Primus, unus ex Presbyteris Confeſſoribus, qui cum Cornelio ad Centum Cellas, ſub Imperatoribus Gallo & Voluſiano in exilium miſſi fuerant, mandavit eligi continentes altaris miniſtros, iiſque prohibuit contubernia & frequentationes cum mulieribus: & ut nullus clericus cum extranea habitet fœmina, niſi forte ſoror aut proxima fuerit; idque cum maxima ſolicitudine fiat: non enim, ait, ignoro malitias Satanæ. Summa

Clerici continentes non cohabitent mulieribus.

ma Conciliorum habet quod ipſe præceperit, ut duo Presbyteri & tres Diaconi in omni loco Epiſcopum comitarentur, propter teſtimonium Eccleſiaſticum. vide ſupra in Euariſto, qui ſimile quid ordinavit. ſub hoc Pontifice obiit Origenes, de quo dictum antiquitus: *Ubi bene, nemo melius; ubi male, nemo pejus*. antea ſub Zephyrino martyrio affectus fuerat Leonides Origenis Pater (de quo Martyrologium 22. Aprilis) qui apud Suidam Epiſcopus & Martyr fuiſſe legitur; quem filius ſcriptis hortatus eſt ſubire Martyrium, agereque conſtantiſſime: quod & explevit, capite abſciſſo, Origenem juvenem 17. annorum orbum relinquens; quem niſi mater multis artibus avocaſſet, martyrii ſitim, ad quod anhelaverat, expleſſet: poſt patris igitur necem, una cum matre, & aliis ſex fratribus minoribus natu orbus relictus, cœpit literas humaniores profiteri Alexandriæ; & ex proventibus perceptis matrem viduam & fratres aluit: rem enim familiarem, ob confeſſionem Chriſti, Fiſcus occupaverat. deinde poſt Clementem Alexandrinum (Stromatæum dictum, ob libros Stromatum quos

Origenes, Leonidis Martyris filius.

Stroma quid, vide Onomaſtic.

ſcripſit) præceptorem ſuum, Catecheſeos in Eccleſia Alexandrina magiſter fuit. Ὠριγένης latine monte genitus ſonat, ſive montanus: fuit nomine & ſcriptis Græcus; uti Tertullianus latinus, quaſi ter, & maxime Tullianus, ſive Ciceronianus, ac Latinorum Architheologus; ſed decrepita ætate in Montanam hæreſim lapſus eſt. nota quod Tertullianus obiit ſenex anno Chriſti 215. cum Origenes juvenis eſſet, qui obiit ejuſdem ſæculi anno 256. ætatis ſuæ 69. hinc dicitur paſſim in concionibus teutonicis: *den ouden Tertullianus: den gheleerden Origenes*. Fuit Lucius Romanus unius dumtaxat anni, & 4. menſium Pontifex; cujus commemoratio fit in Breviar. Rom. 4. Martii.

Tertullianus ſenex, quando Origenes juvenis.

24. STEPHANUS Primus, Lucii Archidiaconus, eligitur in Pontificem: ſub ipſo Synodus celebrata fuit in Africa, ad quam inter alia, perlata eſt querela, quod moriens Chriſtianus homo Presbyterum filiis ſuis tutorem ex teſtamento nominaſſet, contra Eccleſiæ Canones; quod facinus ſevere admodum ulta S. Synodus ſecundum antiquam diſci-

Sacerdotes tutores eſſe non poſſunt. de quo vide egregiam Cypriani epiſt. 9. lib. 1.

pli-

plinam cenſuit, ne pro eodem defuncto ſacrificium offerretur, aut preces frequentarentur in Eccleſia: ut ſic cæteris daretur exemplum, ne quis Sacerdotes, Dei miniſterio, & altari mancipatos, curis ſæcularibus implicaret. hodie bene ſecus fit. inſtituit Stephanus benedici indumenta ad uſum ſacrorum, utque ſacerdotes & diaconi nuſquam ſacris veſtibus niſi in Eccleſia uterentur: ſæcularibuſque interdixit, ne auderent veſtes ſacras uſurpare; ne ſi ſecus facerent, pœnam Regis Balthaſaris ſubirent, qui vaſa ſacra manibus impuris tractare auſus, profanis uſibus ea adhibuit, & ſubito a Deo punitus fuit. idem Baptizatos ab hæreticis iterum baptizari vetuit: quod de iis intelligendum eſt, qui forma Eccleſiæ conſueta ab hæreticis baptizati eſſent. alia quæ fecit & paſſus eſt, vide Breviar. Roman. 2. Auguſti. fuit Romanus annorum trium totidemque menſium Pontifex. Nomen Στέφανος latine corona, ſatis notum eſt.

Benedictio ſacrorum indumentorum, eorumq; uſus extra Eccleſiam prohibetur.

Baptizati ab hæreticis legitima Eccleſiæ forma non rebaptizandi.

25. XYSTUS Secundus ſive Junior (ita enim ſecundi ejuſdem nominis in vitis Pontifi-

cum

cum paſſim vocantur) ex Philoſopho Græco Athenienſi Chriſti diſcipulus, ſæviente crudeli Valeriani perſecutione, ob denegatum Martis ſimulacro ſacrificium capite truncatur, cum sediſſet tantum menſes undecim, dies duodecim, & ſancto Laurentio Archidiacono ſuo (quem ante Pontificatum in Hiſpania prædicans, inter alios Chriſto lucratus fuerat, & ſecum Romam adduxerat) Martyrii coronam prædixiſſet; qui ſe ad Martyrium non ſimul duci, talibus inter alia verbis conquerebatur: *Experire utrum idoneum Miniſtrum elegeris, cui commiſiſti Dominici ſanguinis diſpenſationem: cui conſummandorum conſortium Sacramentorum, huic conſortium tui ſanguinis negas?* Cum Fideles ſub utraque ſpecie communicarent, Sacerdos Chriſti Corpus, Diaconus Sanguinem fidelibus diſpenſabat: vide lectiones ſecundi nocturni 13. Auguſti in Breviar. Rom.

Diaconi ſanguinem Chriſti fidelibus diſpenſare ſolebant.

26. DIONYSIUS Presbyteris Romanis Eccleſias & Cœmeteria in Urbe diviſit, Parochias & Diœceſes foris diſtribuit, quo quiſque finibus ſuis limitibuſque contentus eſſet, nec alte-

Diœceſes, Parochiæ, & Cœmeteria.

alterius adminiſtrationi ſe quiſquam ingereret: ac ſcripſit de Parochiarum diviſione, item de Sanctiſſima Trinitate, ac Chriſti Divinitate, adverſus Arianas & Sabellianas hæreſes. de eo Martyrologium 26. Decembris narrat, quod *multis pro Eccleſia Dei impenſis laboribus, fidei documentis clarus effulſit.* nomen Dionyſius venit a *διοινόω*, id eſt vino infercio, unde Bacchus Διόνυσος dictus eſt; διονύσιος Bacchicus, & διονύσια Bacchi ſacra ſive Bacchanalia. nil mirum ſanctos interdum habuiſſe profana nomina; Paganiſmus adhuc vigebat. vide indicem Martyrologii Romani, ubi Bacchus, Mercurius, & Apollo, Divorum etiam nomina invenies. fuit Dionyſius Monachus Græcus, duodecim annorum Pontifex. Carmelitæ ipſum, uti ſupra Teleſphorum, eſſe ſui Ordinis tenent: nonnulli eum ignotis parentibus ortum, ſpurium indigitant. vide Pontum Heuterum tractatu de libera hominis nativitate.

Profana etiam Sanctorum nomina.

27. Felix Primus, Martyrum gloriæ conſulens, conſtituit ut Miſſa ſuper memorias & ſepulchra eorum celebraretur; & ubi

Corpora & Lipſana Sanctorum ſub altaribus incluſa.

ubi ſepulchra talia non eſſent, ponerentur Reliquiæ Martyrum ſub altari: quod hodie adhuc fit in altarium conſecratione; & alveus in quo Reliquiæ ponuntur vocatur Sepulchrum, idque ſecundum illud Apoc. 6. *Vidi ſubtus altare animas interfectorum propter verbum Dei &c.* unde clare demonſtratur altaria eſſe Sepulchra Martyrum; hinc abſque eorum Lipſanis altaria non conſecrantur. idem decrevit, ſi de conſecratione templi alicujus ob vetuſtatem & abolitionem munimentorum ambigeretur, denuo conſecrari poſſe: *nec enim* (ut ipſe ait) *iteratum dicitur, quod factum eſſe neſcitur*. fuit Felix Romanus annorum duorum Pontifex.

Offertorium.

Benedictio comeſtibilium.

28. EUTYCHIANUS habetur auctor Offertorii in Miſſa, item benedictionis frugum, qualia ſunt poma, uvæ, fabæ, & cætera comeſtibilia: idque contra Manichæos, qui tenebant poma, & fructus omnes productos eſſe a malo principio, ob lapſum primorum parentum: hinc illos deteſtabantur & maledicebant, Papa e contrario fructus benedicente, & per verbum Dei ſanctificante, Deoque gratias pro illis agente tamquam

quam vero Creatori & Domino, Decrevit, *quam duxit uxorem fidelis ante Baptiſma, liberum eſſe ei hanc habere vel non habere.* contra Ebrietatem ita ſcripſit: *magnum malum Ebrietatis, ex quo omnia vitia pullulant, Chriſtianis omnibus cavere præcipimus; qui autem hoc vitare noluerit, excommunicandum eſſe cenſemus, uſque ad congruam emendationem.* item, *Epiſcopi & Dei Miniſtri non debent commeſſationibus & vinolentiis nimis incumbere, conſiderantes ſententiam Domini dicentis: ne graventur corda veſtra crapula & ebrietate; moderate enim cibum, & neceſſarium ſolum ſumant, ut juxta Apoſtolum, ſobrii ſint & parati ad ſervitium Dei.* Martyrologium Romanum 8. Decembris ait, quod per diverſa loca trecentos & quadraginta duos Martyres ſua manu ſepelivit, quibus & ipſe ſociatus, ſub Numeriano Imperatore Martyrio coronatus eſt, & in Cœmeterio Calliſti ſepultus. Modum ſepeliendi Martyres ipſe præſcribens, vetuit ne ſine Dalmatica aut Colobio purpurato ſepelirentur. quid ſit Dalmatica & Colobium, vide Onomaſticon. fuit Eutichianus Italus ex Tuſcia, annorum octo & ſex menſium Pontifex,

Uxorẽ ante Baptiſmum ductam liberum eſt retinere, vel non.

Ebrioſi excommunicati, uſque ad emendationem.

Modus ſepeliendi Martyres cum Colobio.

fex. nomen derivatur ab Eutichius, quod latine bene munitus ſive muratus ſonat. τεῖχος murus, τειχέω muro cingo, ſive munio.

Diocletianus Patruus Caii Papæ.

29. CAJUS ex genere Diocletiani Imperatoris, ipſius fratris Filius, ob Patrui ſui crudelitatem in ſubterraneis locis, quas cryptas vocant, diu latuit: qui Imperator affines ſuos Chriſtianos, Suſannam Gabinii fratris Caii filiam, ipſum Gabinium, imo uxorem ſuam Serenam Auguſtam ferro & igne conſumpſit, Cajuſque una cum ipſis periit: qui conſtituerat, ut his ordinum gradibus ad Epiſcopatum aſcenderetur, Oſtiarii, Lectoris, Exorciſtæ, Acolyti, Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri: & ne quis Epiſcoparetur niſi miniſtraſſet conſueto tempore in ſingulis ordinibus. cavit etiam ne prophanus quiſpiam ſacris initiatum in judicium vocaret; neve paganus aut hæreticus accuſandi hominem Chriſtianum poteſtatem haberet. colitur 22. Aprilis, fuit Dalmata, annorum duodecim Pontifex. Nomen Cajus, recte pronuntiatur tanquam Gajus, Græce γαίως a γαΐω lætor: unde Gallica vox *Gay*.

Per ſeptem Ordinum gradus, eoſque exercitos ad Epiſcopatum aſcendendum.

Sacris initiati a prophanis in jus non trahendi.

MAR-

30. MARCELLINUS cum Idololatriæ ex timore commiſſæ pœnitens, cilicio indutus ad concilium plurimorum Epiſcoporum Sinueſſam veniſſet; eum damnare auſus eſt nemo; ſed omnes una voce clamarunt: *Tuo te ore, non noſtro judicio judica; nam prima Sedes a nemine judicatur*. Poſtea Martyrio affectus, a Marcello Presbytero, qui ipſi in Pontificatu ſucceſſit, Presbyteris & Diaconis, Hymnis ac luminibus adhibitis, honorifice ſepultus fuit. vide hiſtoriam paulo fuſius deſcriptam in Breviario 26. Aprilis, quando feſtum ejus ab Eccleſia colitur. fuit Romanus, annorum 8. Pontifex. nomen Marcellinus diminutivum eſt a Marcellus; & hoc a Marcus.

Prima Sedes a nemine judicatur.

Modus ſepeliendi cum hymnis ac luminibus.

31. MARCELLUS Primus, cujus hortatu nobiles & potentes matronæ, Priſcilla cœmeterium ſuis ſumptibus ædificandum curavit, & Lucina bonorum ſuorum Eccleſiam Dei fecit hæredem, viginti quinque titulos in Urbe inſtituit, quaſi Diœceſes quaſdam, ad Baptiſmum pœnitentiamque eorum qui ex infidelibus Chri-

Anno Christi 300.

Eccleſiam Dei hæredem ſcribere.

Chriſtianam Religionem ſuſciperent, & ad Martyrum ſepulturam. Quid ſint Tituli, & Diœceſes, vide Onomaſticon. ſcripſit Marcellus Epiſtolam ad Epiſcopos Antiochenæ Provinciæ de Primatu Romanæ Eccleſiæ, quam caput Eccleſiarum appellandam eſſe demonſtrat; ubi etiam illud ſcriptum eſt: *Nullum concilium jure celebrari, niſi ex authoritate Romani Pontificis*. Martyrium ipſius ſine ſanguine, ex ſquallore carceris, deſcribitur in Breviario die 16. Januarii. fuit Romanus, annorum quinque Pontifex.

Primatus Romanæ Eccleſiæ.

32. EUSEBIUS: ſub hoc Pontifice ſancta Crux Domini noſtri a beata Helena 5. Nonas Maii Hieroſolymæ inventa eſt; & ipſe Feſtum Inventionis hujus eo die quotannis celebrandum ſtatuit. Decrevit ſacrificium altaris non in ſerico panno aut tincto, ſed in puro lineo, ab Epiſcopo benedicto celebrari (jam per uſum Corporalia ſacrantur) eo quod Corpus Domini in Sindone munda ſepultum fuerit: item Sacramentum Confirmationis perficiendum a ſolis Epiſcopis; nec tempore Apoſtolorum ab aliis, quam ab

Inventio S. Crucis.

Corporalia non ſerica, ſed linea.

Confirmatio a ſolis Epiſcop. peragenda.

ab ipſis Apoſtolis fuiſſe peractum; uti patet Actorum 8. & 19. idem præcepit, quod *Oportet Epiſcopum moderatis epulis contentum eſſe, ſuoſque convivas ad comedendum & bibendum non urgere; quin potius ſobrietatis præbeat exemplum: removeantur ab ejus convivio cuncta turpitudinis argumenta; non ludicra ſpectacula, non fatuorum ſtultiloquia, non ſcurrilium admittantur præſtigiæ: adſint peregrini, & pauperes ac debiles, qui de ſacerdotali menſa Chriſtum benedicentes, benedictionem ipſi percipiant: recitetur ſacra lectio, ſubſequatur vivæ vocis exhortatio, ut non tantum corporali cibo, imo verbi ſpiritualis argumento convivantes ſe refectos gratulentur, ut in omnibus honorificetur Deus per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.* fuit Euſebius, uti nomine, ita origine Græcus, & re Euſebius: εὐσεβέω pie vivo, εὐσέβεια pietas. Pontifex annorum 2. menſium 7. ipſius meminit Martyrologium die 26. Septembris.

Epiſcopalis menſa, qualis eſſe debeat.

33. MELCHIADES Afer annis fere duobus præfuit. nomen ab hebræo *Melchi* derivandum videtur, quod interpretatur meus rex, ſive conſilium meum, unde patronymicum Mel-

Die Dominica jejunium vetitum: & quondam die Jovis.

chiades: Hiſpani aliqui illum ſuum dicunt, & Mantua Carpetanorum, hodie Matrito, oriundum. vetuit jejunium die Dominico, ob Reſurrectionis, & feria quinta, ob Aſcenſionis Domini memoriam: quod feſtum Aſcenſionis olim in Eccleſia tam erat ſolemne, ut feriæ quintæ feſtivæ eſſent, ſicut Dominicæ ſunt, & in iis prout in Dominicis numquam jejunaretur, nequidem in Quadrageſima: idque ne ullum daretur ſignum triſtitiæ in illa die, quæ tantum lætitiæ tum cœlo, tum terræ attulerat, cum humana in Chriſto natura elevata fuit ſuper omnes Angelorum Choros. Inſtituit Melchiades erogationem Panis benedicti, in ſymbolum unionis inter Fideles; unde adhuc in Eccleſiis Parochialibus diebus feſtivis, poſt Miſſam Conventualem pauperibus panis erogatur. Candelabra in altaribus poni juſſit: & conſtituit, nequis umquam aliqua ſuſpicione, ante veram probationem, & propriam confeſſionem condemnaretur. De ipſo tamquam Martyre in Breviario Romano 10. Decembris fit commemoratio, idque propter Fidei confeſſionem; nam μάρτυρ latine teſtem ſive confeſſorem ſignificat, uti ſuperius in

Erogatio panis benedicti in Eccleſiis.

Candelabra in altari.

Nemo condemnandus ante propriã confeſſionem.

Martyr idem quod Confeſſor.

Eleu-

Eleutherio notatum fuit. Martyrologium ait, quod *in perſecutione Maximiani multa paſſus, reddita Eccleſiæ pace, quievit in Domino.*

Ultimum hunc triginta trium primorum Pontificum, qui omnes ab Eccleſia Martyres habentur, ſubſecutus eſt Primicerius Confeſſor.

34. SILVESTER Primus, Romanus vir divinus, aſpectu angelicus, ſermone nitidus, corpore decorus, opere ſanctus, conſilio magnus & maturus, fide catholicus, ſpe patientiſſimus, ac omni charitate diffuſus: cui tantam Dominus contulit gratiam, ut non a Chriſtianis modo, verum etiam a Gentilibus miro coleretur affectu: ab ipſo namque baptizato Imperatore Conſtantino, & Eccleſiæ pace firmata; facultas data fuit Chriſtianis, quod hactenus negatum, publice templa extruendi. hinc ritus, quos in conſecrandis ſolemniter Eccleſiis & altaribus, Romana ſervat Eccleſia, Beatus Silveſter primus inſtituit. multa ipſe decreta fecit Eccleſiæ Dei utilia: in his, ut a ſolo Epiſcopo Chriſma conficeretur, ut Presbyter Chriſmate baptizati ſummum liniret verticem, ut Diaconi Dalma-

Solemnis Conſecratio Eccleſiarum & Altarium.

Chriſma fit a ſolo Epiſcopo, a Presbytero unctio.

Die Dominica jejunium vetitum: & quondam die Jovis.

chiades: Hiſpani aliqui illum ſuum dicunt, & Mantua Carpetanorum, hodie Matrito, oriundum. vetuit jejunium die Dominico, ob Reſurrectionis, & feria quinta, ob Aſcenſionis Domini memoriam: quod feſtum Aſcenſionis olim in Eccleſia tam erat ſolemne, ut feriæ quintæ feſtivæ eſſent, ſicut Dominicæ ſunt, & in iis prout in Dominicis numquam jejunaretur, nequidem in Quadrageſima: idque ne ullum daretur ſignum triſtitiæ in illa die, quæ tantum lætitiæ tum cœlo, tum terræ attulerat, cum humana in Chriſto natura elevata fuit ſuper omnes Angelorum Choros. Inſtituit Melchiades erogationem Panis benedicti, in ſymbolum unionis inter Fideles; unde adhuc in Eccleſiis Parochialibus diebus feſtivis, poſt Miſſam Conventualem pauperibus panis erogatur. Candelabra in altaribus poni juſſit: & conſtituit, nequis umquam aliqua ſuſpicione, ante veram probationem, & propriam confeſſionem condemnaretur. De ipſo tamquam Martyre in Breviario Romano 10. Decembris fit commemoratio, idque propter Fidei confeſſionem; nam μάρτυρ latine teſtem ſive confeſſorem ſignificat, uti ſuperius in Eleu-

Erogatio panis benedicti in Eccleſiis.

Candelabra in altari.

Nemo condemnandus ante propriã confeſſionem.

Martyr idem quod Confeſſor.

Eleutherio notatum fuit. Martyrologium ait, quod *in perſecutione Maximiani multa paſſus, reddita Eccleſiæ pace, quievit in Domino.*

Ultimum hunc triginta trium primorum Pontificum, qui omnes ab Eccleſia Martyres habentur, ſubſecutus eſt Primicerius Confeſſor.

34. SILVESTER Primus, Romanus vir divinus, aſpectu angelicus, ſermone nitidus, corpore decorus, opere ſanctus, conſilio magnus & maturus, fide catholicus, ſpe patientiſſimus, ac omni charitate diffuſus: cui tantam Dominus contulit gratiam, ut non a Chriſtianis modo, verum etiam a Gentilibus miro coleretur affectu: ab ipſo namque baptizato Imperatore Conſtantino, & Eccleſiæ pace firmata; facultas data fuit Chriſtianis, quod hactenus negatum, publice templa extruendi. hinc ritus, quos in conſecrandis ſolemniter Eccleſiis & altaribus, Romana ſervat Eccleſia, Beatus Silveſter primus inſtituit. multa ipſe decreta fecit Eccleſiæ Dei utilia: in his, ut a ſolo Epiſcopo Chriſma conficeretur, ut Presbyter Chriſmate baptizati ſummum liniret verticem, ut Diaconi Dalma-

Solemnis Conſecratio Eccleſiarum & Altarium.

Chriſma fit a ſolo Epiſcopo, a Presbytero unctio.

Manipulus Palla Linoſtima.

maticis in Eccleſia, & Palla linoſtima (quam hodie manipulum dicimus) ad lævam uterentur, ut in lineo tantum velo ſacrificium altaris conficeretur. præſcripſit tempus omnibus qui Ordinibus initiati eſſent, exercendi ſingulos ordines in Eccleſia, antequam quiſque ad altiorem gradum aſcenderet:

Interſtitia & exercitia ſingulorum Ord.

ut Laicus Clerico non inferat crimen, ne Clericus apud profanum judicem cauſam dicat. Sabbati & Dominici diei nomine retento, reliquos hebdomadæ dies feriarum nomine diſtinctos, ut jam ante in Eccleſia vocari cœperant, appellari voluit: quo ſignificaretur, quotidie Clericos, abjecta cæterarum rerum cura, uni Deo prorſus vacare debere. & reliqua, quæ cœleſti prudentia, Eccleſiam per viginti annos adminiſtrando, ſtatuit, & fecit: vide Breviarium Romanum nona Novembris, & ultima Decembris. primus inter Pontifices uſus eſt Mitra, quam alii deinde Pontifices exornaverunt; hinc in antiquis Pontificum imaginibus prior mitratus pingitur. ſub ipſo habitum eſt primum Concilium œcumenicum, Nicænum dictum, conſtans trecentis decem & octo Patribus, anno Chriſti 325. ubi

Clericus a Laico non accuſetur.

Hebdomadæ dies quare feriæ dictæ?

Mitra Pontificia.

PRIMUM CONCILIUM ŒCUMENICUM NICÆNUM.

ubi Arius condemnatus eſt; qui Chriſtum non ejuſdem, ſed ſimilis cum Patre ſubſtantiæ aſſerebat.

35. MARCUS Romanus inſtituit ut Epiſcopus Oſtienſis, a quo Romanus Pontifex conſecratur, pallio uteretur, quod Archiepiſcoporum ornamentum eſt: apud Græcos tamen omnes Epiſcopi Palliis utuntur; quod unde ſit, vide infra in Joanne undecimo. Pallium ſummi honoris index, Poteſtatis Eccleſiaſticæ plenitudinem deſignat; eſtque præcipuum Romani Pontificis inſigne, quo in Miſſarum ſolemniis ſemper & ubique utitur: ab ipſo Metropolitanis impertiri ſolitum, qui illo nec ſemper, nec ubique utuntur; quoniam vocati ſunt in partem ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis. ſicut olim ſummi Sacerdotis Hebræorum amiculum erat ſuperhumerale, ita in Chriſtianæ Religionis ſacerdotio, genus illud indumenti, quod Pallium dicitur, ſummi tantum Pontificis ceſſit uſui; ab eo tamen compluribus Epiſcopis magna ex cauſa communicatum: hoc ſuperjacet Planetæ, ſeu Caſulæ dum Pontifex ſacra facit. cur Pallium

Pallium ornamentum Archiepiſcoporum Latinorum, apud Græcos omnium Epiſcoporum.

Quare fiat Pallium ex Lana. ex lana ovium vel agnorum confici ſoleat, non ex lino, aut byſſo? Iſidorus Peluſiota rationem reddit: *hoc* inquiens *amiculum, quod ſummus Sacerdos humeris geſtat, ex lana, non ex lino aut byſſo contextum, ovis illius, quam Dominus aberrantem quaſivit, inventamque humeris ſuis ſuſtulit, pellem deſignat. Epiſcopus enim, qui Chriſti typum gerit, ipſius munere fungitur, atque ipſo etiam habitu illud omnibus oſtendit, ſe boni illius Paſtoris imitatorem eſſe, qui gregis infirmitates ſibi ferendas propoſuit.* vide quid Cœremoniale Romanum ait: *Conſecratio Romani Pontificis, ſecundum antiquas Patrum conſtitutiones, ſolebat ſpectare ad Epiſcopum Oſtienſem, qui etiam Pallio in ea conſecratione utebatur, aſſiſtebant ei Portuenſis & Albanenſis Epiſcopi. ſed ad tollendas contentiones, jam pridem introductum eſt, ut prior Epiſcoporum Cardinalium, cum duobus ex ſenioribus Epiſcopis id munus obire debeat: ſicque noſtris temporibus ſervari videmus, ut non habeatur ratio Eccleſiarum, ſed prioritatis Epiſcopalis.* Pallia autem texuntur Romæ in Monaſterio S. Agnetis, ubi aluntur ſingulis annis agni gemelli, quos Pontifex illac in ſupplicatione publica tranſiens, a Monialibus adfe-

Conſecratio Romani Pontificis antiqua, & moderna.

Ubi & a quibus Pallia texantur.

ne-

neſtram oblatos benedicit, ex quibus occiſis deſumitur lana ſic benedicta; ex qua Moniales iſtæ Pallia contexunt; quæ deinde ponuntur ſuper Corpus S. Petri, unde Papa ea deſumit, & mittit Archiepiſcopis. Chriſtophorus Marcellus Archiepiſcopus Corcyrenſis, olim Xyſti IV. Præfectus Cæremoniarum, & priſcus auctor Rituum Eccleſiaſticorum, tribuit primam Pallii inſtitutionem Lino Petri ſucceſſori; ex Euſebio Cæſarienſi, ſermone de Epiphania. vide ſupra in Lino. Statuit Marcus ut recitato Euangelio in Miſſa, Symbolum Nicænum a Clero & a Populo decantaretur. vixit in Pontificatu tantum menſes octo, ſub Conſtantino Magno Imperatore, qui duas a Marco dedicatas Baſilicas magnis muneribus exornavit. vide Breviarium Rom. 7. Octobris.

Pallii Inſtitutor.

Symbolum Nicænum in Miſſa poſt Euangelium.

36. JULIUS (*a magno demiſſum nomen Julo*, uti Virgil. Æneid. 1. Aſcanius Æneæ filius Julus dicebatur a tenera lanugine, ſive prima barba, quæ græce ἴουλος dicitur) initio ſui Pontificatus, nempe anno Chriſti 336. Conſtantino Magno vita functo, Imperii 31. ætatis 66. con-

Mors Conſtantini Magni.

gregatis Romæ 116. Epiſcopis OEcumenicam Synodum Nicenam confirmavit, damnatamque hæreſim Arianam nova excommunicatione proſcripſit. anno dein Chriſti 340. Julii quarto, Athanaſius Romam venit, ut adverſariorum accuſationibus & calumniis reſponderet; qui vocati & citati, ac per ſeſquiannum expectati non ſunt auſi comparere; quo tempore Athanaſius in Urbem invexit Ægyptiorum Monachorum inſtitutum, vitamque Antonii Magni, quam ipſe conſcripſerat. idem Romæ cum eſſet, illud quoque inſigne fidei ſuæ reliquit Occidentalibus monumentum, nempe *Symbolum*, quod huc-uſque *Athanaſii* nomine in Eccleſia recitatur, per quod ipſe ſe Athanaſium, id eſt immortalem omnibus Orthodoxis reddidit. Conſtituit Julius, ut nullus Clericus cauſam quamlibet in publico ageret, niſi in Eccleſia per Notarios ſtipularetur: & ut omnium monumentorum in Eccleſia confectio per Primicerium Notariorum celebraretur: ſive ut alii dicunt, mandavit omnia ad Eccleſiam pertinentia, ut legitime fierent, per Notarios exacte conſcribi, & a Primicerio Notariorum ſive Proto-

Inſtitutum Monachorum Antonianorum.

Symbolum Athanaſii.

Clericus publice cauſam agere niſi cum Eccleſiæ notitia non poteſt.

Monumenta Eccleſiæ per Protonotarios approbata.

no-

notario comprobari. de ipſo narrat Martyrol. Rom. 12. Aprilis: *Romæ via Appia Natalis Sancti Julii Papæ, qui adverſus Arianos pro fide Catholica plurimum laboravit, ac multis præclare geſtis, ſanctitate celebris quievit in pace.* fuit Julius Romanus, annos quindecim & aliquot menſes Romæ ſedit: licetque Oriens univerſus Arianorum procellis ſuo tempore exagitaretur, Occidentalis tamen Eccleſia ſumma fruebatur tranquillitate: verum ſub ſequenti Pontifice non ita manſit.

37. LIBERIUS item Romanus, & totidem annorum Pontifex: idem latine, quod græce Eleutherius. ejus nomine inſignita fuit Eccleſia Romæ ab ipſo extructa in Monte Exquilino impenſis Joannis Patricii Romani: primum *Baſilica Liberii*; deinde *S. Mariæ ad Præſepe*, ob translata eo ex Bethleem ſacra Chriſti Incunabula; poſtremo Eccleſia *Sanctæ Mariæ Majoris*, atque *ad Nives* dicta. quamvis nihil de Liberio referatur in Martyrologio Romano, de ipſo tamen egregia fit mentio in Breviario, die quinta Auguſti: atque in Pontificum Catalogo no-

Eccleſia S. Mariæ Majoris, ſive ad Nives.

men ipſius littera S. prænotatur. nam propter fidem & veritatem Catholicam, quam adverſus Arianos tenebat, & propter Ariminenſem Conventum a ſectatoribus Arianæ hæreſis Arimini, Civitate Flaminiæ coactum (ubi multa callide diſputata fuerunt, & negabatur Chriſtus cum Patre eſſe homouſios) ab illo aperte impugnatum & rejectum (uti Breviarium in lectionibus de Sancto Damaſo 11. Decembris) inſtigantibus Arianis, & eorum fautore Imp. Conſtantio in exilium actus, ejuſque loco Felix ſecundus ſuffectus eſt. inter alia ordinavit Liberius, quod diebus jejuniorum nullæ lites, nulleque contentiones eſſe debeant, ſed in Dei laudibus, & opere neceſſario perſiſtendum: arguitque eos qui tempore Quadrageſimæ debita a creditoribus exigunt, juxta illud Iſaiæ 58. *Ecce in diebus jejunii veſtri debitores veſtros expetitis, ecce ad lites & contentiones jejunatis.* & diebus iſtis ſacratiſſimis abſtinendum eſſe ſtatuit a conjugiis, & caſte ac pie vivendum, ut ſanctificato corde & corpore dies iſti tranſigantur, donec perveniatur ad diem ſanctum Paſchæ; quia nihil pæne valet jejunium, quod conjugali

Ariminenſis Conventus.

Diebus jejunii & Quadrageſimæ a litibus & conjugiis abſtinendum.

ope-

opere polluitur, & quod orationes, vigiliæ & eleemoſynæ non commendant. unde *tempus clauſum*, quod vocant, quando nuptiæ celebrari non poſſunt, originem trahit. Illum Ambroſius l. 3. de Virgin. ſanctæ memoriæ virum, Baſilius Beatiſſimum, Epiphanius Beatum nominant; tantum abeſt ut pro hæretico eum aliqui habuerint. imo reperitur memoria Liberii in Martyrologio Bedæ die 24. Septembris recenſita inter alios Sanctos. qui, ſi quid externo actu per metum aliquando in gratiam Arianorum feciſſe videatur, certum tamen eſt, nunquam illum aut hæreſim docuiſſe, aut hæreticum extitiſſe: & ſi quam maculam olim exul Arianorum ad tempus communione contraxit, poſteriore confeſſione in Synodo apud civitatem Ariminum legitime habita; ubi antea Pſeudo-Synodus ab Arianis coacta fuerat, prorſus delevit. *Tempus clauſum.*

38. FELIX Secundus, licet ingreſſus ejus ad Pontificatum fuerit vitioſus; quod vivente adhuc Liberio, ab Arianis, & fautore eorum Conſtantio Conſtantini magni filio intruſus fuiſſet: SCHISMA SECUNDUM. *Felix 2. contra Liberium, qui defuncto Liberio legitime ſedit.*

ſet; mortuo tamen Liberio, legitime confirmatus fuit; imo ab ipſo Conſtantio Imperatore Ariano, quem legitimus jam Pontifex ut hæreticum damnaverat, ob Catholicæ Fidei confeſſionem e Sede ſua dejectus, Cære in Tuſcia occulte gladio necatus, glorioſe occubuit. ejus corpus inde a Clericis raptum, Romæ via Aurelia ſepultum, poſtea ad Eccleſiam SS. Coſmæ & Damiani delatum; tandem anno 1582. ſub Gregorio decimotertio ibi repertum eſt, ſub altari reconditum, cum hac inſcriptione: *Corpus ſancti Felicis Papæ, qui damnavit Conſtantium*. vide Martyrologium Romanum 29. Julii, qua die ipſius memoria tenetur; & notas Baronii ibidem. fuit Felix Romanus, unoque anno & tribus menſibus legitime ſedit.

39. DAMASUS Primus Hiſpanus, ex Luſitania, latine domans vel domitus reddi poſſit, a δαμάζω domo, unde adamas lapis pretioſus, præ duritie indomabilis. Breviarium Romanum 11. Decembris ait, quod fuerit vir egregius & eruditus, qui proſa & verſu ſcripſit de virginitate, multaque alia metro edidit:

Damaſus Poeta.

ac

ac Platoniam (vide Onomaſticon) Petri & Pauli exornavit elegantiſſimis verſibus. Vitæ Pontificum Romanorum, quas Anaſtaſius Bibliothecarius continuavit, ipſius nomine circumferuntur: at vero multi non ipſius hoc ſcriptum, ſed Damaſi Portuenſis Epiſcopi eſſe volunt; nam ſtylum Damaſi Papæ diſſimilem, & multo nitidiorem eſſe, apparet ex Epiſtolis quas ad Hieronymum dedit: & ipſe Hieronymus, cum alia ab ipſo ſcripta narrat in Epiſtola ad Dextrum Prętorio Præfectum, nullam prorſus mentionem facit editi ab eo libelli de vitis Pontificum urbis Romæ. Inter alia pœnam talionis conſtituit iis qui alium falſi criminis accuſaſſent; idque ea occaſione contigit: cum in Clero Romano orta eſſet diſſenſio ex ſubſtitutione Felicis deceſſoris, parte adverſa indigne ferente, hunc Damaſum, qui erat ex communione Felicis, electum eſſe in Pontificem; Urſicinus Diaconus creatus fuit Antipapa: ſed cum deinde Damaſi electio legitima agnoſceretur, ſchiſmatici ad falſas accuſationes converſi, ſanctiſſimum virum adulterii accuſarunt; verum probata ejus innocentia, Concordius & Cal-

Vitæ PP. non Damaſi Papæ, ſed Damaſi Portuenſis Epiſcopi.

Pœna talionis.

SCHISMA TERTIUM. *Urſicinus contra Damaſum.*

Calliſtus Diaconi calumniatores ab Eccleſia fuere dejecti, lata lege Talionis contra falſos delatores: duravit vero ſchiſma tredecim menſibus, quando Urſicinus ſe Pontificatu abdicavit, factuſque fuit Epiſcopus Neapolitanus. ſtatuit Damaſus, ut quod jam a Pontiano Papa ſtatutum pluribus locis erat in uſu, Pſalmi per omnes Eccleſias die noctuque ab alternis canerentur, & in fine cujuſque Pſalmi adderetur, *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto*. extinxit Chorepiſcopos, eo quod ipſi per inflationem ſe Epiſcopis ſimilare vellent. vide Onomaſticon in voce Epiſcopus. dicitur inſtituiſſe Feſtum Aſſumptionis B. M. Octavam ejuſdem poſtea inſtituit Leo quartus. ſub ipſo habitum eſt Concilium OEcumenicum ſecundum 150. Patrum, Conſtantinopoli, anno Chriſti 381. contra Macedonianos Spiritum ſanctum Deum negantes. gubernavit Eccleſiam egregie annos decem & ſeptem.

Gloria Patri &c. in fine Pſalm. Chorepiſcopi extincti.

SECUND. CONCIL. ŒCUMENICUM CONSTANTINOPOL.

40. SIRICIUS, Romanus, annorum tredecim Pontifex, fertur auctor partis Canonis: *Communicantes & memoriam venerantes*: Monachos ad Clerum accerſiri, & ad

Communicantes & memoriam venerantes.

ad Ordines ſacros promoveri poſſe permiſit (antea enim nec ipſi Abbates erant ſacerdotes, uti SS. Antonius, & Hilarion, imo aliqui Benedictum ſacerdotem non fuiſſe volunt) Ordineſque interpolari, non omnes una ordinatione dari voluit. Bigamum, & qui viduam duxiſſet, ſacerdotem fieri prohibuit. ſtatuit ut Baptiſmus non celebretur niſi in Paſchate & Pentecoſte; quod intelligendum de iis qui adulti baptizabantur: eratque hoc apud antiquos uſitatum, ut baptiſmus cum celebritate conferretur, uti patet ex Miſſæ Canone infra Octavam Paſchatis & Pentecoſtes: *Hanc igitur oblationem quam tibi offerimus pro his quoque quos regenerare dignatus es ex aqua & Spiritu ſancto &c.* quod duravit uſque ad tempora Caroli Magni, circa annum Chriſti 800. Sirius eſt ſtella in ore canis dicta a σιέρειν ſiccando; nomen Siricius huic Pontifici conveniebat, quia ſiccus & tardus erat in extinguenda hæreſi Origenis; cui ſequens Pontifex egregie ſe oppoſuit, ita ex Hieronymo, Alphonſus Ciaconius.

Monachi ad ſacros Ordines admiſſi.

Bigami irregulares.

Solemnitas Baptiſmi, in Paſchate & Pentecoſte.

41. ANASTASIUS Primus, Romanus, annorum 4. Pontifex, vir ditiſſimæ paupertatis, & apoſtolicæ ſollicitudinis, quem, ut S. Hieronymus ait, Roma diu habere non meruit, ne orbis caput ſub tali Epiſcopo truncaretur: nam haud multo poſt ejus obitum, Roma a Gothis capta atque direpta fuit. ita Martyrologium 27. Aprilis. cavit ne ullus corpore defectuoſus ſacris ordinibus initiaretur: neve peregrini ordinarentur, niſi a proprio Epiſcopo chirographum ſignatum exhiberent; unde *Litteræ Dimiſſoriales*. ſtatuit ut ad recitationem Euangelii, ad majorem reverentiam & attentionem verbo Dei, & promptitudinem ad illud opere exequendum demonſtrandam, ab omnibus ſtaretur, etiam a Presbyteris; quod illis nominatim hac occaſione injunctum fuit: cum Diaconi ob temporalium Eccleſiæ bonorum adminiſtrationem apud populum eſſent in magna æſtimatione, ipſiſque ſe comparare, imo præferre inciperent Presbyteris; hi ad dignitatem ſuam tuendam, volebant, ut ipſis ſedentibus Diaconi ſtarent; reſque eo proceſſit, ut

Corpore defectuoſi non ordinandi.

Litteræ dimiſſoriales.

Ad Euangelium ab omnibus ſtandum.

ut Diaconis ſtantibus, & Evangelium cantantibus, Presbyteri manerent ſedentes: contra quem abuſum Anaſtaſius edito decreto, non tantum populum, ſed etiam Presbyteros ſtare juſſit; nomen huic juſſo non incongruum habens; nam Anaſtaſius latine reſurgens dicitur, ἀνάστασις reſurrectio.

42. INNOCENTIUS Primus, Pelagio & Cæleſtio damnatis, contra eorum hæreſim decretum fecit, ut parvuli ex chriſtiana etiam muliere nati, per Baptiſmum renaſci deberent: *Ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt*. Probavit ut Sabbato jejunium ſervaretur, ob memoriam ſepulturæ Chriſti Domini, ac triſtitiam B. Virginis, & Apoſtolorum. ordinavit ſervari Hoſtiam conſecratam in diem Paraſceves. auctor eſt *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*, & pacem omnibus dari juſſit in Miſſa; de quo ita reſcripſit; *Pacis oſculum dandum eſt poſt confecta myſteria, ut conſtet populum ad omnia quæ in myſteriis aguntur, atque in Eccleſia celebrantur, præbuiſſe conſenſum, ac finita eſſe pacis concludentis ſignaculo*. quia vero per illud pacis oſculum neſcio quid la-

Anno Christi 400.

Baptizandi parvuli quare?

Jejunium in Sabbato.

S. Hoſtia ſervanda in diem Paraſ.

Pax Domini, & Pacis oſculum in Miſ.

Tabella pacis.

laſcivi interdum obrepebat; ordinata fuit *Tabella pacis*, quæ cuique daretur oſculanda, præterquam ſacerdotibus, qui adhuc in choro ſe invicem ſalutant in oſculo pacis, dicendo *Pax tecum*. Noluit, ut Eccleſia ſemel conſecrata amplius conſecraretur: cenſuit, ut ſi Clericus ſine proprii Epiſcopi conſenſu eſſet ordinatus, ejus ordinatio fieret irrita: declaravitque quod Epiſcopi, qui præbendas & dignitates, vel Sacramenta, ut puta Oleum ſanctum, Chriſma, conſecrationes altarium &c. venderent, pro Simoniacis punirentur. ſcripſit B. Auguſtino, quod plus communibus, & publicis Eccleſiæ orationibus, quam ſingularibus & privatis proficere poterimus: ipſius ætate Sanctus Hieronymus quoque floruit, qui de ipſo ita ad Demetriadem ſcripſit: *Sancti Innocentii, qui Apoſtolicæ Cathedræ, & beatæ memoriæ Anaſtaſii ſucceſſor eſt, teneas fidem &c.* vide Breviarium Romanum 28. Julii. fuit Italus Albanenſis, annorum quindecim Pontifex.

Eccleſia bis non conſecranda.

Clerici ſine conſenſu ſui Epiſcopi non ordinandi.

Sacramenta & Præbendas vendere, ſimoniacum eſt.

Publicæ orationes meliores privatis.

Servi & ſpurii non Ordin.

43. ZOSIMUS ſervis & ſpuriis Clericatum, Clericis tabernas interdixit. Sabbato ſan-

ſancto Cereum magnum benedici conſtituit, in honorem Reſurrectionis Chriſti, qui in Paſſione quaſi extinctus, novo lumine in Reſurrectione refulſit. alii dicunt quod conceſſit licentiam Parochiis benedicendi Cereum Paſchalem, quam majores duntaxat Baſilicæ habebant: quod autem mos benedicendi Cereum iſtum fuerit ante Zoſimum, patet ex Prudentio Poeta Chriſtiano, qui uno ſæculo Zoſimum præcedens, cecinit hymnum de Cereo Paſchali. & Martinus Polonius Theodorum primum, anno 643. auctorem faciens, plane uti in pluribus errat. vigebat tunc conſuetudo cantandi omnes Miſſas: abbreviatio earum, & ſubmiſſa voce recitatio fluxit ab indevotione & impatientia populi. ſanctus perhibetur in Martyrologio 26. Decemb. fuitque Græcus, prout nomen Ζώσιμος, latine vitalis, Ζων vita; unius tamen tantum anni Pontifex.

Clericis taberna interdicta. *Cereus Paſchalis.* *Miſſæ omnes prius cantabantur.*

44. BONIFACIUS Primus, quinquennis Pontifex Romanus, in lege doctiſſimus, & vetus Presbyter, poſt unum diem a Zoſimi obitu invitus ac reluctans eligitur: & contra illum Eulalius Ar-

SCHISMA QUARTŪ. *Eulalius contra Bonifacium.*

Archidiaconus, favente Symmacho Urbis præfecto, intruditur. re ad Imperatorem Honorium delata; propter dies qui imminebant S. Paſchatis, Imperator negotium differens, utrumque urbe juſſit abſtinere; & Spoletinum Epiſcopum Romæ ſacra celebrare: cum autem Eulalius temere ſe in urbem intruſiſſet, & publicæ ſeditionis præbuiſſet occaſionem, Honorius eum, Clericoſque ei communicare præſumentes urbe juſſit expelli, Bonifacium vero in urbem deduci, & tamquam legitimum Papam regere Eccleſiam. inſtituit Bonifacius feria quinta in Cœna Domini cantari *Gloria in excelſis Deo*: quia gaudium eſt eo die ob inſtitutionem venerabilis Sacramenti. extatque decretum ejus de ætate Presbyterorum, nè ante trigeſimum ætatis annum, uti Fabianus ſtatuerat, ordinentur. neque tantum ſervos & ſpurios, uti deceſſor Zoſimus, & anteceſſor Anaſtaſius debiles & claudos, ſed etiam debitis intricatos a Sacris arcuit. *Sanctorum Vigiliæ* ab hoc Pontifice ſublatæ ſunt, retento tantum nomine cum jejunio. cur autem ſuſtollendæ eſſent, narrat inter alios Auguſtinus ſermone 115. de diverſis: *Iſtum tam ſan-*

Gloria in excelſis in Feria quinta in Cœna Dom.

Debitis intricati non ordinandi.

Vigiliæ ſublata retentis jejuniis.

ſanctum locum, ubi jacet ſancti Martyris Corpus, invaſerat peſtilentia & petulantia ſaltatorum; per totam noctem hic cantabantur nefaria, & a cantantibus ſaltabatur: & cætera pejora quæ fiebant. de Bonifacio hoc Martyrologium 25. Octobris facit mentionem.

45. CÆLESTINUS Primus, a quo, in tertio Concilio OEcumenico, Epheſi anno 430. a ducentis Patribus celebrato, Neſtorius damnatus, & Diva Virgo Θεοτόκος, id eſt Deipara, dicta eſt, qui illam quidem dicebat Chriſtotocon: non tamen Theotocon (vide Onomaſticon) unde magna in Catholicis pietas erga B. Virginem Deiparam excitata, templa in ejus honorem erecta, & tunc primum ad Salutationem Angelicam additum fuit: *Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis &c.* inſtituit Pſalmum *Judica me Deus* ante Miſſam a Sacerdote dici: inſeruit Miſſæ *Introitum*, *Graduale*, *Tractum*, *Offertorium*, *Communionem*. quod autem diſcrepent hìc Pſalmorum verſiculi a vulgari nonnumquam editione, fit ex vetuſtiſſima illa ſacrorum Bibliorum verſione, quæ etiam ante S. Hierony-

TERTIUM CONCIL. OECUMENICUM, EPHES.

D. Virgo Θεοτόκος.

S. Maria Mater Dei ora pro nob.

Miſſæ. Pſal. Judica, Introitus, Graduale, Offertorium, Communio.

Cur Miſſæ Introitus

mi

diſcrepent a vulgari Pſalmorum editione:

mi tempora celebris habita eſt in Eccleſia; ex qua omnes fere Miſſarum Introitus, Gradualia, & Offertoria deſumpta ſunt. Cum ſolerent antiqui totum Pſalterium ante Miſſam præmittere; nunc ad minus Matutinum cum laudibus & aliis pſalmis præparatoriis præmittendum eſſe quis neget? Et Gavantus in commentariis Miſſalis, Titulo de præparatione Sacerdotis celebraturi ait: eſſe quidem auctores viginti, qui negent peccatum mortale, matutinum omittere; ſed & novemdecim, qui affirment. Atque hic Cæleſtinus inſtituit illos quinque Pſalmos præparatorios ante Miſſam; ut quidquid quinque ſenſuum tranſgreſſione commiſit Sacerdos, hoc modo detergat. ſeptem autem orationes quæ incipiunt, *Aurem tuam, quæſumus Domine*, & *Gratia ſancti Spiritus illumina cor noſtrum &c.* ſubjunguntur pro ſeptiformi gratia Spiritus ſancti impetranda. hinc non abſque ratione præſcribunt Rubricæ, ut Sacerdos celebraturus Miſſam, Matutino ſaltem cum Laudibus abſoluto, orationi aliquantulum vacet, & Pſalmos orationeſque ante Miſſam poſitas, pro temporis opportunitate

Matutinum & Laudes ante Miſſam dicendæ; antiquitus totum Pſalterium dicebatur.

Quinque Pſalmi præparatorii, & ſeptem orat. ante Miſſam.

tate dicat; cum antiqui toto Pſalterio prius recitato, ſolerent ad Miſſarum ſolemnia accedere. Cæleſtini meminit Martyrologium 8. Aprilis; fuit Romanus, octo annorum Pontifex.

46. XYSTUS Tertius ſimiliter Romanus, & totidem annorum Pontifex, in pauperes & ſacra ædificia profuſus, Baſilicam Liberii, quæ hodie S. Mariæ Majoris dicitur, & tunc S. Mariæ ad Præſepe vocabatur, ob translata eo ex Bethleem Incunabula Chriſti, reſtituit; atque ab hoc Xyſto, etiam Xyſtiana dicta fuit. Huic Pontifici Eudoxia Eudociæ filia catenam detulit qua S. Petrus ab Herode vinctus fuerat; quam a matre acceperat, quæ illam Hieroſolyma attulerat; illique monſtravit Xyſtus alteram catenam, qua Nerone Imperatore idem Apoſtolus conſtrictus fuerat: quibus collatis, factum eſt, ut illæ inter ſe ita connecterentur, ut non duæ ſed una catena ab eodem artifice confecta eſſe videretur; uti tacito Pontificis nomine narratur Kalendis Auguſti in Breviario Romano. qui Xyſtus inſtituit feſtum iſtud S. Petri ad vincula.

Baſilica S. Mariæ majoris, ad Præſepe, & Xyſtiana dicta.

Feſtum S. Petri ad vincula.

Ba-

Baronius in notis ad Martyrologium 28. Martii ait, quod res ejus geſtæ ſint ampliſſimæ, quæ volumine prægrandi potius, quam brevi annotatione indigeant; & 5. Auguſti, quod Adrianus Papa ad Carolum magnum de eo ſcribat: Xyſtus Papa ſucceſſor Cæleſtini refecit Baſilicam Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, cognomento Majorem, quæ & Præſepe dicitur, & ipſe tam in metallis aureis, quam in diverſis hiſtoriis, eam ſacris decoravit Imaginibus. ita Adrianus apud Baronium ad annum 808.

Orate fratres.

Incenſatio oblatorum, Sanctum Sacrificium, Immaculatam Hoſtiam.

Ite miſſa eſt.

Benedicamus Domino.

Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis miſerere nobis.

47. LEO Primus, ob excellentiſſimum doctrinæ, & curæ Paſtoralis ſtudium Magnus dictus, auctor eſt *Incenſationis oblatorum*, *Orate fratres*, *Hanc igitur*, *Sanctum Sacrificium, immaculatam hoſtiam*, *Ite Miſſa eſt*, *Benedicamus Domino*. ipſius tempore per miraculum, quod contigit Conſtantinopoli, cœpit uſurpari Triſagion *Sanctus Deus*, *Sanctus fortis*, *Sanctus immortalis miſerere nobis*: ubi illa verba græce proclamabantur, quo idiomate apud nos adhuc in die Paraſceves proferuntur. Contigit autem hoc modo miraculum: anno hujus Leonis ſeptimo, ingens

gens terræ motus per ſex menſes variis in locis concitatus eſt, quo urbes plurimæ & muri Conſtantinopolitani cum 77. turribus corruerunt; ac fames & peſtifer aer multa millia hominum & jumentorum delevit: cum Theodoſius Imperator una cum Patriarcha Proclo, univerſoque populo præ metu ruentium ædificiorum, extra urbem habitarent; ac die quadam motu vehementius graſſante, cuncti ſimul ex intimo corde miſericordiam divinam implorarent, & clamarent Kyrie eleiſon; ſuperna repente vi puer, ſpectantibus omnibus, de media turba extra viſum hominum raptus, rurſumque per aerem priore via in eumdem locum demiſſus, multitudini ſupplicationibus intentæ retulit, ſe audiviſſe decantatum hoc ab Angelis Triſagion: *ἅγιος ὁ θεός, ἅγιος ἰσχυρός, ἅγιος ἀθάνατος, ἐλέησον ἡμᾶς*. utque omnes eodem modo concinerent hortatus eſt; quo dicto animam Deo puer reddidit. ubi vero populus jubente Proclo Triſagion ad eum modum decantare cœpit, motus terræ continuo ceſſavit: quo miraculo commoti Theodoſius Imperator & Pulcheria Auguſta Conſtitutione Im-

Terræ motus vehemens per ea verba ſopitus.

Triſagion.

periali decreverunt, ut per totum orbem hymnus iſte divinus concineretur. Colitur S. Leo ab Eccleſia 11. Aprilis, deque ipſo in lectionibus ſecundi Nocturni narratur, quod ſepulchris Apoſtolorum cuſtodes adhibuerit, quos Cubicularios appellavit: quodque in tribus Baſilicis Cameras extruxerit, id eſt, ſacella vel ſacraria. quid ſint Cubicularii, & Cameræ, vide latius in Onomaſtico. Fuit Leo Italus in Etruria natus, Canonicus Regularis, ſedit in Pontificatu annos fere 21. ſub ipſo habitum fuit Concilium quartum œcumenicum Chalcedonenſe, 630. Patrum, anno 451. contra Eutychen, Chriſtum ſolum Deum fuiſſe aſſerentem.

Cubicularii.

Cameræ.

QUARTŨ CONCIL. ŒCUMENICUM CHALCE.

48. HILARIUS opum neglectu, & conſiliorum magnitudine inter ſublimes Pontifices effulſit, agendo quæ ad optimum Pontificem pertinent, tum in extruendis templis, iiſque ornandis ac dotandis, tum etiam docendo, admonendo, caſtigando, eleemoſynaſque copioſas, ubi opus erat, largiendo: conſtituit, ut nullus literarum inſcius in Clericum ordinaretur, prohibuitque, ne

Illiterati non fiant Clerici.

ne Epiſcopi ſibi deligerent ſucceſſores, & ne ullus ordinetur Epiſcopus ſine conſenſu Metropolitani. ſub ipſo ſolemnes ante Aſcenſionem Domini triduanas Litanias, quas ſanctus Mamertus Epiſcopus Vienenſis in Gallia inſtituerat, univerſalis Eccleſia recipiens comprobavit. de quo vide Martyrologium 11. Maii. & nota quod S. Mamertus eas non abſolute, ſed in Galliis tantum inſtituerit: quia ante Auguſtinum eæ fuerunt, qui & de iis tractat; uti notat Baronius ad 25. Aprilis. Hilarii meminit Martyrologium 10. Septembris. Fuit ipſe Sardus, annorum fere ſeptem Pontifex, nomen a Græco eſt ἱλαρὸς, latine hilaris, lætus: ἱλαρέω exhilaro: ab aliquibus etiam Hilarus ſine i, nominatur.

Epiſcopi, ſucceſſores non ſtatuant: nec ſine conſenſu Metropolitani ordinentur.

Rogationes ante aſcenſionem Domini.

49. SIMPLICIUS vetuit Clericos recognoſcere Beneficium a Laicis: Epiſcopum male dividentem redditus Eccleſiaſticos adminiſtratione prorſus interdixit. Oblationes fidelium tripartito dividendas eſſe præcepit; ut Epiſcopo & Clero una portio cedat; duæ reliquæ in Eccleſiæ fabricam, & pauperes ac peregri-

Clerici a Laicis recognoſcere nō debent beneficia.

Oblationes quomodo dividendæ.

nos

Ordines ſacri initio tantum in Sabbato 4. temporum Decembris conferebantur:

nos erogentur. Notandum quod in ſabbato quatuor temporum menſis Decembris tantum habitæ fuerint Ordinationes a S. Petro uſque ad hunc Simplicium, qui deinde Sabbato quatuor temporum Quadrageſimæ Ordines ſacros contulit; & ſecundus ejus ſucceſſor Gelaſius extendit Ordinationes ad alia quatuor tempora: fiuntque in Sabbato tantum; quia a Deo illud eſt ſanctificatum, ut ordinandi etiam ſanctificentur. quod fierent autem antiquitus menſe Decembri tantum, uti paſſim conſtat ex lectionibus Breviarii de Pontificibus; ideo erat, ut nimirum cum Chriſto naſcente tunc ordinandi ab Eccleſia gignerentur. ita Amalarius. fuit Simplicius Italus Tiburtinus, per annos quindecim Pontifex, habetur in Martyrologio 2. Martii.

Cur in Sabbato, & cur menſe Decembri.

50. FELIX Tertius, qui Sancti Gregorii Magni atavus fuit: de quo is refert, quod ſanctæ Tharſillæ nepti apparens, illam ad cœleſtia regna vocavit; uti Martyrol. 25. Febr.: conſtituit, ut Eccleſiæ non niſi ab Epiſcopis conſecrarentur. ſub hoc Felice Pontifice, & Zenone Imperatore, poſt

Eccleſiæ non niſi ab Epiſcopis conſecrandæ.

poſt trinam revelationem inventum eſt Corpus Sancti Barnabæ in Inſula Cypro, ad cujus pectus erat Euangelium S. Matthæi Barnabæ manu conſcriptum, lignis Thyinis (vide Onomaſticon) compactum. paulo poſt Zeno Imperator morbo comitiali correptus, dum mortuus creditur, vivus ſepultus eſt: & merito, cum infida fuerit hæretici hominis fides, qui non ad pietatem ſed ad regni ſtabilitatem ſe Catholicum mentiretur. fuit Felix Romanus ex nobili Aniciorum proſapia, Canonicus Regularis, annis novem in Petri Cathedra ſedit.

Inventio Corporis S. Barnabæ & Euangelii S. Matthæi.

Zeno Imperator epilepticus vivus ſepultus.

51. GELASIUS Primus, diſcipulus ſancti Auguſtini, declaravit libros S. Scripturæ quinam ſint Canonici, quinam Apocryphi. Ordinum collationem, quæ antiquitus tantum fiebat menſe Decembri, & ab anteceſſore Simplicio facta fuerat in Quadrageſima, reliquorum quatuor temporum Sabbatis attribuit. voluit ne ullus bigamus ad ſacros Ordines, niſi de licentia Sedis Apoſtolicæ promoveretur: item nullus membro mutilatus, aut carens oculo (quod poſtea ad oculum

Libri Canonici S. Scrip.

Ordinationes in Sabbatis omniū 4. temporum.

Membro mutilatus, aut oculo carens irregularis.

Corpus Chriſti ſine ſanguine non conſecrandum.

Canonis, ſive ſiniſtrum, reſtrictum fuit) Presbyter ordinaretur. Mandavit item Sacerdotibus ne unquam ſacrum Chriſti Corpus ſine Sanguine conficerent, nec ulla conſecratio fieret extra Miſſam. auctor eſt Gelaſius decem Miſſæ Præfationum, quæ ſunt: 1. Præfatio Communis, 2. de Nativitate, 3. de Epiphania, 4. de Quadrageſima, 5. de S. Cruce, 6. de Reſurrectione, 7. de Aſcenſione, 8. de S. Spiritu, 9. de SS. Trinitate; 10. de Apoſtolis: quas & ad cantum aptavit. Præfationis de B. Maria auctor eſt Urbanus ſecundus, de quo vide infra. ſub hoc Gelaſio contigit Apparitio S. Michaelis in monte Gargano, de qua die octava Maii. de ipſo autem Martyrologium 21. Novembris: *Romæ S. Gelaſii Papæ doctrina & ſanctitate conſpicui*. fuit Gelaſius, uti Auguſtinus, Afer, annorum quatuor, & menſium fere novem Pontifex: nomen Gelaſius Græcum, latine ridens ſonat, γελάω rideo.

Undecim in Miſſis præfationes.

Apparitio S. Michaelis.

52. ANASTASIUS Secundus, ſive Junior, ratum habuit Baptiſmum ab Hæretico datum; & Ordinationem colla-

latam ab Epiſcopo ſuſpenſo; dummodo utantur forma Eccleſiæ Catholicæ conſueta, ſic ſcribens: *Quod mali miniſtrando ſibi tantummodo noceant, non Eccleſiæ Sacramenta commaculent; nec eos qui per hæreticos ſunt baptizati, aut ordinati, portio læſionis attingat.* fuit Anaſtaſius Romanus annis fere duobus, minus 8. diebus Pontifex.

Ordinatio ab Epiſcopo ſuſpenſo eſt valida.

53. SYMMACHUS die quarto eligitur: ſed eodem die fit quintum in Eccleſia ſchiſma, per intruſum quemdam Laurentium; qui in S. Mariæ, via nova, Symmachus autem in Conſtantiniana Baſilica ordinatus fuit: qua ex cauſa ſeparatus eſt Clerus, & diviſus Senatus. ſed ſchiſmaticis ſuperatis, Symmachus pauperum & maxime Clericorum amator & ſuſtentator conſtituit diebus Dominicis & Natalitiis Martyrum cantari *Gloria in Excelſis Deo*: quod antea fecerat Teleſphorus, ſed ſine hac feſtorum reſtrictione. arcuit hic legitimus Pontifex Laicos, etiamſi reges, ab electione Pontificis, iiſque de rebus Eccleſiæ diſponendis poteſtatem abrogavit. conſultus a Cæſario Arelatenſi Epiſcopo anno 502. reſpondit

Anno Christi 500.

Schisma quintũ.

Laurentius contra Symmachum.

Gloria in Excelſis tantum in Feſtis.

Laicis de rebus Eccleſiæ diſponere non licet.

poſſeſſiones dari poſſe ad tempus Clericis; unde Beneficiorum Eccleſiaſticorum origo cœpit; cum antea ſtipe accepta victitarent Clerici: quod aliqui ex almutiis perperam probare conantur, quæ ſaccum ſive manticam ſuperius referunt, & lingua Teutonica *Aelmoeſſe* eleemoſynam ſonat, vide Onomaſticon in voce *Almutia*. de ipſo Martyrolog. 19. Julii: *Romæ ſancti Symmachi Papæ, qui ſchiſmaticorum fatigatione diutius fatigatus, demum ſanctitate conſpicuus migravit ad Dominum.* fuit Sardus, ultra quindecim annos Pontifex, nominis ſui etymon egregie explens; quod Græce σύμμαχος; latine ſimul pugnans, ſive contendens ſonat.

Origo Beneficiorum Eccl.

54. HORMISDA ab ὁρμίζω, id eſt navem in portum duco; quod reapſe præſtitit, Petri navem ſchiſmaticorum fluctibus agitatam in portum quietis perducens. de ipſo Martyrologium 6. Auguſti. huic Papæ Clodovæus Francorum Rex, ſub deceſſore Symmacho Chriſtianus factus, miſit Coronam auream gemmis ornatam: & S. Remigius Rhemenſis Epiſcopus ſcripſit ei congratulans

Clodovæus I. Franc. Rex Chriſtianus.

de

de Pontificatu; ad quem reſcripſit Papa, eumque Legatum Apoſtolicum Franciæ in omnibus conſtituit. Micrologus de Eccleſiaſticis obſervationibus cap. 8. ſic ſcribit. *Beatus Hormiſda a Sancto Petro quinquageſimus quartus Papa illum deponit, quicumque non ordinatus officium ordinati uſurpaverit. nihil autem obſtat quin Sacerdos inferiorum ordinum officia, ſi neceſſe fuerit, expleat, quem omnes inferiores obtinere conſtat: qui & in Miſſa ſacris veſtibus eſt indutus, ſine quibus juxta Romanum ordinem, miniſtrare non debemus.* Reliquit Hormiſda ex legitimo ante Papatum matrimonio filium Silverium nomine, qui ad Papatum, imo ad Martyrium deinde pervenit. fuit ipſe Italus in Campania natus, ſeditque annos 9.

Non ordinatus ordinati officium non uſurpet.

Sacerdos inferiora officia exercere poteſt.

55. JOANNES Primus, a Juſtino Seniore Imperatore ſummo excipitur honore; cum enim Conſtantinopolim tenderet, tam pro Religione Catholica, quam pro Regis Theodorici cauſa (cujus juſſu paulo poſt Ravennæ carceris pædore fameque conſumptus, Martyrum numero eſt adſcriptus; impius autem Theodoricus in ignem Liparita-

Occurſus & adoratio Papæ cum cereis & crucibus.

num, Vulcani Ollam dictum dejectus) occurrit ei civitas ad duodecimum milliare cum cereis & crucibus, & adoravit eum primus in terra Imperator; qui licet a Conſtantinopolitano Epiſcopo diadema accepiſſet, Papæ tamen manibus voluit coronari: & hic fuit primus Imperator a Romano Pontifice coronatus: quem ritum poſtea in conſuetudinem induxit Carolus Magnus; fuitque Joannes primus Romanorum Pontificum, qui Conſtantinopolim eſt profectus. Miracula quæ tunc edidit, vide in Breviario Romano 27. Maii. fuit ipſe Italus in Tuſcia natus, annorum duorum, & menſium novem Pontifex.

Prima coronatio Imperatoris Roman. a Papa.

56. FELIX Quartus Divis Medicis Coſmæ & Damiano Romæ templum dedicavit. ſcripſit ad Epiſcopos, Miſſam non debere celebrari niſi in ſacratis Deo locis, niſi magna compulerit neceſſitas: quoniam ſcriptum eſt Deuteronomii 12. *Vide ne offeras Holocauſtum in omni loco, quem videris; ſed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus.* ſicut enim non alii quam ſacrati Domino Sacerdotes debent ſacrificia offerre, ſic non in aliis

Non niſi in ſacratis Deo locis ſacrificandum.

quam

quam Domino ſacratis locis Miſſæ ſunt celebrandæ. Juxta doctrinam Beati Jacobi, & aliorum Apoſtolorum, mandavit infirmos ante obitum inungi Oleo ſancto. Ex epiſtola prima hujus ſancti Felicis Papæ Quarti leguntur Lectiones ſecundi nocturni, in die octava Dedicationis Eccleſiæ: & Gavantus in Præfatione Octavarii Romani ſic ait: *Sancivit Papa Felix hoc nomine Quartus, ut per octo dies dedicatio colatur Eccleſiarum; quam a Conſtantino edictam, & a Silveſtro per octo dies indictam, ſcribunt S. Athanaſius & Sozomenus*. Martyrologium 30. Januarii de ipſo refert, quod pro Eccleſia Catholica plurimum laboravit. Fuit Italus Beneventanus, anni quarti, uti nominis, Pontifex.

Extrema Unctio.

Octava Dedicationis Eccleſiæ.

57. BONIFACIUS Secundus ſive Junior, ſub contentione cum Dioſcoro ordinatur, ille in Baſilica Julii, hic in Conſtantiniana: Et fuit diſſenſio in Clero & Senatu diebus 29. quo tempore defunctus eſt Dioſcorus, & quievit ſeditio. Schiſmaticus hic adverſarius ſimoniæ infamatus fuit, eaque de cauſa poſt mortem a Bonifacio anathematizatus: abſolutus.

SCHISMA SEXTUM. *Dioſcorus contra Bonifacium 2.*

tus tamen poſtea ab Agapeto, ut injuſte damnatus. decrevit rurſum Bonifacius, quod & ante non ſemel ſtatutum fuerat, ne quiſpiam ſibi ſucceſſorem in Epiſcopatu deligeret; & ut in demortui locum alter Pontifex, ſi fieri poſſet, die tertia ſufficeretur, ne dilatio ſeditionem faceret. in epiſtola quadam oſtendit per Divinam Sapientiam optime conſtitutum, ut minores majoribus ſubdantur, & omnes Epiſcopi Epiſcopo Romano: quare gradus diverſos & ordines diſtinctos conſtituit, ut dum reverentiam minores potioribus exhibent, & potiores minoribus dilectionem impendunt, vera concordia ſervetur. Nota quod *hic* Bonifacius Secundus, ſit primus inter Pontifices Romanos, de quibus nihil habetur in Breviario, aut Martyrologio Romano, uti ſequentes duo Joannes & Agapetus: obiitque Bonifacius hic origine Romanus anno Pontificatus, uti nominis, ſecundo.

Juſtinianus Imperator collector legum.

58. JOANNES Secundus, honorificam legationem accepit ab Imperatore Juſtiniano cum ingentibus donis auri & argenti, ac gemmarum, addita

dita confeſſione Fidei in ſcripto ſub chirographo proprio Imperatoris. fuit hic Juſtinianus, qui leges ſparſas & incompoſitas in ordinem ad utilitatem hominum redegit, & ea quæ ſupervacanea & inutilia, ac contra Religionem Chriſtianam videbantur, abſcidit. habuit Joannes Concilium Romæ pro decidenda quæſtione, an unus de Trinitate paſſus dici debeat; quæ conſultatio per annum duravit: & ſtatutum eſt, poſſe dici; ſed ſecurius addi, paſſum in carne. fuit Romanus, fere triennalis Pontifex.

Unus de Trinitate paſſus, ſed in carne.

59. AGAPETUS Primus, ſecunda longa, quia Græce ſcribitur per η, quæ quidem vocalis eſt, quæ apud Græcos producitur; ideo Latine Agapètus, non Agàpetus pronũtiatur, ab ἀγαπητὸς, ἀγαπητȣ͂, quod ab ἀγαπάω, ῶ, quod ſignificat amo, diligo. Græci autem in pronuntiando non habent rationem quantitatis, ſed accentus. ἀγάπη idem eſt quod Charitas ſive dilectio, hinc Agapetus dilectus, amabilis, Flandrice *Lieven*, Barbare Livinus. Agapèti hujus ſanctitatem S. Gregorius Magnus L.3. Dialogorum cap.3. commemorat

Agapetus idem quod Livinus.

Ritus expiandi ab hæreticis polluta.

(uti Martyrologium 20. Septembris) *Agapetus vas Catholicum, Euangelii tuba, præco juſtitiæ &c.* Ritum expiandi Catholice quod Hæretici polluerant induxit : nam omnes templi ædes , & altaris ſediſque velamina Anthimi Pſeudo-epiſcopi infecta flatibus, catholicis eluit precibus : hincque fluxit antiquus Eccleſiæ Catholicæ ritus expiandi quæ hæretici polluerant . Feriam quintam ſimilem Dominicæ feſtivam quondam in Eccleſia habitam , & cognatam Dominicæ vocatam, Agapetus propter nimia feſta, quibus populus gravabatur, feſtive celebrari ſuſtulit ; ut ſola Dominica per ſeptimanam ſic obſervaretur. vide ſupra in Melchiade . fuit Romanus biennalis Pontifex.

Feſtivitas Feriæ Quintæ ſublata.

60. SILVERIUS Hormiſdæ quondam Papæ ex legitimo ante Pontificatum Matrimonio filius . de eo Martyrologium 20. Junii: *Natalis Sancti Silverii Papæ & Martyris , qui cum Anthimum Epiſcopum hæreticum* (quem Theodora Auguſta ex Trapezuntina in Conſtantinopolitanam Sedem intruſerat) *ab Agapeto prædeceſſore ſuo depoſitum reſtituere noluiſſet , a-*

Fuſo ſine ſanguine Martyr.

gente impia Theodora, a Belliſario in exilium pulſus ad inſulam Pontiam, ibidem pro fide Catholica ærumnis confectus defecit. vide latius eodem die in lectionibus Breviarii. fuit ipſe Italus Campanus, nomen a ſilva, uti Silveſter habens; trium annorum Pontifex.

61. VIGILIUS (idem latine, quod græce Gregorius vide PP.66.) Joannis Conſularis viri nobiliſſimi filius, S.R.E. Archidiaconus, viventi adhuc Silverio, agente impia Theodora Auguſta, ſubſtitutus eſt eo fine, ut Anthimum Conſtantinopolitanæ Sedi reſtitueret, ejuſque dogma confirmaret: quod ipſe in ſe converſus conſtanter recuſat, & conſiderans ſe ſchiſmaticum in ordinem redigit, mortuoque Silverio dat locum comitiis habendis pro electione Papæ; in quibus legitime electus, aſcendit thronum Petri: moxque Anthimum cum aliis hæreticis atque ſchiſmaticis anathematizat. Cenſuit eos eſſe damnandos, qui cum carnibus abſtinerent, ea quoque credebant eſſe vitanda, quæ carnibus admiſta fuiſſe videbantur. nam (inquit) Dominus noſter Jeſus Chriſtus ita

SCHISMA SEPTIMŨ. *Vigilius contra Silverium.*

Bonum eſt abſtinere carnibus, etiam iis veſci.

præmonuit dicens: *Non quod intrat in os coinquinat hominem, ſed quæ procedunt de ore, hæc ſunt quæ coinquinant hominem:* quapropter nec abſtinentiam Deo placitam reprobamus, nec eos, qui execrantur Dei creaturam, in noſtra recipimus ſocietate. Ordinavit inſuper, ut verba conſecrationis Euchariſticæ ſecrete dicerentur. ſolebant antea Sacerdotes alte & clare ea proferre, & circumſtantes reſpondebant *Amen*; quaſi dicerent: ita eſſe credimus; uti patet ex lectionibus ſancti Ambroſii feria quarta infra Octavam Corporis Chriſti: *Dicit tibi Sacerdos Corpus Chriſti, & tu dicis Amen, hoc eſt verum; quod confitetur lingua, teneat affectus &c.* Sed quia ex frequenti eorum auditu, verbis iſtis Sacroſanctis homines abutebantur, ordinatum fuit ab Eccleſia, ut *verba Conſecrationis ſecrete, devote, & attente* dicerentur. videtur Vigilius auctor Capitulorum quæ paſſim in horis Canonicis leguntur, de iis ita reſcribens: *quoties Paſchatis, aut Aſcenſionis Domini, Pentecoſtes, vel Epiphaniæ, Sanctorumque Dei fuerit agenda feſtivitas ſingularis, Capitula diebus apta ſubjungimus, quibus commemorationem ſanctæ ſolemnitatis, aut* ea-

Verba Conſecrationis prius alte, jam ſecrete proferuntur.

Capitula ad horas Canonicas.

eorum facimus, quorum natalitia celebramus; cætera vero ordine conſueto proſequimur. ſub ipſo habitum eſt OEcumenicum Concilium quintum, Conſtantinopolitanum ſecundum, anno 553. conſtans 165. Patribus, contra Origeniſtas. fuit Vigilius Romanus; alii quindecim, alii ſeptemdecim ei Pontificatus annos tribuunt, ob illegitimum primo Sedis Apoſtolicæ aſcenſum.

Quintū Concilium Oecumenicum Conſtantinop. 2.

62. PELAGIUS Primus (latine Marinus vel Maritimus, τὸ Πέλαγος Mare) Canonicas preces Eccleſiaſticis quotidie perſolvendas conſtituit; quod impoſuit paulo poſt Pelagius ſecundus ſub pœna peccati. Miſſam conventualem diebus jejuniorum poſt Nonam celebrari decrevit; pro defunctis ſuffragia fieri juſſit: hæreticos, cum excommunicationibus non terrerentur, brachio ſæculari coercendos ordinavit. decretum promulgavit adverſus eos, qui pecunia, aut promiſſionibus ad gradus ordineſque Eccleſiaſticos pervenirent. ipſo Pontifice, Conſtantinopoli Romam translatum eſt Corpus Sancti Stephani, & collocatum in ſepulcro Sancti Lauren-

Horæ Canonicæ quotidie perſolv.

Miſſa convent. ſerius dicenda diebus jejun.

Hæretici ſæculari poteſtate coercendi.

Pecuniam promittere ad ſacra ſimoniacum.

rentii ; qui huic Protomartyri locum ceſſiſſe dextrum , & Humani inde Hiſpani nomen accepiſſe dicitur . fuit Pelagius Romanus , ſeditque annos prope quinque .

63. JOANNES Tertius cognomento Catellinus , ex patre Anaſtaſio viro illuſtri Romæ natus . ipſius tempore venit in Italiam Longinus Patricius cum Exarchi titulo ; quo ſublati fuerunt Conſules Romani . Onuphrius Panvinius ait, quod mortuo Narzete ultimo Conſule, Longinus Patricius reliquum Italiæ , quod Longobardi non occupaverant, Imperatoris Conſtantinopolitani nomine , Exarchi titulo , Ravennæ ſede locata , obtinuit ; & ſic præeſſe cœpit , aſſumens titulum ex re quam aggrediebatur : ἐξάρχω enim incipio præeſſe ſignificat . vide Onomaſticon . Ordinavit hic Joannes , ut qui bona Eccleſiaſtica injuſte uſurpaſſent , quadruplum redderent ; quod in lege antiqua ita ſtatutum eſſet : uti David ad Nathan dicebat : ovem reddet in quadruplum. 2. Reg. cap. 12: & in lege nova Zachæus ad Chriſtum : ſi quid aliquem defraudavi , red-

Conſulibus extinctis , Exarchi præeſſe cæperunt .

Uſurpatores bonorum Eccl. reddant quadruplum .

reddo quadruplum. præfuit Eccleſiæ annis tredecim.

64. BENEDICTUS Primus: ſub ipſo Longobardi peſſumdederunt Italiam, & in magnis laboribus atque afflictionibus Papa poſitus, mortuus eſt ex compaſſione Italiæ. ſcripſerat Epiſtolam ad Davidem Epiſcopum Hiſpanum in Bœtica, qui per literas retulerat ad Sedem Apoſtolicam, eſſe quoſdam in Hiſpania, qui dicerent neminem poſſe veraciter probare, Trinitatem eſſe Unitatem: ſed Papa ex S. Scripturæ teſtimoniis, Geneſis 18. Exodi 34. 2. Reg. 5. Iſaiæ 37. Matthæi 28. confundit contraſentientes; & ſuam ſic concludit Epiſtolam: *His frater teſtimoniis veritatis, Unitatem Trinitatis agnoſce, & deſine Arianorum pravitatem ſequi, ut ab eadem Trinitate poſſis indulgentiam promereri*. fuit Romanus, ſeditque annos quatuor.

Trinitatem eſſe Unitatem probatur varie ex S. Scriptura.

65. PELAGIUS Secundus, Romanus, vetuit aſſumere nomen Œcumenici Patriarcham aut Archiepiſcopum, docuitque illud ſoli Pontifici Romano convenire, ex privilegio Petri, una

Œcumenici nomen ſoli Papæ convenit.

una cum jure convocandi, formandique Concilia generalia. obligavit ſub peccato Clericos in ſacris exiſtentes ad recitandum quotidie ſeptem horas Canonicas: quod ut rite fieret, librum Officii Eccleſiaſtici, Breviarium dictum, in optimum ordinem redegit ſucceſſor ejus Gregorius. Præfationes, quibus in Miſſa utitur Romana Eccleſia ex editione Gelaſii, tenendas præcepit Pelagius: veſtivit Corpus B. Petri Apoſtoli tabulis argenteis deauratis; ſicque ornavit corpus, ſive ſepulchrum B. Laurentii. quid vero mirandum atque pavendum acciderit, tum cum Martyris hujus corpus ab operariis quæreretur, audiamus S. Gregorium tunc viventem hoc narrantem lib. 3. Epiſt. 30. *ſanctæ memoriæ deceſſor meus Pelagius, ad Corpus S. Laurentii Martyris quædam meliorare deſiderans; dum neſcitur, ubi venerabile corpus ejus eſſet collocatum, & effoderetur exquirendo: ſubito ſepulchrum ejus ignoranter apertum eſt, & ii qui præſentes erant & laborabant Monachi, & Manſionarii, qui corpus ejuſdem Martyris viderunt, quod quidem minime tangere præſumpſerunt, omnes intra decem dies defuncti ſunt; ita ut nullus ſupereſſe potuiſſet, qui ſan-*

Obligatio ad horas Canonicas ſub peccato.

Corpora Sanctorum temere non movenda.

ſanctum & juſtum ejus corpus viderat; Hæc Gregorius. ſimile quid contigit noſtro hoc tempore circa corpus S. Franciſci Xaverii in Indiæ Metropoli Goa. Pelagius autem Monachus quondam Benedictinus, lue inguinaria ſive peſtilentia, quæ Italiam præcipue devaſtabat, ſublatus eſt, anno ſui Pontificatus duodecimo.

66. GREGORIUS Primus, Monachus prius, & Abbas Benedictinus, magnis dein in Eccleſiam meritis *Magnus* vocatus, principio omnium Horarum Canonicarum *Deus in adiutorium* cum *Gloria Patri* adjecit: & conſiderans Cæleſtinum Papam, ut infirmitati & indevotioni humanæ conſuleret, recitationem omnium ante Miſſam Pſalmorum mutaſſe in aliquos ex Pſalmis verſiculos cum Gloria Patri repetitos; adjecit ſexies *Kyrie Eleiſon*, & ter *Chriſte Eleiſon* in honorem SS. Trinitatis alternatim repetitum; eo quod Canticum iſtud ſit quaſi totius pſalterii compendium, ſecundum illud Pſalmiſtæ; *Ego dixi, Domine miſerere mei*. Orationi Dominicæ, quæ a S. Petro in prima Miſſa, & deinceps ab omnibus dicta fuit, adje-

Deus in adjutorium cum Glor. Patri.

Kyrie eleiſon & Chriſte eleiſon in Miſſa.

Libera nos quæſumus Domine ab omnibus malis &c. atque Beato Andrea.

adjecit: *Libera nos quæſumus Domine ab omnibus malis præteritis, præſentibus & futuris &c.* addens: *atque Beato Andrea*, quia Gregorius huic Apoſtolo propenſior fuit, cujus nomine in ſuis ædibus Romæ monaſterium ædificavit; ubi Monachi vitam profeſſus, poſtea Abbas fuit: quo tempore pro quodam Monacho defuncto triginta diebus continuis offerri juſſit ſacrificium; quod mortuo iſti quam bene ceſſerit, vide Dialogos ipſius l. 4. C. 55. quas triginta Miſſas, ex ipſius inſtitutione, adhuc adhibere pro defunctis ſolemus. Præordinavit quatuor dies in capite jejunii quadrageſimalis; cujus initium conſecravit cineribus benedictis fidelium capitibus imponendis: qui cineres debent eſſe aridi, non in modum luti (prout apud nos perperam fit) quod ſacra Rituum Congregatio anno 1603. declaravit, & Romæ, ac in Italia, & Hiſpania paſſim obſervatur: voluitque Gregorius, ut jejunium iſtud conſequenter obſervaretur, non interpolate, prout antea fiebat, incipiendo nempe a Septuageſima, feriis quintis, & Sabbatis, atque Dominicis non jejunando: & ut dies mœſtitiæ adhuc

30. Miſſæ continuæ pro defunctis.

Dies cinerum initium Quadrageſimæ.

Jejunium Quadr. conſequenter obſervandum.

ob-

obſervarentur, ordinavit a Septuageſima uſque ad Paſcha canticum lætitiæ *Alleluja* intermitti. inſtituit Cantum Romanum, ſive plenum, ab ipſo Gregorianum dictum: & Collegium Cantorum fundavit, quibus domum quam inhabitarent conſtruxit: in optimum ordinem redegit Breviarium, quo Romana utitur Eccleſia; item Sacramentarium, ſeu librum Sacramentorum; & Paſtorale, ſeu Regulas Paſtorales edidit. in feſto Purificationis, & Dominica Palmarum Proceſſiones inſtituit, ac Litanias Majores atque Stationes: quis Minores, ſive Rogationes ordinaverit vide Onomaſticon in voce Litania. *Commemoratio S. Pauli* 30. die Junii ab illo inſtituta cur ſit? vide idem in voce Commemoratio. Bigamos Ordinibus Sacris, uti prius prohibitum fuerat, interdixit. Subdiaconos agamos voluit; & uſum in Sicilia, quo uxores ducere non vetabantur, compreſſit; ordinavitque nequis impoſterum Subdiaconus ordinaretur, niſi continentiam ſervare, Epiſcopo ſpopondiſſet. vetuit fœminas, tam virorum quam fæminarum ingredi Monaſteria. cœpit ipſe numerare

Intermiſſio Alleluja.

Cantus Gregorianus.

Breviarium, Sacramentarium, & Paſtor. Greg.

Proceſſiones, Stationes, ac Litaniæ.

Commemorat. S. Pauli.

Bigami irregulares.

Subdiaconi agami.

Fæminis Monaſteria ingredi prohibitum.

rare annos Chriſtianos a Chriſti Incarnatione: de quo vide Onomaſticon in voce Æra. præ humilitate abhorruit a nomine OEcumenici, ſive univerſalis Epiſcopi; uti Paulus, qui de ſe dicebat: non ſum dignus vocari Apoſtolus: imo ſe Sacerdotis nomine indignum reputans, *Servum Servorum Dei* appellavit, quo titulo & ſucceſſores hactenus uſi ſunt: cumque Joannes Patriarcha Conſtantinopolitanus ſibi univerſalis Eccleſiæ Epiſcopi nomen arrogaret, ejus audaciam hac ſua humilitate fregit. ipſius tempore tanta mortalitas homines invaſit, ut oſcitantes & ſternutantes paſſim morerentur: hinc ordinavit, ut ſternutantibus diceretur, *Deus te ſalvet* vel *ſervet;* & oſcitantes ſignaculo Crucis os ſignarent: quomodo mortalitas iſta ceſſaverit, die Reſurrectionis Domini, per Antiphonam *Regina Cœli lætare alleluja &c.* hiſtoria nota eſt. fuit Gregorius Romanus Gordiani Senatoris filius, ex illuſtri Aniciorum Proſapia, annos fere quatuordecim optime gubernavit Eccleſiam. Nomen Gregorius græcum eſt, idem quod latine Vigilius, γρηγορέω vigilo. de nomine Anicius vide Onomaſticon.

An. a Chriſti Incarnatione.

Servus Servorum Dei.

Deus te ſalvet ſternutantibus.

Oſcitantes Cruce os ſignant.

Antiphona Regina Cæli lætare allel.

SABI-

67. SABINIANUS, magnarum rerum ſub Gregorio deceſſore procurator fuit; quem ipſe in Epiſtola ad Eulogium Epiſcopum Alexandrinum, Diaconum in urbe regia reſponſa Eccleſiæ facientem, ac reſponſalem ſuum ſive Apocriſiarium vocat; & Gregorius eo ſe munere quondam functum fatetur. Sabinianus horas diei tintinnabuli ſonitu diſtinguere docuit, & Officium Divinum pulſu campanæ die ac nocte præſignari voluit: cum antea Clerus non niſi horologiis ſciatericis, aut clepſydris uteretur. idem lampades, & ſacra lumina in templis ardere ordinavit. Ciaconius ait, quod Sabinianus uſum campanarum adhibuit; juſſitque ut ad Horas Canonicas & Miſſarum ſolemnia pulſarentur: quamquam campanæ diu ante a Paulino Epiſcopo Nolano inventæ fuerint. Incurrit ipſe peſſimam avaritiæ notam; quod cum rogaretur deceſſoris ſui liberalitatem erga pauperes imitari: reſpondit, Gregorium ex popularis famæ ambitu diſſipaſſe largitionibus patrimonium Eccleſiæ. Et ipſe dira urgente fame, triticum communita-

ANNO CHRISTI 600.

Papa Apocriſiarius, ſeu Reſponſalis. vide Onom.

Tintinnabula

Officium Divinum pulſu campanæ præſignatum.

Lampades, & ſacra lumina in Eccleſiis.

ti non gratuito erogavit, ſed cariori quam aliquis pretio venum expoſuit: quare populo inviſus, cum defunctus eſſet, ſine pompa funebri tumulatus dicitur. Patria ipſius a multis ignoratur, alii Bleranum in Tuſcia, alii Volaterranum in Etruria volunt. Platina ait, quod ejus patria merito ignoretur: homo enim obſcuro loco natus, obſcurior moribus, rebus geſtis Gregorii deceſſoris ſui viri ſanctiſſimi adverſatus eſt. ſedit tantum menſes quinque, dies novemdecim.

68. BONIFACIUS Tertius, Gregorii olim ad Phocam Imperatorem Apocriſiarius, id eſt Legatus, ſive Nuntius: accidebat enim, ut qui eo munere functi eſſent, iidem in Summos Pontifices eligerentur: cum ſcilicet Clerus eos eligere ſtuderet, quos ſciret Principibus fore gratos; uti de Gregorio legimus, & hodie fieri videmus. Qui Phocas imperiali edicto ſancivit nomen OEcumenici, ſive univerſalis tantummodo proprium eſſe Eccleſiæ Romanæ, tanquam quæ caput eſſet omnium Eccleſiarum, ſolique convenire Romano Pontifici:

Legati Papæ ordinarie in Summos Pontifices aſſumuntur.

fici: quem titulum Eccleſia Conſtantinopolitana ſibi vendicare conabatur, faventibus interdum malis Principibus, aſſirmantibuſque eo loci primam ſedem eſſe debere, ubi Imperii caput eſſet; Romanis contra affirmantibus, Urbem Romam, unde Conſtantinopolis colonia deducta eſt, caput Imperii merito habendam eſſe; cum Græci in literis ſuis Principem ſuum Τῶν Ῥωμαίων αὐτοκράτορα, id eſt Romanorum Imperatorem, indigitent, etſi Romæ non reſideat. meretur videri Notatio Onuphrii ad Platinam in hoc Pontifice: unde inter alia colligere licet, Epiſcopum Romanum œcumenicum Papam; Conſtantinopolitanum, œcumenicum Patriarcham vocatum fuiſſe. tenuit Bonifacius Romæ Concilium, in quo decrevit ſub anathemate, ne quis in demortui cujuſvis Epiſcopi locum ſuffectionem tractaret, niſi ſaltem die tertia poſt ejus obitum: ſub eadem ſimul pœna vetuit, ne quis dolis, minis, pretiis, adulationibus, aut aliis quibuſcumque ſæculi modis ad Epiſcopatum, aut ſummum Pontificatum promoveretur. fuit ipſe Romanus, vix novem menſium Pontifex.

Epiſcopus Romanus œcumenicus Papa: Conſtantinopolitanus œcumenicus Patriarcha.

In demortui Epiſcopi locum quis, & quando ſufficiendus.

BONI-

69. **B**ONIFACIUS Quartus, Italus, Marſus, ex civitate Valeria, Medici filius, tot annorum, quot deceſſor menſium, fuit Papa: hic domum ſuam paternam, uti Gregorius Magnus, in Monaſterium redegit, factus deinde monachus Benedictinus. de eo Martyrologium 25. Maii: *Romæ ſancti Bonifacii Papæ Quarti, qui Pantheon in honorem B. Mariæ ad Martyres dedicavit.* Cum ante hunc Pontificem nullum templum Gentilium Deorum uſui Chriſtiano eſſet dedicatum; & propter hanc Imperatoris Honorii legem: *ſicut ſacrificia profana prohibemus; ita volumus & publicorum operum ornamenta ſervari*, extarent complura fana, & intactum inter alia remanſiſſet Pantheon, nobile delubrum, forma rotunda, a Marco Agrippa Conſule quondam erectum, Jovi omnibuſque Diis dedicatum: Bonifacius illud a Phoca Imperatore impetravit, & ejectis ſimulacris gentilibus, in honorem Dei Genitricis Mariæ, & omnium Martyrum, duodetriginta curribus repletis oſſibus ſacris, e diverſis Urbis Cæmeteriis effoſſis, illuc ſolemniter comportatis, ac decentiſſime collocatis, con-

Pantheon.

Feſtum prius omnium Martyrum, nunc omnium Sanctorum.

conſecravit, die 13. Maii; quod Templum *Mariæ Rotunda*, & *ad Martyres* dictum fuit: quo die illud feſtum Itali, uſque ad Gregorium Quartum celebrarunt, qui illud in Kalendas Novembres tranſtulit: eo quod menſe Majo concurrentibus undique ad eam feſtivitatem populis, cum frugum copia eo anni tempore anguſtior exiſtat, transferendum cenſuit in Novembrem, quo repletis horreis, annona copioſior eſſe ſolet: quod feſtum eouſque in honorem, non omnium Sanctorum, ſed Martyrum tantum celebratum fuit: cujus veſtigia adhuc remanſerunt in Officio Eccleſiaſtico prima die Novembris (quod modo omnium Sanctorum eſt) in quo Pſalmi veſperarum, Reſponſoria brevia Horarum, ac Verſiculi Nocturnorum adhuc ſunt de Martyribus; notandumque eſt quod in nonnullis antiquis Eccleſiis etiamnum hoc feſtum celebretur cum paramentis rubris, quaſi in honorem adhuc omnium Martyrum.

Quare à menſe Majo in Novembrem tranſlatum?

70. DEUSDEDIT, idem quod græce Theodorus; de eo Martyrologium 8. Novembris: *Romæ Sancti Deuſdedit Papæ*,

qui tanti meriti fuit, ut leproſum oſculo a lepra ſanaverit. hic juſſit parentes propriorum liberorum in Baptiſmo ſuſceptores abſtinere a copula carnali; item ne filius Patrini puellam e ſacro fonte a Patre levatam in uxorem ducere poſſit; unde patet affinitatem ſpiritualem hic contrahi. inſtituit ſecundam ſingulis diebus in Clero peragendam Miſſam, unde intelligas unicam prius dici ſolitam ex decreto Alexandri Primi. adeo deteſtabatur labem Simoniæ, ut permiſerit contra Simoniacos teſtificari poſſe infames, & mulieres publicas. fuit Romanus, trium annorum Papa.

Affinitas ſpiritualis Patrinorum.

Antiquitus una tantum Miſſa in Clero fiebat.

71. BONIFACIUS Quintus ſtatuit, ne quis cooptaretur in Clerum, niſi in defuncti Clerici locum ſubrogaretur: tot enim ſe in Eccleſiam intrudebant, ut reditus ad alendum omnes non ſuppeterent. Presbyteris tantum & Diaconis permiſit Reliquias Martyrum & aliorum Sanctorum contingere. Confugientes ad Eccleſiam, ne vi retrahi poſſent, ſancivit. Eduino Regi Anglorum ſcribens, præfatur ſe *Servum Servorum Dei*; quod prius a Sancto Gre-

Clerici in defunctorum tantum locum ſubſtituendi.

Reliquiæ SS. a quibus tangendæ.

Immunitas Eccleſiæ.

Gregorio ſcribi cœptum fuerat . ſub ipſo paſſus eſt Sanctus Anaſtaſius Monachus Perſa; cujus corpus ſequens Pontifex ab Heraclio Imperatore acceptum , Romæ ad Aquas Salvias collocavit . fuit ipſe Neapolitanus, ſeditque annos fere octo . *Paſſio S. Anaſtaſii Perſæ Monachi 22. Januarii.*

72. HONORIUS Primus , Canonicus Regularis , Theologia & Poetica excultus . ſub ipſo contigit hiſtoria Exaltationis Sanctæ Crucis , prout 14. Septembris in Breviario Romano deſcribitur . ſub eodem obiit B. Iſidorus Hiſpalenſis Archiepiſcopus vir eruditiſſimus & ſanctiſſimus, qui præter alia ſcripſit viginti libros Originum ſive Etymologiarum doctrina refertos . ab hoc Pontifice Hiſpaniæ Rex Suintilla , Catholicus cognominatus eſt ; quia de ejus & Optimatum ſententia ſtatutum fuit in Toletano Concilio, ut qui aſſumeretur ad Thronum Hiſpaniæ , juraret non permiſſurum ſe aliquem in regno ſuo degere, aut militare, qui non eſſet Catholicus. fuit Honorius Italus, Campanus , natus patre Petronio viro inter Conſulares præcipuo , annorum paulo plus 12. Pontifex . *Exaltatio S. Crucis.*

qui tanti meriti fuit, ut leproſum oſculo a lepra ſanaverit. hic juſſit parentes propriorum liberorum in Baptiſmo ſuſceptores abſtinere a copula carnali; item ne filius Patrini puellam e ſacro fonte a Patre levatam in uxorem ducere poſſit; unde patet affinitatem ſpiritualem hic contrahi. inſtituit ſecundam ſingulis diebus in Clero peragendam Miſſam, unde intelligas unicam prius dici ſolitam ex decreto Alexandri Primi. adeo deteſtabatur labem Simoniæ, ut permiſerit contra Simoniacos teſtificari poſſe infames, & mulieres publicas. fuit Romanus, trium annorum Papa.

Affinitas ſpiritualis Patrinorum.

Antiquitus una tantum Miſſa in Clero fiebat.

71. BONIFACIUS Quintus ſtatuit, ne quis cooptaretur in Clerum, niſi in defuncti Clerici locum ſubrogaretur: tot enim ſe in Eccleſiam intrudebant, ut reditus ad alendum omnes non ſuppeterent. Presbyteris tantum & Diaconis permiſit Reliquias Martyrum & aliorum Sanctorum contingere. Confugientes ad Eccleſiam, ne vi retrahi poſſent, ſancivit. Eduino Regi Anglorum ſcribens, præfatur ſe *Servum Servorum Dei*; quod prius a Sancto Gre-

Clerici in defunctorum tantum locum ſubſtituendi.

Reliquiæ SS. a quibus tangendæ.

Immunitas Eccleſiæ.

Gregorio ſcribi cœptum fuerat. ſub ipſo paſſus eſt Sanctus Anaſtaſius Monachus Perſa; cujus corpus ſequens Pontifex ab Heraclio Imperatore acceptum, Romæ ad Aquas Salvias collocavit. fuit ipſe Neapolitanus, ſeditque annos fere octo. *Paſſio S. Anaſtaſii Perſæ Monachi 22. Januarii.*

72. HONORIUS Primus, Canonicus Regularis, Theologia & Poetica excultus. ſub ipſo contigit hiſtoria Exaltationis Sanctæ Crucis, prout 14. Septembris in Breviario Romano deſcribitur. ſub eodem obiit B. Iſidorus Hiſpalenſis Archiepiſcopus vir eruditiſſimus & ſanctiſſimus, qui præter alia ſcripſit viginti libros Originum ſive Etymologiarum doctrina refertos. ab hoc Pontifice Hiſpaniæ Rex Suintilla, Catholicus cognominatus eſt; quia de ejus & Optimatum ſententia ſtatutum fuit in Toletano Concilio, ut qui aſſumeretur ad Thronum Hiſpaniæ, juraret non permiſſurum ſe aliquem in regno ſuo degere, aut militare, qui non eſſet Catholicus. fuit Honorius Italus, Campanus, natus patre Petronio viro inter Conſulares præcipuo, annorum paulo plus 12. Pontifex. *Exaltatio S. Crucis.*

73. SEVERINUS. ipſo nondum conſecrato, theſaurus Lateranenſis Eccleſiæ ad eam diem intactus, a Mauritio Chartulario (vide Onomaſticon in voce Secretarium) expilatus fuit: ad ipſum miſſa eſt legatio a Scotis ſuper controverſia aliqua; ſed cum deputati inveniſſent Severinum Pontificem defunctum, Clerus Romanus una cum Joanne ſequenti Pontifice electo nondum confirmato, literas aperuerunt, Scotiſque reſponſa fecerunt; quorum ſic habebat inſcriptio: *Dilectiſſimis Thominiano, & cæteris, Hilarius Archipresbyter, & ſervans locum ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, Joannes Diaconus, & in nomine Dei electus, Joannes Primicerius, & ſervans locum Sedis Apoſtolicæ, Joannes Servus Dei, & Conſiliarius ejuſdem Apoſtolicæ Sedis &c.* unde forma vicariatus antiqui vacante Sede apparet: nunc defuncto Pontifice ſigilla franguntur, in ſignum quod vacante Sede nihil expediatur. fuit Severinus Romanus, unius tantum anni Pontifex.

Vicariatus Sede vacante.

74. JOANNES Quartus, diſtractis variarum Eccleſiarum

rum theſauris, multa millia hominum per Iſtriam & Dalmatiam a captivitate & ſervitute redemit; & ſanctorum multorum corpora ex Barbarorum manibus Romam, cum devoto apparatu, transferri curavit. Heraclius Imperator a Sophronio Patriarcha Hieroſolymitano commonitus, de una Chriſti voluntate, Joannem hunc conſuluit, atque acrem a Pontifice de ejuſmodi opinionis perverſitate objurgationem retulit: itaque pudore affectus, cum nec ſuſceptum errorem abjicere vellet, nec aſpera Chriſtianorum ſuſtinere convitia poſſet, edictum propoſuit, ne quis unam, neve duas in Chriſto voluntates aſſereret. qui Heraclius, ante tam catholicus, ſub quo contigerat Exaltatio ſanctæ Crucis, tandem Monothelitarum hæreſi infectus obiit. fuit Joannes hic Dalmata, unius tantum anni, & novem menſium Pontifex.

Captivi a Barbaris Chriſtiani diſtractis Eccleſiarum theſauris redempti.

75. THEODORUS Primus, nomine & origine Græcus (latine Adeodatus vel Deuſdedit) Pyrrhum Conſtantinopolitanum Patriarcham relapſum in hæreſim Monothelitarum, quam prius

Excommunicati Epiſcopi heretici depoſitio, quomodo a Pontifice ſcripta.

prius coram Pontifice abjurarat, depoſuit & damnavit hoc modo: accedens Papa ad ſepulchrum ſancti Petri, de ſanguine Chriſti ex ſacro Calice in atramentum diſtillato, depoſitionem Pyrrhi excommunicati conſcripſit: quo ritu Octava Synodus etiam uſa eſt adverſus Photium: nequaquam tamen a Latinis de cætero uſurpatus legitur. ſedit hic Pontifex fere ſeptem annis.

Martinus Papa & Martyr non fuſo ſanguine.

76. MARTINUS Primus Italus, Tudertinus (ſive Tuders Tudertis; ſicut Camers Camertis, idem quod Camerinus) cujus feſtum agitur 12. Novembris, poſtridie ſancti Martini Turonenſis Epiſcopi, fuit Martyr, ſed ſine fuſo ſanguine (vide Onomaſticon de Confeſſoribus Martyribus) qui ob Catholicam Fidem ærumnis confectus in exilio vitam ſexto Pontificatus anno finivit. extant ipſius Epiſtolæ, quibus deplorat ærumnas ſuas, ac Fidei ab hæreticis proditionem: & ſunt ejuſmodi, quæ ſiccis oculis legi non poſſunt. Præcepit hic Pontifex omnibus Epiſcopis, ut ſacrum Chriſma ſingulis annis conſecratum per omnes Eccleſias ſuæ Diœceſis diſtribuant.

Chriſma ab Epiſcopis ſingulis annis conſecratum diſtribuendum.

EU-

77. EUGENIUS Primus ordinavit Epiſcopos habere carceres, ad puniendum delicta Clericorum. cæterum fuit benignus, manſuetus, omnibus affabilis, & deceſſoris ſui non tantum in Sede, ſed & ſanctitate ſucceſſor. refertur in Martyrologio die 2. Junii. fuit Romanus, ſeditque per ſeſquiannum.

Carceres Epiſcoporum.

78. VITALIANUS Muſices peritus, Cantum Eccleſiaſticum ad conſonantiam Organorum ordinavit, Davidis in hoc exemplum ſecutus; quo organico murmure cantus non tantum ornatur, ſed & cantores exonerantur. ſanctus habetur in Martyrologio 27. Januarii. fuit Italus Signinus, Provinciæ Campaniæ, ſeditque annos 14. menſes 5. Uno ſæculo poſt Vitalianum, organa primum miſſa fuiſſe in Galliam Pipino Regi, Patri Caroli Magni a Conſtantino 4. Imperatore, qui cum Irene matre regnavit, auctor eſt Marianus Scotus: & organa dein ſub Ludovico Pio, Caroli Magni filio, ejus ſumptibus primum fabricata & compoſita eſſe, induſtria cujuſdam, cui nomen erat

Cantus cum Organis.

Gregorius, narrat Haymon Monachus de geſtis Francorum l. 4.

Supplicationes contra prodigia.

79. ADEODATUS laudatiſſimus, quod neminem inconſolatum a ſe diſcedere ſineret, ad abolenda prodigia quæ ſæpenumero ſui Pontificatus tempore apparebant, ſupplicationes frequentes inſtituit. in Archivio Turonenſi extat ejus epiſtola, qua per privilegium eximit ab Epiſcopi poteſtate Monaſterium ſancti Martini. fuit Romanus, Monachus Benedictinus, ſeditque annos ſeptem.

Privilegium exemptionis.

80. DONUS Primus doctrina & ſanctitate adeo floruit, ut Ravennatem Eccleſiam jam pridem a Romana ſegregatam Sedi Apoſtolicæ obtemperantem reddiderit. fuit Romanus, per ſeſqui fere annum Pontifex; quo ipſius tempore maximi fuere imbres, multique fulmine afflati interiere, & frumenta in agris emarcuere. Nomen Donus latine reddi poſſet motor, agitator, a δονέω moveo, agito.

Peragit tranquilla poteſtas, quod violenta nequit.

81. AGATHO (ἀγαθὸς bonus): cum ejus tempore

re Romam, aliaſque Italiæ urbes peſtis ſæviſſima depopularetur, divino admonitu altare in honorem S. Sebaſtiani, in Eccleſia S. Petri ad Vincula, ad luem propulſandam, non ſine remedio erectum fuit: unde contigit ut fideles poſteri eumdem Divum contra peſtem conſueverint habere Tutelarem. Agathonis invenitur reſcriptum: *ſic omnes Apoſtolicæ Sedis Sanctiones accipiendæ ſunt, tanquam ipſius divini voce Petri firmatæ.* Legimus in Pontificali, de vitis Pontificum, quod circumfertur nomine Damaſi, & continuatum eſt ab Anaſtaſio Bibliothecario, Agathonem Pontificem ad luminaria S. Mariæ ad Præſepe, & Apoſtolorum, ſolidos bis mille centum ſeptuaginta donaſſe. habitum fuit ſub ipſo OEcumenicum Concilium ſextum, Conſtantinopol. 3. anno 681. conſtans Patribus 170. contra Monothelitas. Martyrologium 10. Jan. de eo habet: *Romæ S. Agathonis Papæ, qui ſanctitate & doctrina conſpicuus quievit in pace.* fuit Siculus Panormitanus, Monachus Benedictinus, præfuitque annis quatuor.

S. Sebaſtianus Tutelaris contra Peſtem.

Sanctiones Pontificiæ tanquam ipſius D. Petri.

Dona pro luminaribus.

Sextum Concil. œcumenicum.

82. LEO Secundus, humanis & divinis literis Græce

 & La-

Pontifex muſicus græce & latine doctus.

& Latine doctus; Muſicis etiam eruditus, ſacros Hymnos & Pſalmos in Eccleſia ad concentum meliorem reduxit: probavit acta ſextæ Synodi, quæ Conſtantinopoli ſub deceſſore Agathone celebrata eſt; quam & in Latinum tranſtulit: & cætera quæ fecit, vide Lect. Breviar. 28. Junii. Leonis hujus quoque inſtitutum eſt, & ſalutare; ne ad Archiepiſcopatum aſſumptus pro uſu Pallii, aliorumve Officiorum, quicquam Eccleſiæ perſolveret. idem in Miſſa poſt Agnus Dei, Pacis Oſculum etiam populo dari voluit, & finita Miſſa ſpargi aquam Benedictam. fuit Siculus Diœceſis Catanenſis, brevis nondum unius anni, ſed ſanctus Pontifex.

Nihil pro Pallio.

Oſculum Pacis Populo, & aqua Benedicta.

83. BENEDICTUS Secundus: de ipſo fit mentio in Martyrologio 7. Maii, ad quem locum Baronius ita notat: hic Secundus hujus nominis fuit, junior dictus, ſucceſſitque Leoni ſecundo; cujus tanta fuit opinio ſanctitatis, ut Heraclius Conſtantinus Imperator uſurpatam a prædeceſſoribus ſuis, in Romanorum Pontificum electione, pecunia impartiri ſolita, aſſenſionem omnino

no remiſerit. S. Gregorius Papa ejuſmodi temeritatem (ſic enim ipſe appellabat) acerbiſſime deplorabat, vocatque Dei Eccleſiæ captivitatem, atque invehitur in Imperatorem talia ſibi illicite vendicantem, in explanatione Pſalmi quarti Pœnitentialis, ad illum verſum: *Tota die exprobrabant mihi inimici mei*. id primus excogitavit Odoacer Getulus, Rex Italiæ Arianus, cujus conatibus Anaſtaſius Papa Primus, quantum potuit, reſtitit. fuit Benedictus hic Romanus, unius vix anni, uti deceſſor, Pontifex.

84. JOANNES Quintus Agathonis olim Apocriſiarius, ſcripſit librum de Pallii dignitate: quid autem ſit Archiepiſcopale Pallium, & unde vocetur ac fiat, vide Onomaſticon. a tribus Epiſcopis Romæ vicinioribus, Oſtienſi, Portuenſi, & Velitrenſi, in Baſilica Lateranenſi ſe conſecrari fecit; quamquam hodie antiquior Epiſcoporum Collegii Cardinalium, licet non ſit Oſtienſis, Papam conſecret. fuit Joannes hic natione Syrus, Patria Antiochenus, aliquotque diebus plus uno anno ſedit.

Dignitas Pallii Archiepiſcopalis.

Oſtienſis Epiſ. conſecrator Romani Pontificis.

85. CONON tempore Adeodati Romam veniens, in Clerum Romanum adſciſcitur deinde ob doctrinam & diligentiam circa myſteria & rem divinam, ſanctæ Suſannæ Presbyter Cardinalis, Titulo ejus loci creatur; unde aſſumptus ad Pontificatum, Angelici nomen ſortitus, & munificus in ædes ſacras, ac pauperes fuiſſe legitur; cumque adverſa per totum Pontificatum valetudine conflictatus, ſe morti propinquum videret, ingens auri pondus legavit, Paſchalis, Archidiaconi, & theſauri Pontificii diſpenſatoris arbitrio in pios uſus diſtribuendum: qui theſauri cupiditate incenſus, & regnandi cupidus, literas dedit ad novum Exarchum Ravennatem, atque ei grandem ſe pecuniam daturum, ſi ipſius beneficio Pontificatum obtinuiſſet, promiſit: qui ambitione ſua ſimoniaca, paulo poſt Schiſma in Eccleſia excitavit: uti videbitur in ſequenti Pontifice. Nomen Conon a κονίζω, id eſt, athletarum more me exerceo: fuit ipſe Natione Thrax, Patria Tomitanus, qua in urbe Ovidius Naſo quondam exul defunctus eſt; obiitque Pontifica-

Ex ſimoniaca ambitione ſchiſma.

tus

tus ſui menſe duodecimo nondum expleto: ita ut hic, & tres antecedentes Pontifices ſinguli annum plus minus unum tantummodo regnaverint.

86. SERGIUS, Syrus Antiochenus; nomen græcum, σέργιος, latine rete, vel retiaculum, annorum fere 14. laudatiſſimus Pontifex; de eo Martyrologium 9. Septembris, & Micrologus capite 18. ſic ait: *Sergius Papa in ordine 86. conſtituit ut in tempore fractionis Dominici Corporis, Agnus Dei a Clero & a populo decantaretur; videlicet ut ille nobis propitietur, cujus corpus ibi confringi videmus, & credimus: voluitque Agnus Dei ter decantari, & loco ter miſerere nobis, dici ordinavit tertio loco, dona nobis Pacem: addiditque orationem pro pace, idque ob bella Italiæ tum frequentia.* Idem Capite 48. *Sergius Papa a Petro 86. conſtituit, ut in diebus Annuntiationis, Dormitionis, & Nativitatis B. Mariæ, & ſancti Simeonis, quod Græci ὑπαπάντην vocant, Litania exeat a ſancto Adriano, & ad Sanctam Mariam populus occurrat.* eſt autem *Hypapante* idem quod obviatio; quia venerabiles Perſonæ Simeon & Anna

Agnus Dei in Miſſa, & dona nobis Pacem.

Feſtum hypapantes ſive Purificationis B. M. V.

na eo die Domino obviaverunt, dum in templo præſentaretur. vide Onomaſticon. ipſius tempore Populus in factiones diviſus pro Theodoro Archipresbytero, & Paſchali Archidiacono certat; ſed maxima Cleri & Optimatum pars Papam Sergium, quem inſignis probitatis & doctrinæ S. Leo Papa Presbyterum crearat, uno conſenſu habere voluit; cui cum ſtatim Theodorus ceſſiſſet, Paſchalis quoque pudore coactus ceſſit. Sergius Benefactoris ſui S. Leonis Corpus in locum celebriorem deportavit; ac Sanctæ Crucis portionem capſæ argenteæ incluſam, revelatione divina declaratam, adorandam produxit.

SCHISMA OCTAVŪ. *Theodorus & Paſchalis contra Sergium.*

Pars S. Crucis argento incluſa adorationi expoſita.

87. JOANNES Sextus: hujus tempore Exarchorum vires, de quibus ſupra in Joanne Tertio, admodum tenues reddi cœperunt; contra vero Pontificum augeri: adeo ut deinceps ſupplices, non inſultantes in Italiam mittere Exarchos Imperatores ſolerent. de Exarchis vide Onomaſticon. fuit hic Joannes Græcus, & paulo ultra tres annos ſedit.

ANNO CHRISTI 700.

JOAN-

88. JOANNES Septimus ſingulariter delectabatur picturis, quas ad veriſimilitudinem Sanctorum Patrum complures, magnis ſumptibus exquiſivit, iiſque varias Baſilicas exornavit: fuit hic etiam, uti deceſſor, Græcus, anniſque duobus cum dimidio ſedit.

Pictæ Sanctorum Imagines.

89. SISINIUS arthritide ita conſtrictus, ut non modo ambulare, ſed nec cibum ſumere per ſe poſſet, vigeſimo die obiit. nomen ipſius aliqui per duplex Zeta, Zizinius ſcribunt, & derivant a Ζιζάνιον quod latine lolium ſive zizanium ſignificat: niſi forte a σίζω derivetur, quod eſt ſtrido, uti ferrum candens in aquam miſſum. fuit ipſe Syrus.

Pontifex arthriticus.

90. CONSTANTINUS, graſſante fame triennali, cui provide pauperes ſublevando ſuccurrit, navigavit Conſtantinopolim: ad ejus occurſum Juſtinianus Imperator coronam in capite geſtans ſe ad Papæ pedes proſtravit, eoſque eſt oſculatus; deinde in amplexum mutuum corruerunt: unde mos ortus dicitur, quod

Oſculatio pedum Papæ.

quod Principes oſculari ſoleant ſummi Pontificis pedes; proxima autem die Dominica e manu ſolemniter celebrantis Joannis Juſtinianus SS. Synaxim ſumpſit, & Ecclesiæ Romanæ privilegia confirmavit. Moris tunc erat, ut Epiſcopi, antequam conſecrarentur, rationem fidei atque obſequii ederent, eamque in Pontificum tabulis referrent; quod cautiones in ſcrinio facere ipſi dicebant: fuit uti prædeceſſor, Syrus, annorum ſex Papa.

Cautiones in ſcrinio facere.

91. GREGORIUS Secundus, de quo Martyrologium 13. Februarii, auctor fuit officiorum in feriis quintis per Quadrageſimam, & jejuniorum in iiſdem: nam feriis quintis ex decreto Melchiadis non jejunabatur; de quibus ita Gavantus: feriæ quintæ propter feſtivitatem Aſcenſionis Domini, quæ tali die contigit, feſtivæ habitæ ſunt a Silveſtro ſucceſſore Melchiadis, & ideo non habuere officia propria in Antiphonario, & Sacramentario a S. Gregorio aſſignata: ſed Gregorius dictus Junior, id eſt Secundus, Officia propria & Miſſas iiſdem attribuit, & jejunium in iis in-

Evangelia feriis 5. Quadrageſime, & jejunia aſſignata.

Feriæ quintæ feſtivæ habitæ propter Aſcenſionem Domini.

inſtituit: atque hinc Euangelia paſſim quintis feriis Quadrageſimæ aſſignata, communia ſunt aliis diebus extra Quadrageſimam. vide ſupra in Melchiade. Fuit Gregorius hic Secundus, uti Primus, Romanus, & Monachus Benedictinus, perque annos fere quatuordecim, ut ille, ſedit.

92. GREGORIUS Tertius. narratur de eo, quod omnes per ordinem memoriter teneret Pſalmos, in eorum ſenſibus ſubtiliſſima exercitatione limatus. præcepit ipſe, & ſucceſſor Zacharias Caſſinenſibus Monachis, ut una cum officio divino recitarent etiam Officium B. M. Virginis; decreto deinde Urbani Secundi ab omnibus Eccleſiaſticis recitari juſſum. dedit hic Gregorius titulum Chriſtianiſſimi Carolo Martello: ita ut Reges Hiſpaniæ prius fuerint vocati Catholici, quam Franciæ Reges Chriſtianiſſimi. vide ſupra in Honorio Papa Primo. de ipſo Martyrologium 28. Novembris: *Romæ Beati Gregorii Papæ Tertii, qui ſanctitate præclarus migravit in Cœlum*. fuit Syrus, & ultimus ex hac Natione Pontifex. Benedictini illum

Officium B. Mariæ.

Rex Franciæ Chriſtianiſſimus vocatus.

illum inter ſuos referunt. annis fere undecim ſedit.

93. ZACHARIAS, Nomen Hebraicum, latine memoria Domini. de eo Micrologus capite 2. Zacharias vir Apoſtolicus in ordine nonageſimus tertius; conſtituit ne Sacerdotes ad celebranda Miſſarum ſolemnia cum baculo intrarent, nec velato capite altari aſtarent: intelligendo quod ita claudicarent, ut ſine baculo incedere non poſſent; quia Canon ait: *Claudis minime Ordinibus interdictum eſt; ut tamen Ordinati ad ſolemnia Miſſarum celebranda baculo non incedant.* de ipſo etiam Joannes Diaconus lib. 4. cap. 5. Zacharias ſanctæ Eccleſiæ Romanæ Epiſcopus, Græco Latinoque ſermone doctiſſimus, poſt annos fere centum ſeptuaginta quinque, Dialogos Gregorii in Græcam linguam convertens, Orientalibus eccleſiis divulgavit. fuit Romæ, & adhuc perſeverat illuſtris memoria ſancti Georgii ad Velum Aureum (nunc Velabrum dicitur) ubi venerandum Martyris hujus caput aſſervatur, quod Zacharias Papa in theca repertum cum inſcriptione Græcis literis exarata, ibidem recon-

Claudi baculo incedentes irregulares; nec capite tecto celebrare licet.

Dialogi S. Gregorii in linguam Græcam tranſlati.

Caput Sancti Georgii ad velum aureum, nunc Velabrum.

condidit. Ipſe inter alia reſpondit bonum fuiſſe Baptiſmum, quod aliquis ex ignorantia linguæ latinæ ita pronuntiaſſet verba; *Baptizo te in Nomine Patria, & Filia, & Spiritu Sancta*: modo non intenderit hæreſim, aut errorem inducere; ſed pro ſola ignorantia Romanæ locutionis infringendo linguam, ita dixiſſet; non poſſumus conſentire, ut denuo baptizetur. ab hoc Pontifice ſancitum fuit, ne præter Michaelis, Gabrielis, & Raphaelis, Angelorum alia ulla nomina recitarentur; quod dein Carolus Magnus Imperator firmavit in Capitularibus Aquiſgranenſibus, præcipiens ut ignota Angelorum nomina nec fingantur, nec nominentur, niſi illorum quos habemus in auctoritate; hi ſunt Michael, Gabriel, & Raphael. Martyrologium 15. Martii de eo pronuntiat: quod Dei Eccleſiam ſumma vigilantia gubernavit, & clarus meritis quievit in pace, Pontificatus anno 10. fuit ipſe Monachus Græcus, & ultimus ex ea natione ad Pontificatum aſſumptus.

Baptiſmus validus, etiamſi verba non bene pronuntiata.

Trium Angelorum nomina Michael, Gabriel, & Raphael tantum uſurpanda.

1194. STEPHANUS Secundus Romanus tertio Papatus die apoplexia correptus moritur, ideo-

Stephanus ſecundus 3. dier. Pontif.

ideoque vel ob vitæ brevitatem, vel quia non conſecratus, omittitur a pluribus in ſerie Pontificum; ſed haud recte: cum & legitime creatus fuerit, & e Pontificum numero non ſubtrahendus, etiamſi ad horam tantum vixiſſet, uti Vicedominus Papa 194. qui primo Papatus die defunctus eſt.

Mos Papam humeris deportandi.

95. STEPHANUS Tertius, itidem Romanus, annorum 5. Pontifex: hujus virtus & ſapientia eum ita amabilem reddiderat, ut ſuorum humeris fuerit deportatus ad Baſilicam Lateranenſem; unde mos profluxit in nonnullis ſolemnitatibus Papam humeris deportandi. hic Aſtulphum Longobardorum Regem agros Romanos invadentem, cum verbis & muneribus avertere non poſſet, in Galliam ad Regem Pipinum, Brevem dictum, perſonaliter profectus eſt, primus Pontificum Alpes transgreſſus; cui Pipinus Carolum filium adoleſcentem, qui Magnus poſtea dictus eſt, ad centeſimum lapidem obviam miſit: & ipſe Pipinus, ad tertium lapidem equo ſuo deſcendens, ac frenum Papalis equi regens, eum ad Palatium ſuum deduxit, ac Summus

Primus Papa Alpes tranſiens.

Pon-

Pontifex Pipinum confeſtim Italiæ, ſive Romanorum Regem conſecravit: atque ita Imperium a Græcis ad Latinos transferri cœpit, idque ſub impiiſſimo Imperatore, hæretico, iconomacho, Conſtantino Copronymo (unde hoc illi cognomen, vide Onomaſticon) & ſic ceſſavit Exarchatus, qui per ducentos fere annos duraverat: quam ordinationem non multo poſt Leo Tertius in Carolo Magno totaliter executioni mandavit. Nota quod in manus hujus Stephani ſanctus Rumoldus Archiepiſcopatum ſuum a Papa Zacharia acceptum, ſeptimo Præſulatus anno reſignavit, ut prædicationi Euangelii liberius vacare poſſet: uti narrat Vvachtendonck in vita, capite nono, & undecimo. *Imperium Romanum a Græcis ad Latinos translatum.*

96. PAULUS Primus Stephani præcedentis frater, Romanus, annorum decem Pontifex, in demortui locum fratris, ob vitæ & doctrinæ integritatem ſubrogatus fuit: cum exemplo careret duorum fratrum in ſummo Sacerdotio ſucceſſio; quæ nec impoſterum unquam viſa, niſi ſemel adhuc in Benedicto Octavo, & Joanne Vigeſimo. erat autem Pau- *Fratrum in Pontificatu ſucceſſio rara.*

lus

lus (nomen ſuum bene referens, *παύομαι* quieſco, latine quietus, puſillus, modicus) vir mitiſſimi ingenii, clementiæque ſingularis, & adeo Salvatoris noſtri imitator, ut nulli umquam malum pro malo redderet; ſed e contra malos, a quibus ſæpe injuriis afficiebatur, in bono vinceret: ſolitus noctu cum paucis familiaribus pauperum domos, infirmorum cubicula, & captivorum carceres viſitare, iiſque liberaliter eleemoſynis, & bonis exhortationibus ſuccurrere: ædes etiam paternas, in quibus natus & educatus fuerat, in Eccleſiam convertit; quam in honorem Sanctorum Stephani Protomartyris, & Silveſtri Pontificis Deo dicavit. ipſe quoque in Cæmeterio antiquo invenit corpus Beatæ Petronillæ filiæ B. Petri, in ſepulcro marmoreo, hac inſcriptione: *Petronillæ filiæ dulciſſimæ*. quod argentea capſa incluſum, congregato Clero Populoque Romano, ex via Appia in Vaticanum detulit, & non procul a Corpore B. Petri collocavit. mortuo hoc Pontifice Schiſma excitatum fuit a Totone Nepeſino Duce potente, fratrem ſuum Conſtantinum Laicum per vim intrudente, & ipſum a coacto

Inventio Corporis B. Petronillæ.

SCHISMA NONUM.

Conſtantinus Laicus intruſus,

vici-

vicinorum Epiſcoporum conciliabulo approbari curante; ſed aruiſſe ſtatim ordinantis Epiſcopi manum, ita ut eam ori applicare non potuerit, tradit Anaſtaſius Bibliothecarius. Paulus hic in Martyrologio 28. Junii Sanctus recenſetur. *& hinc vacat Sedes Menſib. 13.*

97. STEPHANUS Quartus (poſtquam vacaviſſet Sedes menſibus tredecim ex intruſione fratris Totonis, qui Conſtantinum Secundum ſe nominabat, & per ſaltum ordinatus fuerat) ſancivit ne quis niſi per diſtinctos gradus Pontifex creari poſſet: omniaque quæ ſic per ſaltum Ordinati in divinis egiſſent, irritavit, præter Baptiſmum & Confirmationem: fuit Stephanus Siculus, paulo plus tribus annis Pontifex, ex Canonico Auguſtiniano factus Monachus Benedictinus: quod mutationis genus in aliquibus factum dicitur ex eo, quod Benedictini a Gotis e Caſſino fugati, ſe Romam conferentes, & a Canonicis Lateranenſibus hoſpitio excepti, cum religioſa diſciplina multum excellerent, nonnulli ex iſtis ſe Monaſticæ illorum Regulæ ſubjecerint; hinc an aliquot Pontifices fue- *Per ſaltum Ordinatorum irrita quæ? Canonici Auguſtiniani facti Benedictini.*

ſuerint ex Ordine Benedictino, an Auguſtiniano, controvertitur.

98. ADRIANUS Primus, Romanus, cultum ſacrarum Imaginum hiſce verbis ſtabilivit: *Definimus in omni certitudine, ſicut figuram vivificantis Crucis, ita venerabiles & ſanctas Imagines propagandas, ex quavis materia paratas, congruenter in templis ſanctis, vaſis, veſtibus, parietibus, & tabulis, ædibus privatis, & viis publicis habendas: quo ſcilicet per hanc imaginum inſpectionem inſpectores ad prototyporum memoriam veniant & deſiderium, iiſque ſalutationem & honorariam adorationem exhibeant, oblationibus ſuffitorum & luminum, ut antiquis piæ conſuetudinis erat: imaginis enim honor in prototypum reſultat; non tamen veram latriam, quæ ſecundum fidem eſt, quæque ſolum divinæ naturæ competit, impertiendam. igitur qui aliter docuerit, vel aliquid ex his quæ deputata ſunt Eccleſiæ, ſive Euangelium, ſive figuram Crucis, ſive ſanctas Martyrum reliquias, quas ſciverit eſſe germanas, & veras, projicere, aut contra conſtitutionem Eccleſiæ improbe aliquid moliri auſus fuerit; ſi Clerici, aut Epiſcopi fuerint, deponi præcipimus; Monachos, aut Laicos Communione pri-*

Cruces & Imagines in Templis, domibus, & viis publicis.

Adorationibus & luminibus honoranda.

privari. ita Adrianus. Literas Pontificias, quæ primo cera ſigillabantur, plumbo muniri conſtituit: profuſus fuit in pauperes, ſingulis diebus in porticu Lateranenſi centum alere ſolitus: magnificus in ornamentis; Candelabrum 1370. cereorum capax, cujus brachia Delphini dicta, appendit ante Presbyterium S. Petri; quod nunc Chorum, & Candelabrum Coronam dicimus. diuturniorem cæteris, tam præteritis, quam ſecutis Pontificibus Papatum habuit; utpote qui proxime ad annos Petri pervenerit: ſedit enim annis 23. menſibus 10. diebus 18. ſequentis etiam Leonis Pontificatus diuturnus fuit, annorum 20. menſium 5. & dierum 17. ita ut ſpatio 45. annorum duo tantum Summi Pontifices viſi fuerint; ſequens autem Stephanus Quintus 7. dumtaxat menſibus ſedit. ſub Adriano habitum eſt anno 787. Concilium œcumenicum ſeptimum, Nicænum ſecundum, Patrum 350. contra Iconomachos, ſive Imaginum impugnatores.

Literæ Pontificiæ prius cera, nunc plumbo ſigillatæ.

Candelabrum magnum ante Chorum.

Diutiſſimus poſt Petrum Pontifex.

Spatio 45. annorum duo tantum Pontifices.

Concil. gener. 7. Nicænum 2.

99. LEO Tertius, ex Canonico Auguſtiniano, dein Monacho Benedictino, pietate & mo-

Anno Christi 800.

moribus, ac Pontificatus diuturnitate ultra annos viginti, Adriano non diſſimilis, feſto Nativitatis Domini anno 800. Carolum Magnum Romæ Imperatorem coronavit: quæ imperatoria coronatio deinde in uſu eſſe cœpit. S. Svvibertum S. Vvillebrordi Coepiſcopum, & Vveſtphaliæ Apoſtolum, poſt lectam ipſius vitam, & miracula diſcuſſa, poſtque actas preces, & celebrata jejunia, de conſenſu Cardinalium, præſente Carolo Magno, Sanctorum Confeſſorum Catalogo aſcripſit: traditque S. Ludgerus primus Monaſterienſium Epiſcopus, qui præſens aderat, Pontificem inſtituiſſe diem primum Martii ab incolis feſtive quotannis celebrari, & ad divina confluentibus indulgentias conceſſiſſe: quæ prima ſolemnis Sancti alicujus Confeſſoris Apotheoſis ſive Canonizatio memoratur. antea moris erat, cum aliquis Martyrio occubuiſſet, ut Epiſcopus, ſub cujus ditione id accidiſſet, rem geſtam ſcriberet ad Primatem; a quo adhibitis collegis Epiſcopis, an inter Martyres eſſet recipiendus declarabatur: quod in Canonizatione S. Rumoldi Tutelaris noſtri contigit, qui a duobus Epiſcopis Gerardo Came-

Imperatoris Coronatio in uſu eſſe cœpit.

Prima ſolennis Confeſſoris Canonizatio additis Indulgentiis.

Quomodo ea ante fiebat?

meracenſi, & Adelberto Ultraje-ctino, qui ad hoc Mechliniam venerant, Martyr declaratus fuit. Hic Leo cum ſuorum temporum graviſſimis vexaretur afflictionibus, ſepties in die, imo novies interdum Miſſam celebraſſe, pro impetrando divino auxilio, perhibetur: & cum ſeptimo Kalendas Maii, feſto S. Marci, ſolemni ritu Litanias Majores cum Populo & Clero celebraret, ipſi crudeliter lingua abſciſſa eſt, & evulſi fuerunt oculi per Paſchalem Primicerium, & Campulum Sacellarium, nepotes Adriani Papæ defuncti, qui aſſumptionem ejus ægerrime ferentes, parum abfuit quin Schiſma in Eccleſia excitaverint; ſed ope B. Petri linguæ & oculorum uſum recepit, atque incolumis in Franciam ad Carolum Magnum, unicum afflictæ Eccleſiæ ea tempeſtate præſidium contendit; unde anno 803. cum eodem Imperatore, & inſigni Cardinalium, ac Procerum Comitatu Mechliniam venit: percrebuerat enim per totam Europam fama miraculorum S. Rumoldi, ſub præcedenti Pontifice anno Chriſti 775. martyrio affecti: atque ipſe Leo ad tumulum ejuſdem lingua latina concionem in

Papa pluries uno die celebrans.

Primicerius, Sacellarius, vide Onem.

laudem ipſius habuit, & aliquot donaria obtulit, uti narrat Vvachtendonck in vita S. Runioldi capit. 29.

100. STEPHANUS Quintus declaravit Sacramenta ſine S. Crucis ſigno adminiſtranda non eſſe: unde de Conſecratione, diſtinctione 5. ita loquitur: *nunquid non omnia Chariſmata Sacerdotalis miniſterii Crucis figura perficiuntur? nunquid Baptiſmatis unda, niſi Cruce ſanctificata, peccata relaxat? & ut cætera prætereamus, ſine Crucis ſignaculo quis Sacerdotii gradus aſcendit?* fuit hic Stephanus Romanus, menſium dumtaxat quinque Pontifex; intra quod breve ſpatium, anno 816. quarto Kalendas Novembris Ludovicum Pium, Caroli Magni filium, Imperatorem coronavit.

Signum S. Crucis ſacris adhibendum.

101. PASCHALIS Primus, Romæ in Cœmeterio Prætextati, inter alia reperit Corpus B. Cæciliæ Virginis & Martyris, aureis indumentis, ſanguine adhuc reſperſis, involutum: quod deinde noſtro tempore anno 1599. Octobris 20. ſub Clemente 8. eo habitu quem imagines de illa inven-

Inventio Corporis S. Cæciliæ.

ventione paſſim editæ referunt, fuit repertum. Martyrologium Romanum die 14. Maii ita habet: *Romæ ſancti Paſchalis Papæ, qui plurima ſanctorum Martyrum corpora e cryptis levavit, & in diverſis Eccleſiis honorifice tumulavit.* fuit Romanus, Benedictinus, Canonici Auguſtiniani ſuum dicunt, annis ſeptem Eccleſiæ præfuit; anno 823. Dominica Reſurrectionis Lotharium Ludovici pii filium Romæ coronavit.

102. EUGENIUS Secundus; ſub hoc Pontifice, ſublato ſchiſmate Zinzinii, qui poſt aliquot dies abdicavit, conſtitutio promulgata fuit, ut Pontificum electionibus ii tantum intereſſent, quibus per ſanctorum Patrum conſtitutionem, antiqua fuit conſuetudine conceſſum. munificus erga pauperes Eugenius fuit, curavitque ne uſquam vilius quam Romæ annona væniret, pauperum pater dictus: ortu Romanus, Can. Reg. annorum 3. & 6. menſium Pontifex.

Schisma decimum. *Zinzinius contra Eugenium II.*

103. VALENTINUS Magno Cleri & Senatus, Populique Romani conſenſu, non-

dum Presbyter, ſed Diaconus in ſummum Pontificem aſſumitur, ob præſtantiſſimas virtutes, pietatem, clementiam, liberalitatem, & divinam eloquentiam, qua omnia quæ volebat perſuadebat, eaque tantum utebatur ad perſuadendum res bonas & ſanctas: ſed præter expectationem 30. die, Romæ in Patria obiit.

104. GREGORIUS Quartus, ex Monaſterio Foſſæ Novæ, Ordinis ſancti Benedicti Papa: de ipſo Martyrologium Roman. *Kalendis Novemb. feſtivitas omnium Sanctorum, quam in honorem B. Genitricis Dei Mariæ, & omnium Sanctorum Martyrum Bonifacius Papa Quartus, dedicato templo Pantheon, celebrem & generalem inſtituit agi quotannis in Urbe Roma; ſed & Gregorius item Quartus poſtmodum decrevit eamdem feſtivitatem, quæ variis modis jam in diverſis Eccleſiis celebrabatur, in honorem omnium Sanctorum ſolemniter hac die ab univerſa Eccleſia perpetuo obſervari.* In Italia a tempore Bonifacii Quarti celebrabatur hoc feſtum die 13. Maii. ſed hic tranſtulit in Kalendas Novembres; quo die antea Romæ agebatur ab ethnicis feſtum Cybeles, &

Feſtivitas omnium Sanctorum antea omnium Martyrum tantum.

Cur tranſlata in 1. Kal. Novemb.

& omnium Deorum: eamque non tantum in honorem Martyrum, ſed etiam Sanctorum omnium feſtivitatem agi voluit: & alias rationes cur in menſem Novembrem translata ſit, vide ſupra in Bonifacio IV. Papa *69*. Fuit autem Gregorius hic Romanus, digniſſimus ſexdecim annorum Pontifex.

Mutatio nominis Pontificum.

105. SERGIUS Secundus: Platina ex Martino Polono refert, quod hic primo nominatus fuerit *Os Porci*, ſive Bucca porcina; ideoque fuiſſet primus, qui in aſſumptione ad Pontificatum nomen mutarit; ſed fabuloſe hæc, uti alia plura a Polono ſcripta ſunt: nam quis tali unquam nomine homo Chriſtianus vocatus fuiſſet? niſi forſan cognomine. primam nominis mutationem factam fuiſſe conſtat ab Adriano Tertio, qui antea Agapetus; & ſucceſſore Stephano Quinto, qui Baſilius; ac Joanne Duodecimo, qui Octavianus dicebantur: vide ſuis locis rationem: ſed uſus mutandi nomen poſtmodum cœpit, & perſeveravit a Sergio Quarto; qui Petrus antea vocatus, reverentiæ cauſa erga primum Chriſti Vicarium, nomen dimiſit: uti paulo poſt la-

A quibus vere cœperit.

tius referetur. fuit Sergius hic Romanus, Canon. Reg. trium annorum Pontifex, qui coronavit Imperatorem Ludovicum II. Lotharii filium, anno 844. adhuc vivente Patre Monaſterium ingreſſo.

Laici Presbyterio ſive choro excluſi.

Octava Aſſumptionis Deiparæ.

Fabula Papiſſa Joannæ.

106. LEO Quartus ab ingreſſu Presbyterii edito decreto laicos arcuit: qua de re Ambroſius olim Theodoſium Imperatorem arguit. Octavam Aſſumptionis Deiparæ juſſit, cum antea feſtum hoc a Damaſo inſtitutum, ſine octava celebraretur. pulcherrimas orationes, ſive collectas in honorem Apoſtolorum Petri & Pauli compoſuit, quibus Eccleſia Romana adhuc utitur. Crucem, quam ex more antiquo Subdiaconus ante equum Papæ præferre ſolebat, renovatam auro & gemmis exornavit. Papiſſa Joanna fabuloſe poſt hunc Pontificem inſeritur a Mariano Scoto, ſæculi decimi, & Martino Polono, duodecimi ſcriptoribus: ſed Ado Viennenſis in Gallia Archiepiſcopus, ſæculi octavi ſcriptor inſignis, quo hæc fabula contigiſſe narratur, & Anaſtaſius S. R. E. Bibliothecarius, qui eodem tempore vixit, & ſex Pontificum conſequentium ordina-

tio-

tioni ſe interfuiſſe ſcripſit: nimirum Sergii 2. Leonis 4. Benedicti 3. Nicolai 1. Adriani 2. ac Joannis 8. & hiſtoriam Romanorum Pontificum uſque ad ſua tempora digeſſit, nihil omnino meminerunt de ſuppoſita hac muliere, aut de ullo Joanne Pontifice, Leoni 4. ſuccedente; ſed poſt tres Pontifices, Joannem Octavum ponunt; quem fabulæ hujus aſſertores Nonum vocant: atque hinc incipit diſcrepantia in Joannibus. verum pro fabula etiam haberi cæpit ab heterodoxis hiſtoriæ non ignaris, quorum teſtimonia fatentium eſſe talem vide in Cenotaphio Joannæ Papiſſæ everſo a Philippo Labbe e Societate Jeſu. Camarinam hanc nuper iterum movere cæperat quidam Samuel Mareſius Profeſſor Hiſtoriarum Groeningæ in Friſia, edito tractatu de Joanna Papiſſa reſtituta; ſed prædictus Labbeus, Gallus Biturix, eum declarationibus ſuis eo deduxit, ut ſcripto veniam petierit, quod fabulæ fabularum omnium fabuloſiſſimæ, renitente conſcientia, ut ipſe ſcribit, patrocinium ſuſcepiſſet. fuit Leo Romanus Can. Reg. annorum paulo plus octo Pontifex, Sanctus indigitatur in Martyrol. 17. Julii.

107. **B**ENEDICTUS Tertius diu reluctatus, plorans, & Deum, ac Sanctos teſtes faciens, ſe nequaquam dignum eſſe, qui tantæ Sedi præficeretur, Pontificium munus tandem ſuſcepit: ſed Schiſma excitavit Anaſtaſius Presbyter Cardinalis Tituli S. Marcelli, qui non longe poſt coactus abdicavit. Conſtituit Benedictus, ut Pontifex interſit Sacerdotum funeribus, & Clerus reciproce Pontificis; quod ipſe non ſolum verbo, ſed re ipſa obſervavit, omniaque Charitatis Officia implens, poſt obitum Clericorum humeris delatus eſt in Eccleſiam S. Petri: inter quos erat ejus Succeſſor Nicolaus. fuit ipſe Romanus, Can. Reg. duorum annorum, & dimidii Pontifex.

SCHISMA XI.
Anaſtaſius contra Benedictum 3.

Pontifex Sacerdotes, & hi Pontificem ſequant.

108. **N**ICOLAUS Primus; cognomento Magnus, Gregorio Magno æquiparandus: nam ut ille ne aſſumeretur ſe ſubduxit, ita hic latebris extractus conſecratur, præſente Ludovico Imperatore, atque cum hymnis & canticis deducitur in Patriarchium Lateranenſe, equi Pontificii Imperatore ipſo frænum tenente: & ut

Imperator pro ſtratore ſervit Papæ.

ut Gregorius Anglorum, ſic ipſe Bulgarorum Apoſtolus merito habetur: ſub ipſo bis uno anno Tiberis in tantum excrevit, ut Romani crediderint eluvione mundum rurſus periturum; pro viribus autem Urbi ſuccurrere non omiſit. tranſtulit Corpus S. Clementis ex Cherſona inſula, ubi in mare projectus fuerat, Romam in Eccleſiam ejus nominis. prohibuit intereſſe Miſſæ Sacerdotis Concubinarii. Scripſit plures epiſtolas, Vir Cathedra illa digniſſimus, & Regibus, ac Tyrannis fortiter imperavit. ſub ipſo Anaſtaſius Bibliothecarius publicavit hiſtoriam Romanorum Pontificum, ejuſque cenſuræ ſubmiſit; eamque proſecutus eſt Guilielmus Bibliothecarius. Martyrol. Rom. 3. Novembris eum vigore Apoſtolico præſtantem indicat. fuit Romanus, annorum novem cum dimidio vere Magnus Pontifex.

Tranſlatio S. Clementis.

109. ADRIANUS Secundus: vir hic multarum virtutum, cum bis antehac, poſt obitum Leonis 4. & Benedicti 3. ab omnibus expetitus, exquiſitis excuſationibus verecunde ſubterfugiſſet; tandem poſt Nicolaum, fere

Hic, & duo deceſſores Pontifices reluctantes aſſumpti. vide 2. præcedentes.

fere octogenarius, omnium votis perquiſitus conſecratur. diverſa exin fuere judicia de affectu Adriani in Nicolaum deceſſorem; quaſi quæ ille zelo Religionis ſanxiſſet, hic refringere gauderet: ſed purgavit ſe Adrianus, convocatis Epiſcopis ad convivium, eorum manibus humiliter aquam affundens, cibos apponens, pocula miniſtrans, ac denique cum illis diſcumbens; quod nullum Pontificum feciſſe noverant: dum ſurrexit ab epulis, in faciem ſuam coram omnibus procidit, rogans ut pro Eccleſia Catholica, pro Imperatore, ac pro ſeipſo preces Deo offerrent: demum in laudes Nicolai prorupit, ejuſque memoriam in ſacris Diptychis celebrari præcepit. ſub ipſo habitum fuit 8. Concilium OEcumenicum, Conſtantinopolitanum 4. & in Orientali Eccleſia ultimum, anno 869. Patrum 383. fuit ipſe Romanus, perque annos fere quinque Eccleſiæ præfuit.

Papa ſuis Convivis miniſtrans.

CONCIL. OECUMENICUM 8. CONSTANTINOPOL. 4. *& ultimum in Oriente habitum.*

110. JOANNES Octavus hoc loco, non ante, poſt Leonem 4. ponendus, ſtatuit ut ſi quis homicidium commiſiſſet, perpetuo irregularis haberetur, & ad

Homicidæ irregulares.

ad ſacros Ordines nullatenus admitteretur; & ſi Sacerdos eſſet, Miſſam celebrare non præſumeret. item ſi quis Sacrum de non Sacro, aut non Sacrum de Sacro abſtuliſſet, ſacrilegi pœna multaretur. conceſſit Indulgentias militantibus aut occiſis pro Eccleſiæ defenſione: cumque Italia Saracenorum graſſationibus depopularetur, præ mœrore obiit; hincque accidiſſe potuit, ut ob nimiam animi teneritudinem, abjecta omni, ut videbatur, virilitate, non Papa Joannes, ut Nicolaus, & Adrianus, qui inimicis fortiſſime reſtiterunt; ſed Joanna fuerit dictus; & qui Spadoni Photio Sedis Conſtantinopolitanæ (expulſo per vim Ignatio legitimo Epiſcopo) non paſtori, ſed lupo reſiſtere auſus non fuiſſet; quique victus fuiſſet a ſemiviro, non vir, ſed fæmina potius eſſet nuncupandus: ſicque nomen contumeliæ tranſierit ad poſteros rerum inſcios, in veritatis opinionem; fueritque a pluribus decantatum Joannem 8. fuiſſe fæminam; atque ut Horatius Turſellinus ait in Epitome hiſtoriarum: *ſunt qui Joannem 8. fæminam fuiſſe fabulentur; quod falſo creditum, veri locum apud imperitum vulgus obtinuit,*

Sacrilegum furtum.

Joannes 8. quare fæmina dictus?

ſive

ſive muliebris Pontificis facies, *ſive effaminatus interdum vigor fabulæ locum dederit*. Ab hoc Joanne incipit diſcrepare numerus Pontificum in Joannibus; quia hic vocatur Nonus ab iis qui Joannem 8. perperam Papiſſam dictum, ponunt paulo ante, poſt Leonem Quartum. quod ſatis clare refutarunt Onuphrius Panvinius, Cardinalis Bellarminus, Florimondus Remondus, ex Hetero Orthodoxus, & noviſſime P. Labbe in Joannæ Papiſſæ Cenotaphio everſo: ut etiam Heterodoxi fateantur eſſe fabulam; quales fuere Samuel Mareſius, cum pridem Papiſſam reſtituere conatus fuiſſet; & David Blondel, qui totam fabulam tractatu Gallico clare propoſuit, & apud ſuos propter hoc malam incurrit notam. De Sede autem perforata, ſive ſtercoraria, quæ fabulæ huic admiſcetur, ut aliquid addam: ſciendum eſt, quod in Ceremoniis antiquis Conſecrationis Papæ adhiberi ſoleat ejuſmodi ſedes, & cantari illud Pſalmi Davidici: *Suſcitans de terra inopem, & de ſtercore elevans pauperem: ut collocet eum cum Principibus, cum Principibus populi ſui*: ut qui in tanta dignitate conſtituitur, ſciat ſe non

Papiſſa Joanna pro fabula habita etiam ab Heterodoxis.

Sedes ſtercoraria.

Deum

Deum, ſed hominem eſſe, humanæque naturæ, utpote alvo egerendæ, obnoxium; unde ſtercorariæ nomen accepit: cujuſmodi adhuc Sedi imponitur novus Papa, cum deportatur ad Baſilicam Lateranenſem pro Pontificatus poſſeſſione accipienda, & paulo poſt in altera auro gemmiſque ornata collocatus, a Cardinalibus adoratur. fuit hic Joannes Romanus, anniſque decem in Petri Cathedra reſedit: intra quod ſpatium, ab anno 872. uſque ad 882. tres Franciæ Reges Romanorum Imperatores coronavit: Carolum 2. Calvum, Ludovicum 2. Balbum, & Carolum 3. Craſſum, dictos; quod nulli Pontificum contigit.

111. MARINUS, vel potius litera interpoſita MARTINUS Junior (quod poſtea in electione Martini Quinti comprobatum fuit) filius Palumbi Presbyteri, ex legitimo ante Sacerdotium Patris Matrimonio, maxima cum laude, ter a Sede Apoſtolica legatus Conſtantinopolim miſſus fuerat: dein creatus Pontifex Photium, cunctaſque ab eo res geſtas, præſertim Epiſcopales damnavit: hincque Baſilius Imperator Pho-

Photii fautor conabatur eum de ſolio Papali dejicere; ſed reſtitit egregie, ſeditque laudabiliter annum, & menſem unum: primus ex Gallis, ut ipſi putant, ad Papatum aſſumptus; nam Onuphrius Panvinius in notis ad Platinam, ait fuiſſe non ex Gallia, ſed Galleſio Faleriorum in Etruria oppido oriundum.

Nominis mutatio quo intuitu facta.

112. ADRIANUS Tertius, Agapetus antea, Pontifex factus, Adrianus appellatus; quod magnitudine animi cognomines Adrianos prædeceſſores æquaret. hic inhærens deceſſoris ſui veſtigiis, execratus & ipſe Photium tamquam Laicum, agentem Conſtantinopoli Patriarcham; quamvis à Baſilio Imperatore rogaretur, Communionem ei impertiri noluit: videns autem Imperator fruſtra ſe agere, hoſtiles & contumeliis plenas literas ei ſcripſit, quas ſero Romam perlatas, poſt obitum Adriani, Stephanus ſucceſſor accepit. fuit autem Adrianus Romanus, anno uno & quatuor menſibus Pontifex.

113. STEPHANUS Sextus, miræ virtutis & pietatis Præ-

Præſul, Urbi fame aliiſque incommodis laboranti, ex defectu pluviæ, & locuſtarum vaſtatione, optatam pluviam copioſiſſime impetravit; aquamque benedixit, cujus aſperſione locuſtæ penitus ſunt expulſæ. Extat reſcriptum hujus Papæ ad Heribertum Archiepiſcopum Moguntinum, quo explodit purgationem per ferrum candens, vel aquam ferventem fieri ſolitam, tanquam judicium Dei: quod præſertim fiebat in fœminis ad probandam pudicitiam; hinc dictum antiquum Teutonicum: *Een goede Maeght*, *door 't vier haer vraeght*, fuit Stephanus Romanus, Baſilius ante dictus, anniſque paulo plus ſex Romanæ Eccleſiæ præfuit.

Aqua benedicta contra locuſtas.

Probatio per ferrum candens.

114. FORMOSUS fortunæ inconſtantia varie jactatus, tandem ad ſummum Pontificatum pervenit: exiſtens enim Portuenſis Epiſcopus, uſque ad Laicalem ſtatum a Joanne Octavo degradatus eſt, quod conjurationis contra ipſum auctor haberetur: dein a ſucceſſore Martino, vel Marino in gradum priſtinum reſtitutus: demum in Romanum Pontificem aſſumptus fuit; unde ſchiſma duo-

de-

SCHISMA XII.

Sergius contra Formoſum.

decimum in Eccleſia ortum: ita ut quidam Sergius aliquot dies ſederit, ſed ope Arnulphi Imperatoris, quem anno 895. Romæ Formoſus coronavit, extinctum fuit: qui nomini ſuo reſpondens, Eccleſiam Principis Apoſtolorum renovare aggreſſus, eam variorum Divorum picturis formóſiorem reddidit. fuit ipſe Romanus, Canonicus Auguſtinianus, annorum quinque & dimidii Pontifex.

Pontifex 15. dierum.

115. BONIFACIUS Sextus, aliquot tantum dies Cathedram tenuit: nihilque de eo narratur, niſi quod ſequitur in ſucceſſore Stephano. fuitque Bonifacius Italus ex Tuſcia oriundus.

116. STEPHANUS Septimus, Romanus, Bonifacium deceſſorem tamquam Sedis invaſorem, cum eam vix medio menſe tenuiſſet, expulit: quin etiam prædeceſſorem Formoſum, quod a Papatu prius obtinendo eum arcuiſſet, tanto proſecutus eſt odio, ut ſacrilegus in ejus cadaver extiterit.

Cadaver Pontificis exhumatum, & degradatum.

Nam illud e ſepulchro extrahens, atque in Sede Apoſtolica Pontificalibus indutum collocans, cum ei-

eidem tanquam viventi exprobraſſet, quod nimia ambitione; ex Portuenſi Epiſcopo, Pontificatum Romanum invaſiſſet: illud ipſum cadaver ſic damnatum, ſacriſque mox exutum veſtibus; ac digitis, quibus benedicere moris eſt, mutilatum in Tiberim projecit: cunctoſque quos idem Formoſus ordinaverat gradu depoſuit, iterumque ordinare voluit: quod quomodo deteſtatum fuerit, paulo poſt in Joanne Nono videbitur: ipſe vero, Deo vindice, Sede pulſus, & in carcerem detruſus, laqueo inibi ſtrangulatus eſt, Pontificatus ſui anno quarto nondum expleto. Fuerunt hæc infeliciſſima & luctuoſiſſima Eccleſiæ Romanæ tempora, quibus majora damna ſuſtinuit a Principibus nonnullis, qui Pontifices intrudebant, quam umquam paſsa ſit a Gentilibus, Hæreticis, vel Schiſmaticis. Verum etſi interdum deforme valde caput Eccleſiæ ab illis apponi contigerit, magno tamen miraculo, non eſt inventus, qui hoc perditiſſimo tempore ab ipſa ſe abſcinderet ſchiſmate, vel hæreſi eam impugnaret, ſed omnes Fidei vinculo & obedientiæ nexu juncti perſtiterunt; idque virtute orationis

Infelix Eccleſiæ ſæculum.

Ipſa tamen a Chriſto non deſerta.

Chri-

Chriſti pro inconcuſsa Fide Petri, & ſucceſsorum ejus.

ANNO CHRISTI 900.

117. ROMANUS, Marini, vel potius Martini ſuperioris ex fratre nepos, Italus Galleſius, uti patruus fuerat, non Gallus. Teſtimonium Euangelicum eſt: *Eadem menſura, qua menſi fueritis, remetietur & vobis*. ſicut Stephanus irritaverat quæ a Formoſo fuerant decreta, ita Romanus, qui Stephano ſucceſſit, idem ipſi præſtitit; cum parvo tempore quatuor vix menſibus Pontifex fuiſset.

118. THEODORUS Junior, nativitate Romanus, ſpatio viginti dierum quibus ſolummodo Pontifex fuiſſe dicitur, nil aliud fecit, quam rurſus confirmare decreta Formoſi: quantæque pietatis fuiſset Formoſus inde demonſtratum eſt, quod, ut refert Luitprandus, dum ejus corpus a piſcatoribus poſtmodum inventum ad S. Petri Baſilicam reportaretur, Divorum quos depingi curaverat imagines, illud in loculo poſitum, motis capitibus, venerabiliter ſalutaverint.

JOAN-

119. JOANNES Nonus, Italus Tiburtinus, profeſſione Monachus Ordinis S. Benedicti, cum non eſſet ei liberum Romæ degere, Ravennæ Synodum coegit; in qua damnata & combuſta ſunt acta Stephani Septimi adverſus Formoſum, & ordinati a Formoſo in gradum priſtinum reſtituti, atque anathematizati Sergius Presbyter, aliique qui Formoſi ſepulchrum temerare auſi fuerant. item prohibitio facta eſt, ne decedente Papa, Patriarchium Romæ expoliaretur, aut alibi Epiſcopia; quæ mala conſuetudo irrepſerat. obiit anno quarto, & aliquot diebus; qui miſsus a Deo videbatur ad deſtruenda quæ anteceſsor Stephanus male egerat.

Patriarchium & Epiſcopium quid? vide Onomaſtic.

120. BENEDICTUS Quartus Romanus, Canonicus Regularis Lateranenſis, ſequenti die a morte deceſsoris factus Pontifex, hujus ſæculi moribus corruptiſſimis, laudabiliter annos tres totidemque menſes, amore in pauperes commendatiſſimus, Pontificatum tenuit.

LEO

121\. LEO Quintus, Italus, natus in Villa Priapi, agri Ardeatini. Pontus Heuterus illum ſpurium indigitat Tractatu de libera hominis nativitate; quo inter alia demonſtrat, pleroſque ita natos, fuiſſe optimi genii, ſive ingenioſos: quod vox Teutonica *Baſtaerd*, ſonare videtur, quaſi *Beſten aerd*. hic Leo Quintus Benedicto Quarto ſubrogatus, poſt dies quadraginta expellitur, detruditurque doloſe in arctum Monaſterium a Christophoro familiari ſuo, & ambitioſo ſucceſsore, ubi mœrore preſſus brevi obiit.

SCHISMA XIII. *Inter tres Papas Leonem 5. Chriſtophorum, & Sergium 3.*

122\. CHRISTOPHORUS Romanus Sedem ex invaſione menſibus octo occupat, ſed deturbatur a ſucceſsore Sergio, & ſimiliter in Monaſterium detruditur; arctiori dein cuſtodiæ mancipatus in vinculis moritur: Deo illi condignam pœnam contribuente, ut quæ Leoni Domino fecerat, & ipſe pateretur.

123\. SERGIUS Tertius factione Adalberti Marchionis Sedem apprehendit, odioque adhuc furens in dudum defunctum

For-

Formoſum, ſententiam capitis in eum pronuntiat, rurſumque ſepulcro extractum capite truncat, & truncum cadaver iterum in Tiberim projicit. ſed & præter tyrannicam ejus vim, turpitudo quoque vitæ ſcriptis eſt prodita. Luitprandus enim teſtatur, ipſum ex Marozia nobili ſcorto filium genuiſse Joannem dictum, qui & ipſe ſummum Pontificatum poſtea ejus nominis undecimus adeptus eſt. mala hac tempeſtate bonum hoc præſtitit, quod Lateranenſem Baſilicam terræ motu collapſam reſtituit. fuit Romanus e Comitibus Tuſculanis, annis fere tribus notæ non bonæ Pontifex.

Pro ſacrilego (ut videtur) facinore hujus Sergii, & ſuperioris Stephani in Formoſum commiſſo, ita reſpondet Bellarminus Controverſ. Tom. 1. Lib. 4. de Rom. Pontifice, erraſſe ſcilicet Stephanum 7. & Sergium 3. ſed in quæſtione facti, non juris; & malo exemplo, non falſa doctrina; hanc enim inquit rei eſſe hiſtoriam; Formoſus Cardinalis & Epiſcopus Portuenſis a Papa Joanne Octavo depoſitus ac degradatus, & uſque ad ſortem Laicorum redactus, ex Urbe diſceſſit, &

juravit nunquam ſe ad Urbem vel Epiſcopatum rediturum: paulo poſt, mortuo Joanne Octavo, ſucceſſor ejus Martinus Secundus abſolvit Formoſum a juramento incaute prolato, & in dignitatem priſtinam reſtituit. haud ita longe poſt idem Formoſus Papa creatur, cui mortuo ſucceſſit Stephanus Septimus, qui magno in Formoſum odio inflammatus, & neſciens, vel non credens eum a Martino Papa fuiſſe abſolutum a juramento, publice in Concilio Epiſcoporum decrevit, Formoſum nunquam legitimum fuiſſe Pontificem, atque adeo irrita fuiſſe debere omnia ejus acta: & qui ab illo ordines ſacros acceperant, coegit iterum ordinari, tanquam nihil ab illo accepiſſent. diſplicuit hoc factum omnibus; & ideo tres Pontifices ordine ſuccedentes, Romanus, Theodorus 2. & Joannes 9. convocato alio Epiſcopali Concilio, judicaverunt Formoſum verum fuiſſe Pontificem, ipſiuſque Stephani ſententiam irritaverunt. ſucceſſit poſtea Sergius 3. & in omnibus Stephanum imitatus eſt. præcipua ergo queſtio fuit, an Formoſus fuiſſet Papa legitimus, necne: in quibus quæſtionibus

non

non negamus poſſe errare Pontifices, & de facto erraſſe. *ita Bellarminus*.

124. ANASTASIUS Tertius, Sergio 3. ſuffectus, modeſte in tot fluctibus & integre vixit: Epiſcopum Papienſem, ſive Ticinenſem ſingularibus auxit privilegiis; ut Crucem præviam haberet in itinere, umbella uteretur, equo albo veheretur, & in Conciliis a læva Pontificis aſſideret. fuit ipſe Romanus per annos duos irreprehenſibilis Pontifex.

Epiſcopi Papienſis prærogativa.

125. LANDO: hic ita obſcurus fuit, ut etiam ab aliquibus inter Pontifices non numeretur; tantum ſex menſibus & diebus aliquot præfuit. interpoſuiſſe dicitur ſuam auctoritatem, quo Arnulphus Imperator, & Berengarius Imperium ambiens bellum inter ſe non gererent. fuiſſe eum volunt aliqui origine Sabinum, profeſſione Canonicum Aurelianum, ſive Auguſtinianum.

126. JOANNES Decimus, anno 914. Berengarium contra Arnulphum ab Italis electum Imperatorem coronavit. confirma-

Puer quinquennis Archiepiſcopus Rhemenſis.

vit electionem pueri quinquennis in Archiepiſcopum Rhemenſem, delegans interim munia Paſtoralia Epiſcopo Sueſſionenſi. Joanni huic Decimo ab aliquibus alius quidam Joannes ſupponitur: ſed quia male intraverat, ſtatim ejectus eſt, & in Catalogo Pontificum paſſim prætermiſſus. fuit autem Joannes Decimus Italus Ravennas, de Familia Cynthia, quæ hodie Cincia dicitur, ſeditque annis quatuordecim.

127. LEO Sextus Romanus, detruſus a factioſis in carcerem, ibi menſe ſeptimo defunctus eſt; vir bonus, qui virtutis ſuæ ſplendore ſæculi tenebras illuſtrare incipiebat.

128. STEPHANUS Octavus Romanus ſedit annos duos, menſem unum, ejuſque vita manſuetudinis & religionis plena fuit. Vvratislaus Spirenæus Bohemiæ Dux Chriſti Fidem ſub ipſo recepit; nam qui Bohemiæ præerant antea Duces, poſt auctis opibus & copiis, Reges appellati ſunt, uti patet paulo poſt in Vvenceslao ejus filio Bohemiæ Duce, dein Rege. Sub idem tempus Mo-

Vvratislaus Bohemiæ Dux Chriſtianus factus.

na-

naſterium Gemblacenſe in Brabantia a Comite Guiberto propriis impenſis magniſque operibus ſtrui cœptum, & abſolutum eſt, uti narratur in Chronographico, quod in pariete Eccleſiæ extat: *Fundatio Monaſterii Gemblacenſis.*

Unum D *ſcribis*, C *quatuor*, X *bis*, & I *bis*;

Cum Clauſtrum per te fit Gemblacenſe Guiberte.

Quod eſt anno Domini D. CCCC. XXII. cujus Monaſterii Abbas Comitis titulum, quem Fundator habuerat, & primarium inter Nobiles Brabantiæ locum tenet.

129. JOANNES Undecimus, Sergii Tertii, ut ſupra, filius: detentus per vim in carcere coactusfuit concedere Patriarchę Conſtantinopolitano, ut abſque Romanorum Pontificum permiſſu, ipſe & ſucceſſores uterentur Pallio: indeque mos inolevit, ait Luitprandus, ut Epiſcopi totius Græciæ Palliis utantur. obiit in carcere patientiſſimus in afflictionibus, cum Eccleſiæ præfuiſſet annis fere quinque: fuit Romanus ex Comitibus Tuſculanis. *Græci Epiſcopi omnes Palliati.*

130. LEO Septimus, Romanus, tempore trium an-

norum ; ſex menſium, & decem dierum, quo gubernavit Eccleſiam, nihil notatu dignum hiſtorici referunt; niſi quod Sanctus Vvenceslaus Regiis inſignibus ab Othone Imperatore decoratus, quibus præ humilitate nunquam uti voluit, a fratre Boleslao, inſtigante eum Drahomira matre pagana ad Regnum invadendum, Martyrio affectus fuerit: cum quo Boleslao filio illa impiiſſime vivens, impietatis ſuæ debitas pœnas luit. Vide hiſtoriam ſuccinctè narratam in lectionibus Feſti 28. Septembris, quod anno 1673. quo hæc ſcribo, a Clemente Decimo Breviario Romano eſt inſertum.

S. Vvenceſlaus Rex Bohemiæ.

131. STEPHANUS Nonus, Romanus, ſed in Germania educatus, ab Italis vexatus, & in ſeditione ab Alberico Principe excitata turpiter mutilatus, deinceps vitam duxit in occulto, cum ob inhoneſta vulnera in facie deformatus prodire in publicum refugeret. miſit hic Pontifex Pallium Hugoni, jam viro facto, in pueritia electo Rhemenſi Archiepiſcopo; quia Joanne pridem Decimo quinquennis confirmatus

fue-

fuerat in electione, a Rhemenſibus publica legatione petitum. ſedit annis tribus, menſibus 4. diebus 5.

132. MARTINUS Tertius, a pluribus Marinus Secundus dictus (vide ſupra in Martino Secundo): ſub ipſo Conſtantinus Porphyrogenitus ſolvit Edeſſenorum obſidionem, mediante dono imaginis, quam vultus ſui Chriſtus miraculoſe delineatam, Abagaro Regi miſerat: hæc Imago primo Conſtantinopolim, inde ob bella translata eſt Romam, & magno honore culta. fuit ipſe Romanus, annorum trium & dimidii Pontifex. *Imago Chriſti Abagaro Regi miſſa.*

133. AGAPETUS Junior, vir innocens, & Reipublicæ Chriſtianæ amator, Monachis, & præcipue Caſſinenſibus privilegia multa conceſſit: Legatos miſit in Galliam, ad ſtabiliendum Ludovici Quinti Regnum, quod factione Hugonis Capeti, variis nutabat inſultibus; qui illud dein invaſit. fuit Romanus, annorum prope decem Pontifex.

134. JOANNES Duodecimus Romanus ex Comitibus Tuſculanis, electus ambitione Patris ſui Alberici potentiſſimi Principis, cum nondum decimum ſeptimum ætatis ſuæ annum expleſſet: quod tolerandum potius ſuaſere peſſima illa tempora, quam Eccleſiam ſchiſmate ſcindere, utpote malo omnium peſſimo. mutavit ipſe nomen, quo vocabatur Octavianus, in Joannem; ut poſſet audire in adulatoriis acclamationibus: *Fuit homo miſſus a Deo, cui nomen erat Joannes.* qui exiſtens Pontifex venationi magis quam devotioni, & voluptatibus plus quam precibus vacabat; aliaque auditu indigna de illo narrantur. Otho Magnus, primus ex Germanis Imperator, a quo ipſe anno *962.* Coronam Imperialem accepit, quibuſdam querulis de illius exceſſibus reſpondiſſe fertur: Puer eſt; facile bonorum mutabitur exemplo virorum. fuit per annos fere novem non bonæ notæ Papa.

Papa juvenis annorum ſeptēdecim

135. BENEDICTUS Quintus, Romanus, a Romanis Joanni per annum unum ſubro-

rogatus fuit: quod audiens Otho Imperator, Romam reduxit in anguſtias, eamque fame laborantem accepit in deditionem: mox (quod ipſius non erat) convocavit Synodum, in qua exauctoratus fuit Benedictus, ſubſtituto Leone ſequenti: quod facinus Deus ipſe vindicavit, immiſſa in ejus exercitum peſte ſæviſſima, qua Antiſtites multi, inter alios, extincti ſunt. Benedictus interim vir patiens & ſanctus, traductus in Germaniam, Hamburgi ſancto fine quievit. aliqui Benedictum hunc inter Pontifices non numerant, quod vivente Joanne ſuffectus fuerit.

Imperatoris non eſt Synodum convocare, & Pontificem mutare.

136. LEO Octavus Romanus, Canonicus Regularis, ſuffectus etiam per novem menſes fuit, eo tempore quo in exilium Benedictus miſſus fuerat: ſed ſchiſma hinc ortum, duravit etiam aliquo tempore ſequentis Papæ.

Schisma XIV.

Leo 8. contra Benedictum 5.

137. JOANNES Decimus tertius: cum tandem per Othonem Primum Imperatorem turbæ Romanæ eſſent compoſitæ, Pontifex hic lætitia repletus, O-

thonem Juniorem Imperiali corona decoravit, & conſortem ejus Theophaniam Imperatoris Græcorum Filiam. in monumentum autem, & augmentum tantę ſolemnitatis anno 968. elevata eſt campana miræ magnitudinis recens ære fuſa, quam prius ſacris ritibus Papa conſecravit, atque Joannis nomine nuncupavit; hincque invaluit uſus benedicendi campanas, eaſque aliquo nomine indigitandi. Sub hoc Pontifice contigit quod narratur in Breviario Romano Kalendis Auguſti: cum anno ſalutis humanæ nongenteſimo ſexageſimo nono quidam Comes Othonis Imperatoris familiaris, occupatus ab immundo ſpiritu, ſeipſum dentibus laniaret, is juſſu Imperatoris ad Joannem Pontificem ducitur, qui ut ſacra Vinculorum Petri catena Comitis collum attigit, erumpens nefarius ſpiritus, hominem liberum reliquit; ac deinceps in urbe Vinculorum religio propagata eſt. fuit Joannes hic Romanus, anniſque fere ſeptem Petri Cathedram optime tenuit.

Benedictio & nominatio Campanarum.

Attactus Reliquiarum ſalubcr.

138. DONUS Junior (eo modo Secundi inter Pon-

Pontifices, præſertim ubi duo tantum ejuſdem ſunt nominis, paſſim vocantur) Romanus, trium dumtaxat menſium Pontifex, tantæ modeſtiæ fuiſſe refertur, ut ſi nihil in Pontificatu geſſit, quo præterea laudaretur, non tamen aliqua injuria affectus, vel ignominia notatus fuerit, ut ſequens mox Pontifex.

139. BENEDICTUS Sextus, Romanus, a Cynthio præpotenti Romano captus, in Molem Adriani, quam ſancti Angeli vocant, includitur, eodemque in loco fame moritur: aliqui poſt annum unum & tres menſes ſtrangulatum volunt. male autem a Cynthio actum eſt; non enim ad illum pertinebat, etiamſi Benedictus deliquiſſet, Pontifici manus injicere. Miratur Platina de tanta in Pontificem injuria Othonem Imperatorem, Eccleſiæ Romanæ defenſorem acerrimum, nullam ſumpſiſſe vindictam, ſed illum aliis negotiis impeditum fuiſſe putat.

140. BONIFACIUS Septimus; cujus cognomen & patria ob ignobilitatem (ut Platina

tina credit) reticetur; aliqui Germanum dicunt, & Franconem antea vocatum: Pontificatum malis artibus adeptus, peſſime dimiſit: nam menſe ſeptimo relinquere Urbem coactus, pretioſiſſima quæque ex Vaticana Baſilica ſubtrahens, Conſtantinopolim fugit: quomodo obierit, vide paulo poſt in Joanne Decimoquarto.

141. BENEDICTUS Septimus, Romanus, Comitis Tuſculani filius, Arnulphum Archiepiſcopum Rhemenſem, ſeditione pulſum, Sedi ſuæ reſtituit. ab ipſo Sanctus Stephanus Hungariæ Rex Regium nomen & diadema impetravit. ſub ipſo Corpus Sancti Bartholomæi Apoſtoli ex Urbe Beneventana, Romæ in inſula Tiberina collocatum fuit. in magnis Eccleſiæ turbis laudatiſſimus novem fere annorum Pontifex vixit.

Corpus S. Bartholomæi in Inſula Tiberina.

142. JOANNES Decimusquartus, Italus Papienſis, ſive Ticinenſis, Petrus antea vocatus: ſub hoc Pontifice Romæ inſtitutum fuit Sodalitium, pro ſolamine Fidelium defunctorum per preces & eleemoſynas impetrando;

Inſtitutum Sodalitium defunctorum.

& ad

& ad refricandam in mentibus vivorum mortalitatis memoriam : nihil in Sacello ad hoc præparato, præter genuinam totius mundi domitricis Mortis imaginem ubique repræſentabatur, tum in parietibus, tum in altari, & ornamentis ſacris, in muſica, & officio divino: ad ſacelli introitum videbantur plurima mortuorum oſſa & capita ; uti hodie in funebri apparatu adhuc fieri videmus : multi Prælati, & Epiſcopi nomen huic Sodalitio dare non dedignabantur ; ejuſque memoriæ teſtis tabula marmorea adhuc extat Romæ in Diaconia SS. Coſmæ & Damiani : ſinguli Sodalium pro ſingulis de Sodalitio defunctis 40. Miſſas celebrari curabant ; uti S. Gregorius 30. inſtituerat : quem numerum quadragenarium imitari hodie incipiunt, qui ſupra Plebem 30. Miſſis Gregorianis contentam, ſumptuoſius ſuos ſepelire ſatagunt. Exactis a Joanne hoc in Pontificatu tribus menſibus, rediit invaſor & expilator Bonifacius ; qui ſuorum factione, Papam detruſit in munitionem S. Angeli a factionariis occupatam ; ubi per menſes quatuor peſſime detentus Joannes fame periit. unde tetrum

SCHISMA XV. Schiſma exortum fuit. Bonifacius vero poſt totidem ab ejus nece menſes, ultore Deo repentina morte percuſſus eſt; quem ſui fautores, poſt tetræ animæ exhalationem, lanceis confoſſum, nudumque per plateas tractum, inſepultum abjecerunt: licet eum quidam Clerici poſtea ſepelierint.

Bonifacius 7. prius expulſus denuo reverſus.

143. JOANNES Decimusquintus, Romanus de Vico Albæ Gallinæ, Pontifex annorum 10. & menſium 4. a Clericis odio habitus fuit, quod divina & humana cognatis & affinibus ſuis elargiretur. Hugo Capet, poſt Ludovicum Quintum Carolinorum ultimum, tertiæ ſtirpis Franciæ Rex, ad hunc Joannem Legationem miſit, qua eum invitabat in Galliam, ad componendas Rhemenſis Eccleſiæ diſcordias: Pontifex autem Legatum ſuum eo direxit Abbatem S. Bonifacii Urbis Romæ.

Papa nimis affectus erga ſuos.

144. JOANNES Decimusſextus: hunc Creſcentius potens Romæ Conſul, Urbis Imperium ſibi vendicare ſtudens, ita perſequi cœpit, ut Urbem relinquere Papam oportuerit. ſed ubi

inno-

innotuiſſet ipſum pro auxilio Legationem miſiſſe ad Othonem Imperatorem, Creſcentius humaniſſime revocavit: quo redeunte Conſul cum Senatu ad pedes Papæ ſe proſtravit petens veniam, eaque obtenta, in concordiam redacti vitam ſimul quiete traduxere. hic Pontifex habetur auctor Commemorationis omnium Fidelium defunctorum, die ſecunda Novembris: Sanctus Odilo Cluniacenſis Abbas illam quidem in ſuis monaſteriis antea inſtituerat; ſed hujus Pontificis auctoritate ubique locorum tenendam, ſacris legibus ſancitum fuit. fuit ipſe Romanus, menſium tantum 4. & aliquot dierum Pontifex.

Commemoratio omnium Fidelium defunctorum 2 Novemb.

145. GREGORIUS Quintus, Saxo-Germanus, Bruno ante vocatus, Othonis Imperatoris Tertii affinis, cujus interpoſita auctoritate Pontifex creatur; quem die Pentecoſtes anno 998. Imperiali Corona decoravit: verum poſt Othonis in Germaniam diſceſſum, ſeditionibus Romanorum exagitatus ad Imperatorem confugit; Romanique Joannem Epiſcopum Placentinum ab ipſis Decimumſeptimum dictum intruſerunt.

Qui S. R. Imp. primum Electores. runt. Gregorius hic Electores Sacri Romani Imperii, non determinando numerum, primus inſtituit: videlicet ſolis Germanis licere Principem deligere, qui Cæſar, & Rex Romanorum appellatus; tum demum Imperator & Auguſtus haberetur, ſi eum Romanus Pontifex confirmaſſet: nam defuncto Othone omnes Feudatarii Principes Imperii per annos ducentos electionem fecerunt: ſeptem vero Electores poſtea determinati ſunt ſub Innocentio Quarto anno 1245. Hic Pontifex propter largas eleemoſynas, & egregia facta, quibus claruit, *Minor Gregorius* eſt appellatus: ſedit per annos tres, & menſes fere octo.

146. JOANNES Decimus ſeptimus, Italus, Epiſcopus Placentinus, contra Gregorium intruſus, & pro Pontifice habitus fuit: nomen ejus quidam ex Pontificum Catalogo ſupprimunt, nonnulli vero apponunt; quod Populi, Clerique Romani conſenſu, ad quos electio ſpectabat, Pontificatum iniiſſet. Schiſma interim per menſes decem, quibus hic intruſus regnavit, in Eccleſia fuit: & coactus ab Imperatore Otho-

SCHISMA XVI. *Joannes Epiſcopus Placentinus contra Gregor. 5.*

thone ſe abdicavit, effoſſiſque oculis in Germaniam relegatus eſt.

147. SILVESTER Secundus, Gallus ex Aquitania, Monachus Floriacenſis prope Aureliam, dein Abbas Bobienſis, & Archiepiſcopus Rhemenſis ab Hugone Capeto deſignatus; cujus filii Roberti Pædagogus quondam fuerat, ante Papatum Gerbertus Philoſophus vocatus eſt: cum Epiſcopatu legitime depoſitus fuiſſet, ſcripſit virulenta adverſus Pontificum Epiſtolas, a Cardinali Baronio confutata, tanta Sede, ut Spondanus ait, indignus. Mathematicæ & Aſtrologiæ ſcientiſſimus præbuit anſam ignaris ſæculo iſto 1000. quo nullum indoctius & infelicius fuit, opinandi, quod magicis incantationibus ad tantum culmen evectus fuiſſet: prudenter tamen fere per quatuor annos Pontificatum adminiſtravit, ipſe cultor doctorum & ſanctorum Virorum, ac jurium Eccleſiæ defenſor, pro cujus ſubſidio primus edita epiſtola parænetica bellum ſacrum conclamavit. Qui referunt eum opera diaboli Pontificatum fuiſſe aſſecutum, ajunt, inquiſiiſſe quamdiu in ea dignitate eſſet vi-

Anno Christi 1000.

victurus, diabolumque reſpondiſſe: ſi non attigeris Hieruſalem, diu vives; quo reſponſo lætus, longe finem ſuum abeſſe ſuſpicabatur: ſed quarto Pontificatus ſui anno, dum tempore Quadrageſimæ, Romæ in Baſilica S. Crucis in Hieruſalem ſacrificaret, ſubito ſe moriturum cognovit: quare pœnitentia ductus errorem ſuum coram populo confeſſus eſt, rogavitque ut corpus ſuum diabolicis artibus ſeductum membratim detruncaretur, diſſectumque ac laceratum ſuper currum imponeretur, & eo loci ſepeliretur, quò ſponte ab equis foret vectum: feruntque Dei nutu (ut ſcelerati diſcant veniæ locum ſibi relictum eſſe, modo rite pœnituerint) equos ipſos ſponte ad Lateranenſem Eccleſiam perveniſſe, ibidemque ſepultum fuiſſe. Refertur inſuper, quando tumba ipſius, ex colliſione oſſium, quæ intus movebantur, ſolebat ſudare, præſagium fuiſſe mortis tum regnantis Pontificis: quam ei tumbam erexit tertius in Papatu ſucceſſor Sergius Quartus, uti poſtea narrabitur.

148. JOANNES Decimusoctavus: Patria & Cognomen-

mentum ejus ob ignobilitatem prætermittitur; Ciaconius putat Romanum fuiſſe ignobiliſſimum, qui Sicco antea vocatus ſit. quinto ab inito Pontificatu menſe moritur; unde ob breve tempus nihil de eo memoria dignum ſcribitur, niſi quod ipſo Pontifice multa prodigia apparuerint, viſuſque fuerit Cometes; & multæ urbes terræ motu concuſſæ referantur.

149. JOANNES Decimusnonus: hujus tempore Conſtantinopolitana Eccleſia cum Romana conjuncta eſt unione Catholica, & a Sergio Patriarcha ipſius nomen Papæ in ſacra Diptycha eſt relatum. Joannes hic, quem Platina Vigeſimum indigitat, ſe ipſe Decimumnonum appellat in ſuis quæ ab Onuphrio in Annotationibus ad Platinam referuntur Diplomatibus, & publicarum tabularum inſtrumentis ipſius tempore factis. quare Joannes illi, qui poſtea 21. 22. & 23. paſſim vocantur, tantum 20. 21. & 22. dicendi ſunt. fuit hic Joannes 19. Romanus, annorum fere ſex Pontifex.

Nomen Papæ a Græcis in diptycha relatum. vide Onomaſt.

SER-

150. SERGIUS Quartus, Romanus, vir ſanctiſſimæ vitæ, cum ante, tum in Pontificatu, in pauperes liberalis, in amicos jucundus, in delinquentes clemens, juſte & integre omnia gubernans, eo mirabilior fuit, quod iſtius temporis Pontifices potius intruſi a ſæculi Principibus quam electi, monſtra hominum eſſent. hic Monachus Benedictinus, cum Petrus vocaretur, ob reverentiam erga primum Chriſti Vicarium Petrum, nomen mutavit: ante illum quidem aliqui nomina ſua mutaverant, ſed nulla in ſucceſſoribus conſequentia: quam nominis mutationem non ſine ratione Pontifices poſt hunc deinceps imitati ſunt; quod Chriſtus Dominus Petro ad Apoſtolatum aſſumpto nomen novum impoſuerit, Joannis 1. verſu 42. *Tu es Simon filius Joannis, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Sergius hic ſepulchrum inſigne paravit Silveſtro Secundo anteceſſori ſuo, ut Magiæ notam dilueret, quam ob ſummam Matheſeos peritiam contraxerat: annis fere tribus præfuit.

Primus Papa, quem in nomine mutando ſequentes ſunt ſecuti.

BE-

151. BENEDICTUS Octavus: Sanctus Henricus Rex Romanorum anno 1014. Romam venit, ut Benedictum hunc Urbe pulſum & profugum adverſus quemdam Gregorium Romanorum potentia intruſum ſuæ Sedi reſtitueret: ad cujus adventum, mox Gregorius abdicavit. Henrico dein obviam proceſſit Papa cum Clero & Senatu, atque inſigne Imperii Orbem, ſive Pomum aureum pretioſiſſimis ornatum gemmis, inſerta deſuper aurea Cruce, ei tradidit: quo intelligeret ſic eum debere gubernare mundum, ut non obliviſceretur ſubmittere ſe Cruci Chriſti; & non aliter imperare, niſi egregiis virtutibus ornatus, dignus haberetur vivificæ Crucis protegi vexillo. (hinc & hodie dicitur: Leopoldo Sceptrum Sacri Romani Imperii, Pomumque Orbis Chriſtiani in ſummo capite crucigerum, & Thronum Majeſtatis Cæſareæ moderante, directore ejus & ſoſpitatore Crucifixo mundi Servatore.) Poſt hæc Papa coronavit Henricum, & Conjugem ejus Cunegundem, prævia data reſponſione in atrio Baſilicæ Vaticanæ, quod Advocatus,

Aureum Pomum cum Cruce Inſigne Imperii.

Imperator Advocatus Eccleſiæ.

tus, Patronus, & Defenſor foret Eccleſiæ, cujus privilegia, & liberam Papæ electionem poſt inunctionem confirmavit. Beatus hic Imperator animadvertens non dici Romæ Symbolum in Miſſa poſt Euangelium (quod tamen alibi canebatur) reſponſum accepit, quod Romana Eccleſia non fuiſſet aliquando hæreſi infecta, ſed ſecundum Petri doctrinam, in ſoliditate Fidei permanſiſſet inconcuſſa: at, inquit Henricus, ideo magis neceſſarium eſt Symbolum frequenter decantari; ſic ſuſcepta eſt Romæ conſuetudo aliena. Caſimirus Cluniacenſis Monachus, atque Diaconus, Regni Poloniæ hæres, diſpenſatione Benedicti, pro ea a Polonis rogati, abſolutus Votis, & Ordinibus ſacris, coronatur Rex, ea conditione ut Poloni omnes rotunda in morem Monachorum tonſura utantur, nec ultra auriculas comam promittant: quo modo adhuc hodie tondentur. Fuit hic Pontifex Romanus ex Comitibus Tuſculanis, Theophilactus antea vocatus, annisque duodecim ſedit.

Rotunda Polonorum tonſura.

152. JOANNES Vigeſimus, coronavit anno 1027. die 5.

Pa-

Paſchæ Conradum Secundum Imperatorem. Sanctum Romualdum eodem anno defunctum, quinquennio poſt ejus obitum canonizavit, id eſt in Canonem ſive ordinem Divorum redegit, (vide Onomaſticon) juxta ritum hujus temporis, qui erat, ut petentibus concederet Apoſtolica Sedes, ſuper corpus defuncti Altaria conſtituere, & Miſſas celebrare. fuit hic Joannes Romanus, Benedicti Deceſſoris frater, ex Comitibus Tuſculanis, Monachus Benedictinus, & rariſſimo exemplo fratri in Papatu ſucceſſit; quod tantum ſemel antea in Stephano tertio, & Paulo primo fratribus accidit. ſeditque hic ſecundus & ultimus fratris in Papatu ſucceſſor annos fere decem.

Canonizatio S. Romualdi an. 1032.

Secundus & ultimus fratris in Papatu ſucceſſor.

153. BENEDICTUS Nonus, decem annorum Puer, Alberici Comitis Tuſculani, duorum immediate præcedentium Pontificum fratris Filius, ſuffectus, vel potius intruſus eſt factione Patris ægre ferentis, Papatum ſucceſſione duorum Fratrum ſuorum germanorum quodammodo ſtabilitum egredi e familia ſua: ut autem tantum nefas attentare Albericus præ-

Puer decem annorum Papa.

præſumeret, præceſſerat exemplum in puerulo quinquenni electo & confirmato Archiepiſcopo Rhemenſi, & in Joanne Duodecimo, annorum ſeptemdecim juvene, ex iiſdem Comitibus Tuſculanis, ambitione cognominis Patris Alberici, in ſummum Pontificatum intruſo: fuitque habitus puer hic legitimus Papa; a quo petierunt & obtinuerunt Pallium tres Archiepiſcopi Hamburgenſes ſibi invicem ſuccedentes, omnes viri ſanctitate inſignes: tanta ſcilicet vigebat tunc obſervantia erga Romanam Eccleſiam, ut quemcumque audirent Petri Throno inſidere, colere & venerari non detrectarent. de ipſo Martyrologium Kalendis Junii: *Treviris Sancti Simeonis Monachi, qui a Benedicto Papa Nono in Sanctorum numerum relatus eſt*. Nec eſt quod Novatores, ut Baronius ait, hoc Eccleſiæ Romanæ objiciant; ipſa talia non faciebat, ſed pati cogebatur, ob potentiam ſæcularium Principum.

154. SILVESTER Tertius, Romanus, Puero huic in Pontificatu ſuppoſitus fuit: qui Sede duobus fere menſibus occupata, a Benedicti factionariis excuſſus eſt:

ſed

ſed Puer cunctis ſe inviſum cernens, Joanni Sacræ Romanæ Eccleſiæ Archipresbytero Pontificatum dimiſit, qui Gregorii Sexti nomen aſſumpſit.

155. GREGORIUS Sextus, Romanus, cum per annum ac fere menſes ſex ſediſſet, dimiſſam Cathedram Benedictus pueriliter repetiit: atque ita tres ſimul Pontifices Roma habuit. Væ Regno cujus Rex puer eſt! traditque Otho Friſingenſis, tres iſtos Pontifices, diviſis inter ſe redditibus, ſimul Romæ ſedere viſos: unum ad S. Petrum, alterum ad Sanctam Mariam Majorem, & Benedictum in Palatio Lateranenſi: quo durante Schiſmate Henricus Tertius in Italiam veniens, ventilata erroneorum Pontificum cauſa, tribus iſtis quartum ſubſtituit Suidgerum Epiſcopum Hamburgenſem, qui Clemens Secundus dictus fuit.

Schisma XVII. *Tres ſimul Pontifices Romæ reſidentes, contra quos quartus ſuffectus.*

156. CLEMENS Secundus, Saxo-Germanus, Suidgerus antea dictus, in die Nativitatis Domini anno 1047. ſolemniter conſecratus, Henricum Tertium Germaniæ Regem, cujus

fue-

fuerat Capellanus, & Epiſcopus Hamburgenſis, & Conjugem ejus Imperiali dignitate ſublimavit. ſed abeunte in Germaniam Imperatore, Romani Pontificem, injuſſu ſuo creatum, veneno e medio ſuſtulere, Pontificatus menſe nono: & ſcribunt quidam venenum in hos uſus ab ignobili quodam Bavaro paratum fuiſſe, qui ei in Pontificatu ſucceſſit, & Damaſus Secundus appellatus eſt.

157. DAMASUS Junior Germano-Bavarus, Popo Bagniarius antea dictus, ingenioſus & in negotiis tractandis dexter fuit: qui breviſſimi temporis Pontifex, vigeſimo quarto Pontificatus die per vim occupati, ſubito mortuus eſt; ita ut nonnulli hunc inter Pontifices nequaquam nominandum cenſeant. Alii ſic narrant: quod dum a Benedicto Nono ſupradicto Puero, Eccleſia adhuc affligeretur, hic Damaſus miſſus ab Imperatore eligendus, omnium votis acceptus, brevique defunctus fuerit. quomodo autem Benedictus ille infeliciter obierit., teſtatur Petrus Damiani Cardinalis coętaneus; quod apparuerit aliquibus horribili figura,

cor-

corpore urſino, auribus & cauda aſininis, dicens ſe a Deo, & Petro, cujus dehoneſtaverat Sedem, inter beſtias amandatum in deſertis & putidis locis, uſque ad finale judicium; damnatumque inde ad inferos: poſtquam interpolate ita regnaſſet per annos 12.

Hoc tempore prope medio inter noſtrum & Chriſtianitatis primordium, circa ſæculum nempe nonum, indoctum paſſim & infœlix dictum, licet negari non poſſit, Pontifices Romanos a primorum pietate Pontificum nonnihil deſciviſſe; Deum tamen Eccleſiam ſuam (uti bene notat Baronius) non deſeruiſſe exiſtimandum eſt; Principibus Chriſtianis ſanctitate conſpicuis eam tum vel maxime fulciendo: quales fuerunt SS. Henricus Imperator cum Conjuge ſua Cunegunde, Stephanus Rex Hungariæ cum filio Emmerico, Vvratislaus Spirenæus Dux Bohemiæ cum Vvenceslao filio, Canutus Rex Daniæ, Eduardus Angliæ, Robertus Franciæ, Ferdinandus Rex Caſtellæ & Legionis, dictus Magnus &c. ita ut, quod in uno defuit, in altero Deus ſuppleverit.

158. LEO Nonus, Franco-Germanus, nobilis Comes d'Aſprugh, prius Monachus Benedictinus, dein Papa, Virtutum & Miraculorum (ut Martyrologium Romanum 19. Aprilis) laude inſignis, quaſi Sol novus exoritur. Poſt Leonem 3. qui S. Svvibertum, & Joannem 10. qui Sanctum Romualdum, ac Benedictum Nonum, qui Sanctum Simeonem Trevirenſem, Leo hic in Canonem Divorum ſolemniter retulit SS. Gerardum Tulli Leucorum, & Vvolfangum Ratisbonæ Epiſcopos. cumque eſſet Muſica & ſacrarum literarum ſcientia excultus, multas ad cantum Antiphonas compoſuit, & aliquot præclara opuſcula Eccleſiæ Dei utilia edidit: decrevit ut ad omne plenum Officium, exceptis Adventu, & Innocentium feſto, feriis, ac vigiliis, atque a Septuageſima uſque ad Paſcha, cantetur in Miſſa Hymnus Angelicus *Gloria in excelſis*. ante quidem cantabatur, ex decreto Teleſphori in omni Miſſa; ſed hic reſtrinxit. mandavit inſuper Clericorum domicilia juxta Eccleſiam conſtrui debere: ſeditque laudabiliter paulo ultra quinque annos;

Gloria in Excelſis quando omitti debeat.

Clericorum Domicilia prope Eccleſiam.

nos; & ad ipſius tumulum in Vaticano coruſcant miracula.

159. VICTOR Secundus Germano-Bavarus, Everardus antea dictus, Comes Calbenſis, Henrici Tertii Imperatoris propinquus & conſiliarius. ſub iplo Epiſcopus quidam de crimine Simoniæ accuſatus, cum illud detrectaret confiteri, repente juſſus eſt dicere, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*. Patrem quidem & Filium diſerte & expedite protulit, Spiritum autem Sanctum nequaquam valuit proferre: itaque ſe divino Judicio convictum cernens, crimen confeſsus eſt, & depoſito Epiſcopatu, mox Spiritum Sanctum libero quoque ore protulit. Pontifex hic paulo ultra duos annos præfuit.

Simonia crimen in Spiritum Sanct.

160. STEPHANUS Decimus, Goth-Leonis Ducis Lotharingiæ Filius, primum Canonicus Regularis, deinde Monachus atque Abbas Caſſinas, in Pontificem aſſumptus, ita permiſit in locum ſuum alium eligi Abbatem, ut poſt obitum ſuum dumtaxat ſuccederet. Mediolanenſem Eccleſiam, quæ a Romana ducentos ſe-

re per annos ſe ſubtraxerat, eidem ſubmiſit, & univit. Petrum Damiani ab eremo revocatum, invitum creavit Cardinalem & Epiſcopum Portuenſem: quem mox cœpit aulicæ vitæ tædere, ac de reditu ad Eremum ſequentem Papam interpellavit; quod tandem ab Alexandro Secundo obtinuit. hunc Petrum Honeſtum (de familia nobili, Honeſta dicta) nominatum, Damiani filium, ob amorem ſolitudinis, egregiam vitæ ſanctimoniam, ſingularem eruditionem, ac zelum Eccleſiaſticæ Diſciplinæ, Hieronymum juniorem invenimus appellatum; ipſe autem ſe Petrum Peccatorem appellabat. Stephanus hic ſeptem tantum menſes, & aliquot dies præfuit.

S. Petrus Damiani Hieronymus junior dictus, ſe Petrum Peccatorem nominabat.

161. BENEDICTUS Decimus, nullius plane ingenii (vide Baronium Tom. 11. ad annum 1058.) Mincius antea dictus, inſeritur hic a Platina, ab aliis tamen prætermittitur; quod intruſus & invaſor reputetur, atque per vim & factionem nonnullorum Potentium noctu fuerit conſecratus, dum interea Cardinales plerique cum Petro Damiani hæc deteſtantes fugere per diverſa latibu-

tibula coacti fuerunt: qui cum Sedem Apoſtolicam nefarie tenuiſset per menſes fere decem, expulſus eſt. fuit Romanus ex Comitibus Tuſculanis, cujus familiæ ſeptem ſummi Pontifices referuntur: Sergius 3. Joannes 11. & 12. ac Benedicti quatuor 7. 8. 9. & hic Decimus. *Septem Rom. Pontific. ex Comit. Tuſc.*

162. NICOLAUS Secundus coronavit Romæ Henricum Quartum Imperatorem anno 1058. ſub hoc Pontifice, tempore Petri Damiani, poteſtas data fuit ſolis Cardinalibus & non aliis, creandi Pontificem, & dignitas Cardinalatus in majori honore haberi cœpit; ordinatumque fuit, ut quicumque Pontificatum alio modo, quam concordi Cardinalium electione obtineret, pro excommunicato & Apoſtata haberetur. Eodem tempore Berengarius Archidiaconus Turonenſis Hæreſiarcha, argumentis ab ipſo Pontifice in medium allatis confutatus & devictus palinodiam cecinit, erroremque ſuum circa Sacramentum Euchariſtiæ, in quem tertio reciderat, revocavit: de quo narrat Guilielmus Bibliothecarius, quod proximus morti exiſtens, feſto *Papa a ſolis Cardinalibus creandus.*

Berengarius Hereſiar. reſipiſcens & moriens. ſto Epiphaniæ magnis ſuſpiriis dixerit: hodie apparebit mihi Chriſtus ad gloriam meam, uti ſpero, ratione pœnitentiæ meæ; vel ad damnationem, uti timeo, ob animas quas ſeduxi, & reducere non potui. fuit hic Nicolaus Gallus tranſalpinus Allobrox, ſive Sabaudus, annorum duorum, & menſium ſex Pontifex.

Epilepticis Miſſ. celebr. non licet. 163. ALEXANDER Secundus ita reſcripſit ſuper Presbytero Epilepſia laborante: *Clericus habens ordinem Presbyterii, ſed quia caduco morbo laborat, non auſi ſumus concedere, ut offerret, vel Miſſam celebraret: quia vero languor in culpa non eſt, ſuper hac re auctoritatis noſtræ decreto conſulendo deliberavimus; conſuluimus itaque, ut ſi frequenter hoc morbo tangitur, ab oblatione & Miſſarum celebratione omnibus modis prohibeatur: indecens enim eſt & periculoſum, ut in conſecratione Euchariſtiæ, morbo victus Epileptico cadat. Si vero Dei miſericordia* *Licet, ſi convaluerint.* *convaluerit (quandoquidem non culpa ſed infirmitas in cauſa eſt) eum ſacrificare jam non interdicimus.* Sub hoc Pontifice contigit Schiſma decimum octavum: Cadolo Parmæ Epiſcopo manifeſto Simoniaco, a

non-

nonnullis factioſis electo, & vocato Honorio ſecundo. Dum hic Pontifex a Concilio, ad componendum Schiſma Mantuæ coacto, Lucam tranſiret, majorem hujus Urbis Eccleſiam B. Martino dicatam, cujus ipſe Epiſcopus fuerat, ſolemniter conſecravit, ejuſque Canonicos ſpeciali prærogativa Mitra Epiſcopali inſignitos reddidit, ac multis auxit privilegiis: vide paulo poſt in Paſchali Secundo, qui ſimile quid fecit Eccleſiæ Compoſtellanæ; ſtatuit hic Papa ut excepta die Nativitatis Domini, non niſi ſemel in die celebretur; fuit Mediolanenſis, Canonicus Aurelianus, anniſque undecim cum dimidio ſedit.

SCHISMA XVIII. *Cadolus Parmæ Epiſcop. contra Alexandrum 2.*

164. GREGORIUS Septimus magno omnium conſenſu eligitur invitus & reluctans; qui idcirco nuntios expedivit ad Henricum Germaniæ Regem, deprecans ut electionem ſuam impediret. de eo Martyrologium 25. Maii. *Salerni depoſitio Sancti Gregorii Papæ Septimi, Eccleſiaſticæ libertatis propugnatoris acerrimi.* Ipſe de numero Pſalmorum ac Lectionum per totum annum in Officio Eccleſiaſtico ſic ſtatuit:

Numerus Pſalmorum ac Lect. qui in Offic. Eccleſ. adhuc ſervatur.

a die, inquit, *Reſurrectionis uſque ad Sabbatum in Albis, & a die Pentecoſtes uſque ad Sabbatum ejuſdem hebdomadæ, tres Pſalmos tantum, treſque lectiones antiquo more cantamus & legimus: omnibus aliis diebus per totum annum, ſi feſtivitas eſt, novem Pſalmos, & novem lectiones dicimus; aliis autem diebus duodecim Pſalmos & tres Lectiones recitamus: in diebus Dominicis octodecim Pſalmos, & novem Lectiones dicimus, excepto die Paſchæ & Pentecoſtes.* Ecce numerum Pſalmorum & Lectionum, quem hodie adhuc in Officio Eccleſiaſtico ſervamus. Contra fornicatores clericos ſic ſcripſit: *Si qui ſint Presbyteri, aut Diaconi, aut Subdiaconi, qui crimini fornicationis ſunt obnoxii, interdicimus eis ex parte Omnipotentis Dei, & auctoritate S. Petri, introitu Ædis ſacræ, donec acta pænitentia ſatisfaciant: ſi vero in peccato ſuo perſeverare maluerint, nemo officium eorum auſcultare velit; quia benedictio eorum vertitur in maledictionem, & oratio in peccatum.* De collatione Sacerdotiorum ita ſanxit: *Sanctorum patrum decreta ſequentes, decernimus, ut ſi quis poſthac Epiſcopatum aut Abbatiam, aut aliquam Eccleſiaſticam dignitatem ab aliquo Laico acceperit, nequaquam inter Epiſcopos*

Contra Cleric. fornicatores.

Collatio Sacerdotiorum non fiat a Laicis.

aut

aut Abbates numeretur, eique gratia Sancti Petri, atque introitu Ædis interdicatur. Eadem ratione, ſi quis Imperator, Rex, Dux, Marchio, Comes, aut qualibet alia ſæcularis poteſtas, aut perſona Epiſcopatum, aut aliam Eccleſiaſticam Dignitatem detulerit, ejuſdem ſententiæ vinculo teneatur. ita Eccleſiaſticæ libertatis vindex acerrimus. ſub ipſo coacta Romæ ſynodo conſtitutum eſt, ut Papæ nomen uni Romano Pontifici tribueretur, quaſi ſit omnium Pater Patrum, & Paſtor Paſtorum. Sub hoc fere tempus cœpit Ordo Monachorum Carthuſienſium a S. Brunone Doctore Pariſienſi, & Canonico Rhemenſi inſtitutus anno 1082. contra hunc ſanctum Pontificem excitatum eſt ſchiſma decimumnonum, & creatus fuit antipapa Guibertus Archiepiſcopus Ravennas, cui nomen impoſitum Clemens Tertius. fuit Gregorius Italus Etruſcus, ex Comite Petiliano factus Monachus Benedictinus, & parum ultra duodecim annos ſanctiſſime præfuit Eccleſiæ Romanæ.

Solus Pontif. Rom. Papa dictus.

Ordo Carthuſianorum.

SCHISMA XIX. *Guibertus, Clemens 3. dictus contra Gregorium 7.*

165. VICTOR Tertius, poſtquam electioni ſuæ, ex humilitate quantum poterat, reſtitiſſet,

tiſſet, tandem acquieſcens, coacto Concilio, Guibertum, qui Clemens Tertius dici volebat, excommunicavit. Decrevit Pœnitentiam & Communionem non debere ſuſcipi, niſi a Catholicis Sacerdotibus, meliuſque eſſe ſine viſibili communione perſiſtere, & inviſibiliter communicare Domino, quam eam ab hæreticis & ſchiſmaticis ſumendo, a Deo ſeparari. Fuit Papa hic nomine & re egregius ſui Victor; nam natus patre Beneventi Principe, ſponſam ſummo loco natam intactam relinquens, clam eremum petiit, factus Monachus Benedictinus; inde ſummus Pontifex, uno circiter anno præfuit.

Pœnitentia, & Communio ab Hæreticis non ſumenda.

166. URBANUS Secundus, ex Canonico Regulari Lateranenſi, ſancti Brunonis diſcipulus; cujus conſiliis & doctrina, in tot illis Eccleſiæ calamitatibus (nam ſchiſma Clementis Tertii Antipapæ nondum extinctum erat) aliquot annis hic Pontifex uſus eſt: indixit expeditionem contra infideles in Terram Sanctam. erat autem pro ſtipendio Indulgentia plenaria propoſita, & pro teſſera militari Crucis ſignum rubei coloris.

Expeditio Cruciata.

ris ſuper ſcapulam dexteram, militum veſtibus impreſſum: hinc Expeditio vocata eſt Cruciata, & Diploma quod ad hanc edebatur, Bulla Cruciatæ, ſubintellige, Expeditionis. ut autem Deus omnia proſperaret, Papa ordinavit & indixit Clericis Officium B. Mariæ (a Gregorio Tertio Monachis Caſſinenſibus injunctum) quod pie ſuſceptum eſt etiam a Laicis, additis Indulgentiis: ac Duce Godefrido Bullonio Hieroſolyma Infidelibus erepta eſt 14. Julii 1099. fuit ipſe auctor cultus & venerationis B. Mariæ in Sabbato, & Præfationis in Miſſa de eadem, quæ habet: *Et te in veneratione B. Mariæ ſemper Virginis collaudare, benedicere, & prædicare*. inſtituit ut per interceſſionem ejuſdem B. Virginis invocetur Gratia Divina in principio homiliarum ſive concionum, dicendo *Ave Maria*; retulit in numerum Divorum S. Attilanum Epiſcopum Zamorenſem, de quo Martyrologium 5. Octobris. fuit Gallus Diœceſis Rhemenſis, & fere duodecim annis Petri Cathedram poſſedit.

Bulla Cruciatæ.

Officium B. Mariæ.

Cultus ejuſdem in ſabbato.

Ave Mariæ ſub initium Concionis.

167. PASCHALIS Junior. hunc nolentem & latitantem, cum — Anno Christi 1100.

SCHISMA VIGESIMUM.

Albertus, Theodoricus, & Sylveſter contra Paſchalem II.

Caſſinas Abbas, Abbas Abbatū.

Compoſtellani Canonici Cardinales.

Pontificatus noſtri anno ſecundo, tertio, &c.

cum proteſtaretur humeros ſuos tanto oneri nequaquam ſuffecturos, totus Clerus Papam deſiderat: cui optimo Pontifici impius Imperator Henricus Quartus tres Antipapas ſucceſſive ſubrogavit, quibus ipſe toto fere Pontificatus ſui tempore viriliter reſtitit; ſub quo ſchiſmate hæreſis orta eſt, quæ docebat Eccleſiæ excommunicationem contemnere. Papa hic coronavit Henricum Quintum, Quarti filium, anno 1111. conceſſit Abbati Montis Caſſini, ut vocaretur Abbas Abbatum. Septem Canonicos in Eccleſia Compoſtellana inſtituit, qui veſtibus purpureis, & mitris uterentur, quibus ſolis in Ara maxima, ubi Corpus S. Jacobi Apoſtoli conditum eſt, celebrare licet, quoſque Cardinales vocavit: & hoc ex affectu quem gerebat ad hanc Eccleſiam, ubi in minoribus exiſtens, Pontificis maximi Legatus fuerat: vide ſupra in Alexandro Secundo, qui ſimile quid præſtitit Eccleſiæ Lucenſi. Fuit hic primus Papa, qui annos Pontificatus ſui, ſicut Imperator regni computare, & ſubſcribere cœpit: quod ſequentes deinde Pontifices ſunt imitati, ſignando: Pontificatus noſtri

ſtri

ſtri anno ſecundo, tertio, &c. fuit Paſchalis Tuſcus, Monachus Cluniacenſis, annoſque octodecim ſedit. Nota quod inter Benedictinos numerentur ſeptem præcipuæ congregationes: primi ſunt Caſſinates, orti circa annum 550. deinde Cluniacenſes circa annum 900. Camaldulenſes anno 940. Vallis umbroſæ anno 1060. Ciſtercienſes 1113. Silveſtrini 1232. & Cœleſtini anno 1274. aliqui Gulielmitas circa annum 1150. & alias minoris notitiæ congregationes numerant: quamvis Aureliani S. Guilielmum Eremitam Auguſtinianum fuiſſe velint.

Septem præcipuæ Congr. Benedictinæ.

168. GELASIUS Junior: adverſus hunc legitimum, & invitum ac renitentem creatum Pontificem, intruſus fuit in Sedem Petri Mauritius Burdinus, Archiepiſcopus in Luſitania Bracharenſis. ſub Gelaſio hoc orti ſunt Templarii, ſive milites templi, qui non longe a Sepulchro Domini, in parte ædium templi habitantes, nomen inde traxerunt: & Hoſpitalarii; hi peregrinos ad terram ſanctam tendentes hoſpitio excipiebant: illi per loca ſacra eos armati ducebant ac reducebant, quo

Schisma XXI. *Mauritius Burdinus Luſitanus.*

Templarii.

Hoſpitalarii.

quo eis ſine periculo inviſere ea liceret. Templariis S. Bernardus regulas & exhortationes varias præſcripſit, inter quos etiam avunculum habuit: duravit vero hic Ordo ducentos circiter annos, uſque ad Clementem Quintum; ſub quo vide quomodo ſint extincti. fuit Gelaſius, Italus, Cajetanus, Monachus Caſſinas, unius ſolum anni Pontifex.

169. CALLISTUS Secundus, electus in Cluniacenſi Cœnobio, ubi Gelaſius obierat: ejus in Urbem adventus miro exceptus eſt applauſu; quem præveniens Burdinus Antipapa, in munitionem Sutriam ſe recipit, unde extractus in perpetuum carcerem deportatus eſt: tandem poſt varias militum illuſiones, deductus fuit per mediam urbem piloſa vervecis veſte pro chlamyde rubea indutus, Camelo ex adverſo impoſitus, data ei in manibus pro frœno cauda. Sub hoc Calliſto Secundo, & Henrico Quinto Imperatore, inter Sacerdotium & Imperium inſignis illa pax & concordia facta eſt anno plus minus quinquageſimo, ex quo inter Gregorium Septimum, & Henricum

Pax inter Sacerdotium & Imperium, pro collat. Beneficiorum.

Quartum, ob Inveſtituram, ſive Sacerdotiorum collationem ingens diſcordia fuerat excitata. Compoſtellanum in Galœcia Epiſcopum, in honorem S. Jacobi Apoſtoli (de cujus miraculis ipſe volumen fecit) conſtituit Metropolitanum: & duodecim Canonicos, ante tantum ſeptem a Paſchali Secundo ſtatutos, qualitate Cardinalitia in Eccleſia Compoſtellana ſtabilivit. fuit Papa hic Burgundus, Guilielmi Burgundiæ Comitis filius, Imperialis & Regiæ celſitudinis derivata conſanguinitate generoſus, annoſque fere ſex in Petri Cathedra ſedit. ſub ipſo anno 1122. habitum fuit primum in Eccleſia occidentali ſive latina, Romæ, Concilium generale nonum, Lateranenſe primum.

Archiepiſcopatus Compoſtellanus.

Concil. Generale 9. Lateranense I.

170. Honorius Secundus electus eſt hoc modo: convenientes in Baſilica Lateranenſi Cardinales elegerunt Theobaldum S. Anaſtaſiæ presbyterum Cardinalem, & Cœleſtinum Secundum appellaverunt; ipſoque ſuæ non conſentiente electioni, cœptus eſt cani Hymnus *Te Deum laudamus*, quo nondum dimidiato,

Ro-

Robertus Frangipanius cum ſuis aſſeclis Lambertum Cardinalem, Epiſcopum Oſtienſem acclamavit Pontificem, qui & ipſe pro Theobaldo Hymnum cantabat; unde maximus ortus eſt tumultus: ſed mox omnibus ad concordiam reductis, Lambertus perſtitit Pontifex, dictuſque eſt Honorius Secundus; qui cum ſuam electionem minus Canonicam conſideraret, poſt ſeptem dies in præſentia omnium Cardinalium, ſponte Mitra & Manto depoſitis, Pontificatui renuntiavit, dicens malle ſe Oſtienſem Epiſcopatum jure obtinere, quam injuria Romanum; Cardinales, ejus perſpecta humilitate, eum revocaverunt, & ut legitimum Papam adorantes, conſuetam ei obedientiam exhibuerunt. Confirmavit Candidum Ordinem Præmonſtratenſem, a S. Norberto inſtitutum, cum Patriarcha hic Tanchelinum Hæreſiarcham eloquentia ſua confutaſſet, & ſubtilitate ſuperaſſet. ſuit Honorius Italus, Bononienſis, Canonicus quondam Aurelianus, per annos quinque Eccleſiæ præſidens.

Confirmatio Ord. Præmonſtraten.

171. INNOCENTIUS Secundus. legitimus hic Pon-

tifex, fugiens a facie Antipapæ Petri Leonis, qui ſe Anacletum Secundum, quemque S. Bernardus Epiſtola 124. Antichriſtum dicebat, in Galliam ſe recipit, atque in itinere per Germaniam inferiorem tranſiens, Bruxellæ conſecravit Eccleſiam S. Joannis ſuper Paludem, *op den Poel*: cujus Dedicationis diploma ibidem adhuc ſervatur, & memoria quotannis agitur Idibus Octobris, cum Indulgentia plenaria ab ipſo Innocentio conceſſa. porro cum per id tempus Clericis & Sacerdotibus honor qui par erat non deferretur, ſententiam excommunicationis protulit in eum qui violentas manus in Clericum injiceret, a qua nullus Epiſcoporum illum abſolvere præſumat, donec Apoſtolico conſpectui præſentetur: quod a poſterioribus Pontificibus & Conciliis innovatum fuit. cæterum poſt infelicem mortem Anacleti Antipapæ, ſchiſmatici aliquot Cardinales Gregorium quemdam e ſuis ſubſtituerūt, & Victorem Quartum nominarunt; ſed hic ad ſaniorem mentem opera S. Bernardi mox perductus abdicat, & ſe Innocentio ſubjicit: Jamque verum Pontificem Romanæ Cathedræ, Eccle-

Schisma XXII.

Petrus Leonis, dictus Anacletus 2.

Dedic. Eccl. S. Joannis Bruxellæ. An. 1130.

Si quis in Clericum manus violentas injecerit, Anathema ſit.

ſiam-

ſiamque univerſam paci vixdum reſtituerat Bernardus, in quo negotio ſeptennium laboravit; cum ecce (incredibile dictu) idem Innocentius eidem Bernardo non tantum grates non rependit, ſed & amicitiæ illius pertæſus, ipſum veluti frequentibus ſuis ſcriptionibus permoleſtum faſtidivit; ac demum iniquis malevolorum delationibus circumventus, eo iracundiæ ac cæci furoris proceſſit, ut invictiſſimum defenſorem ſuum, atque orbis Chriſtiani Atlantem imprudentiæ primum accuſaret, tum etiam perfidiæ, ac agitatæ in Eccleſiam proditionis criminaretur: uti patet ex Bernardi ad Innocentium Epiſtolis 213. & 218. Hic Pontifex Lotharium 3. Imperatorem anno 1132. qui Papam ob ſchiſma Petri Leonis fugitivum cum valido exercitu ex urbe Leodienſi Romam reduxit, ibidem coronavit: eique ceu legitimo Pontifici ſchiſmatis tempore fideliter adhæſit. ſub hoc Pontifice obiit Joannes a Stampis, Gallice dictus Jean des Temps, id eſt a Temporibus, ob diuturnam 360. annorum vitam: nam illum ſub Carolo Magno primo meruiſſe tradit Paulus Æmilius in Ludovico Juniore; de

Joannes a Temporibus vixit annis 360.

quo

quo Baptiſta Mantuanus Carmelita & Poeta:

Illum fama refert hyemes vidiſſe trecentas.

Fuit Innocentius Romanus Canonicus quondam Regularis, per annos 14. Summus Pontifex: ſub ipſo habitum eſt Concilium Generale decimum, Lateranenſe ſecundum, in quo inter alia damnatus eſt Arnaldus de Brixia, qui Clericos poſſeſſiones habere poſſe negabat. CONCIL. GENERALE 10. LATERANENSE 2.

172. COELESTINUS Secundus, Italus Typhernas, brevem habuit Pontificatum, quinque dumtaxat menſium & dierum tredecim, felicem tamen; quod nulla ſeditione vexatus fuerit, qua octo præcedentes Pontifices exagitati fuerunt. extat D. Bernardi ad ipſum epiſtola 234. auctoritatem Sedis Apoſtolicæ adverſus infamem Simoniacum implorantis, quæ incipit: *Oportet vos ſecundum Juſtitiam quæ ex Lege eſt ſuſcitare ſemen fratris veſtri defuncti: quod digne implebitur, ſi Papæ Innocentii, cui in hereditate Domini ſucceſſiſtis, & defenditis bene geſta, & minus adimpleta perficitis: præ manibus eſt in quo*

id

id liceat experiri &c. ut verbum abbreviatum faciam auribus occupatis, audiat paucis Dominus meus, quid dictum fuerit, & factum teneamus &c.

Prophetia S. Malachiæ Epiſc. de futur. Pontificibus.

Ab hoc Pontifice Cœleſtino incipit Malachiæ Archiepiſcopi Armachani in Hibernia, ex Ordine Ciſtercienſi, coætanei S. Bernardi, cujus vitam ipſe conſcripſit, Prophetia de ſummis Pontificibus ab hoc tempore in futurum ſecuturis; cui prædictioni quæ fides adhibenda ſit, videatur hujus Notitiæ Præfatio.

Clerici poſſunt habere prop. bona.

173. LUCIUS Secundus. contra hunc Pontificem rebelles Romani hæreſim Arnaldi de Brixia ſectati ſunt, nempe Clericos non debere habere proprietatem bonorum, ſed cuncta eſſe Principis, & ſufficere illis, ſi more antiquorum Sacerdotum, ſuſtineantur de Decimis & oblationibus. vide S. Bernardi epiſtolas 242. & 248. Sub hoc Papa Edeſſa Meſopotamiæ civitas, maxima Chriſtianorum clade, à Turcis capta & direpta fuit: qua audita clade mellifluus Pater, juſſu Pontificis, patrocinium Religionis Chriſtianæ ſuſcipiens, Principes omnes Chriſtianos cum literis, tum nuntiis

Civitas Edeſſa a Turcis capta.

ad-

adhortatus eſt ut Crucis Chriſti vexillum in Saracenos ſumerent: quo eventu, patet ex vita Bernardi, & libro 2. de Conſideratione. Lucius hic incerto lapidis ictu percuſſus, cum Romanos ad nova ſtudia concitatos a Capitolio conaretur depellere, paulo poſt obiit, cum ſediſſet tantum menſes undecim, dies quatuor: fuit Italus Bononienſis Canonicus Auguſtinianus.

174. EUGENIUS Tertius, Abbas SS. Vincentii & Anaſtaſii Romæ ad Aquas Salvias; quod Monaſterium Innocentius Secundus amplo patrimonio a ſe dotatum & reſtitutum S. Bernardo dederat; cui Abbatem illum præfecit, qui poſtea Eugenius Tertius ſummus Pontifex fuit, uti Breviarium Romanum 20. Auguſti. Papa hic Metropolitani Armenorum, qui mille pluresque ſub ſe habet Epiſcopos, ſubjicientis ſe Romano Pontifici, legationem ſuſcipit emenſam per ſex annos, totidemque menſes. S. Bernardus, cujus hic Pontifex Diſcipulus fuerat, & quem Monachum induerat, illi libros quinque de Conſideratione obtulit, ad bene adminiſtrandum

Armenorum Metropolit. ſubjicit ſe Rom. Pont.

Pon-

Pontificatum. Coronaſſet hic Eugenius Papa Tertius Conradum Tertium Imperatorem, niſi dum ad motus Italicos compeſcendos & Imperii coronam capeſſendam, expeditionem pararet in Italiam, non ſine veneni ſuſpicione, extinctus fuiſſet Imperator: propter turbas autem Romanas in Franciam Eugenius receptus, conſecravit anno 1146. Eccleſiam Montis Martyrum prope Pariſios, aſſiſtente eodem mellifluo Patre, & S. Henricum Imperatorem Divorum Canoni aſcripſit: fuit Italus Piſanus, Pontifex 8. annorum.

Dedicatio Eccl. Montis Martyrum prope Pariſ.

175. ANASTASIUS Quartus Romanus, Canonicus Auguſtinianus, Pontificatum adeptus, Calicem pulcherrimi operis, magnæque æſtimationis Eccleſiæ Lateranenſi donavit, & ædes egregias apud Pantheon, quod S. Mariam Rotundam vocant, brevi ædificavit; amator ac nutritius pauperum audiebat; pluraque mente deſtinaverat, tum ad dignitatem Eccleſiæ, tum ad ornatum Urbis Romæ, ſi ei aliquamdiu vivere in Pontificatu licuiſſet: obiit autem poſt annum primum, menſe quarto, die 24.

ADRIA-

176. ADRIANUS Quartus, ſolus inter Pontifices natione Anglus, uti Adrianus poſtea Sextus, ſolus Belga, eidem in omnibus perſimilis; is ob ſeveritatem patris, & mediorum tenuitatem, in Galliam ſecedens, ſuis obſequiis meruit recipi in Monaſterium quoddam Canonicorum Regularium, cujus deinde Abbas factus, Romam pro Ordinis ſui reformatione contendit: ubi Eugenius Tertius, cognita ipſius prudentia, illum Epiſcopum Albanenſem creavit, dataque Monachis licentia eligendi alium Abbatem, ipſum Cardinalem & Legatum fecit Apoſtolicum: factuſque deinde Pontifex, nec obolum erogavit in propinquos; adeo ut matrem permiſerit alendam eleemoſynis Eccleſiæ ſuæ Parochialis Cantuarii in Anglia. Coronavit Romæ anno 1155. Fredericum Primum, qui Ænobarbus, ſive *Barbaroſſa* dicebatur. fertur hic Pontifex, uti poſtea Adrianus Sextus, cum onus Pontificium ſenſiſſet, dixiſſe ſe quidem per omnes dignitatum gradus ad ſummum Pontificatum aſcendiſſe, ſed nihil umquam felicitatis aut tranquillitatis expertum: ac *Unicus Papa Anglus.*

Ro-

Romano Pontifice nemo miſerabilior. Romano Pontifice neminem eſſe miſerabiliorem; quod & Adrianus ſextus poſtea cenſuit. Vocabatur antea Nicolaus Breck-ſparre, quod eſt Haſtifragus; hinc haſtam fractam in inſignibus portabat: obiit morbo anginæ: aliqui dicunt quod cum biberet de fonte aquam, muſca inſeparabiliter adhæſerit ejus gutturi, unde quinto Pontificatus anno præfocatus fuerit.

177. ALEXANDER Tertius. Ad hunc Pontificem S. Thomas Cantuarienſis ſe conferens, benigne acceptus fuit: multumque Papa laboravit pro querela componenda adverſus Henricum Secundum Angliæ Regem; a quo Thomas dein Martyrio affectus, multis coruſcans miraculis, ab Alexandro hoc in Sanctorum numerum eſt relatus; decrevitque hic Pontifex, ut nulli, niſi per Apoſtolicam Sedem Canonizato ſacer honor publice habeatur. vetuit deteſtabiles nundinas, quas Torneamenta vocant, a Germanis circa annum 938. inducta, in quibus milites ex condicto convenire ſolent, & temere congredi, unde cædes corporum & animarum proveniunt. Fredericum Secun-

S. Thomas Cantuarienſis canonizatus.

Non niſi ab Apoſtolica Sede Canonizati publice colendi.

Torneamenta vetita.

Secundum Imperatorem Schiſmaticum eo uſque humiliavit, ut in terram proſtrati collum pede comprimens dixerit: *Super Aſpidem & Baſiliſcum ambulabis, & conculcabis Leonem & Draconem*. cui ipſe reſpondit; non tibi, ſed Petro, cui ſucceſſor es, pareo. iterumque Pontifex: & mihi, & Petro. Poſt ſic humiliatum Fredericum celebravit Concilium œcumenicum undecimum, Lateranenſe tertium, anno 1179. in quo ſtatutum fuit, ut non habeatur Papa, niſi a duabus Cardinalium partibus electus. multa etiam ad reformationem Cleri edita ſunt: ut unus non habeat duo beneficia, & conferantur iis qui Eccleſiæ prodeſſe poſſunt, & vacantia, non vacatura: ſumptuoſa convivia non convenire Prælatis, ſicuti nec veſtes pretioſas, aut venationes illos decere: ſtatutumque fuit ne quis in Epiſcopum eligeretur, niſi triginta annos natus. De Schiſmate contra hunc Pontificem narrat Martinus Polonus, & Onuphrius Panvinius ipſum viciſſe quatuor Pſeudo-pontifices: primum Octavianum de Monticello, qui Victor Quartus; ſecundum Guidonem Cremonenſem, qui Paſchalis Ter-

Fredericus Imp. Schiſ. humiliatus.

CONCIL. GENERALE XI. LATERANENSE 3.

Beneficia quibus & quomodo conferenda.

Epiſcop. ante 30. annum non eligendi.

SCHISMA XXIII.

Quatuor Pſeudo-pontifices con-

tra Alexã-drum Tertium. tius; Tertium Joannem Strumienſem, qui Calliſtus Tertius; & Quartum Landonem, qui Innocentius Tertius, vocati ſunt: quorum ſecundus Paſchalis Tertius cum in Germaniam ad Fredericum Imperatorem ſe recepiſſet, Carolum Magnum Romanorum quondam Imperatorem in Sanctorum Canonem retulit; qui, quod a ſchiſmatico Pontifice ſit canonizatus, in Martyrologium Romanum non eſt relatus: ita ut non ſimplex hoc ſchiſma fuerit. vide Prophetiam Malachiæ. & laus Deo quod poſt denſas haſce nebulas per ducentos poſtmodum annos, nulla ſchiſmatica tempeſtas dein exorta fuerit. Ordinem Carthuſianorum ſub Gregorio ſeptimo exortum confirmavit, Divum Bernardum duodecimo poſt obitum anno Sanctorum Canoni inſeruit. Narratur hic Papa diſpenſaſſe cum quodam Nicolao Juſtiniano Veneto, Monacho Benedictino, & Presbytero, ad ineundum Matrimonium, ne familia illuſtris Juſtinianæa, ex qua ſolus hic in hac Republica ſupererat, cum ipſo extingueretur: qui tandem ſuſceptis ſex filiis & tribus filiabus ex Anna Ducis Michaelis Veneti filia, re-

Carolus magnus a ſchiſmatico Pontifice canonizatus.

Ordo Carthuſianorũ.

Diſpenſatio cum Monacho Presbytero ad ineundum Matrimonium.

reverſus ad Monaſterium dies ſuós ſancte finivit. Alexandria Civitas Lombardiæ, ſive Inſubriæ, ſub hoc Pontifice condita, ab ipſo nomen accepit. fuit Alexander Italus Senenſis, Monachus Ciſterciensis, uti Martyrologium eorum habet 27. Auguſti. Canonici Aureliani, inter quos in juventute fuit, ſuum eſſe contendunt: annoſque duos & viginti digniſſime ſedit, & poſt Adrianum Primum, proximus omnium ad Petri annos pervenit. *Alexandria Lombardiæ civitas ab Alexandro 3. nominata.*

178. LUCIUS Tertius, Lucenſis, annorum quatuor Pontifex, nomen ſuum egregie adimplevit, dum in tantis Eccleſiæ tenebris ſub præcedenti Pontifice exortis denſum illud ſchiſma ante Papatum lumine ſuo illuſtravit, & Alexandrum contra tot adverſarios fortiter adjuvit, in rebus agendis ſolertiſſimus: electus dein ex Epiſcopo Oſtienſi non immerito in ſummum Pontificem, difficultatibus etiam non caruit; nam quarto Pontificatus ſui anno, a Senatoribus Romanis civili ſeditione, quod Conſulum nomina abolere niteretur, Urbe pulſus, Veronam ſe recepit, ubi diem

clauſit extremum, in Cathedrali Eccleſia, cum hoc Epitaphio ſepultus:

Luci Luca dedit lucem tibi, Pontificatum
Oſtia, Papatum Roma, Verona mori.
Imo Verona dedit tibi lucis gaudia, Roma
Exilium, curas Oſtia, Luca mori.

Amiſſio Hieroſolym. anno 88. poſtquam a G. Bullone fuerat capta.

179. URBANUS Tertius Italus Mediolanenſis: ſub ipſo Saladinus Babyloniæ Rex Hieroſolymam cepit, anno octogeſimo octavo, ex quo a Godefrido de Bullone, ſub Urbano Secundo infidelibus erepta fuerat: qui nequiſſimus Tyrannus Crucem Domini per duos dies in probroſum oſtentum per civitatem portando fuſtigari fecit: quo triſti nuncio perculſus Urbanus incidit in ægritudinem, obiitque anno Pontificatus ſui ſecundo nondum expleto.

180. GREGORIUS Octavus, Italus Beneventanus, Monachus Benedictinus, ſequenti die ſubrogatus, mox pro ſubſidio Terræ Sanctæ ad univerſos Chriſtifideles literas dedit, indicto univer-

ver-

verſali jejunio; ſed probus Pontifex ſecundo menſe obiit.

181. CLEMENS Tertius Romanus, vir ſcientia literarum, facundiaque clarus, ſed & vitæ puritate, animique integritate præclarior, trium annorum totidemque menſium Pontifex, declaravit, quod filii Epiſcoporum ex legitimo prius matrimonio nati poſſint ſacris Ordinibus initiari, & habere beneficia etiam in Ecclesia paterna.

182. COELESTINUS Tertius, coronavit Henricum Sextum, Fred. Barbaroſſæ filium Romæ anno 1191. feria ſecunda Paſchatis, cum ipſe Pontifex pridie conſecratus fuiſſet. Confirmavit Ordinem Militum Teutonicorum, in quem non niſi Germani, iidemque nobiles admittuntur, quibus Templariorum reditus multi aſcripti ſunt. retulit in numerum Sanctorum Ubaldum Epiſcopum, ab Honorio Secundo Eugubinæ Cathedræ præpoſitum, cultum ab Eccleſia 16. Maii; & S. Joannem Gualbertum Abbatem 12. Julii, nuper oratione ac lectionibus propriis a Clemente De-

Ordo militum Teutonicorum.

cimo in Officio Eccleſiaſtico adornatum. fuit Cœleſtinus Romanus, anniſque prope ſeptem Petri Cathedram poſſedit.

Anno Christi 1200. 183. INNOCENTIUS Tertius, Senioribus Cardinalibus mutuo concertantibus, junior omnium ætatis annum trigeſimum tantum agens; renuens & lacrymans, Pontifex creatur: quod autem Diaconus tantummodo eſſet, dilata eſt ejus in Presbyterum ordinatio uſque ad Sabbatum ſequens quatuor temporum Quadrageſimæ, & ſequenti Dominica in Pontificem conſecratur. *Ordo SS. Trinitatis.* Sub ipſo Ordo SS. Trinitatis de Redemptione captivorum anno 1198. initium cepit. anno 1202. inter Sanctos Confeſſores retulit *Canonizatio S. Guilielmi.* S. Guilielmum Aquitaniæ Ducem per Sanctum Bernardum a Schiſmate contra Innocentium Secundum mirabiliter reductum, mortuum anno 1156. Romæ Idibus Octobris anno 1209. coronavit Othonem Quartum. Philippus vero Pſeudo-Imperator Moguntiæ coronatus dicitur. Cum hoc tempore, contra decretum Alexandri Secundi, aliqui ex nimia devotione (uti de SS. Alberto Criſpinienſi, & Nor-

ber-

berto Præmonſtratenſi legitur) pluries in die Miſſam dicerent ; Innocentius hic , & ſequens Honorius ſtatuerunt, ut excepta die Nativitatis Domini non niſi ſemel in die citra diſpenſationem celebretur. juſſitque Innocentius recitari in Quadrageſima Pſalmos Pœnitentiales ; & dicitur compoſuiſſe Orationem , *A cunctis*. laudatiſſimus hic Pontifex, cum ſcripſiſſet inſigne volumen de ſacro Altaris Myſterio, in quo tranſubſtantiationem panis & vini in Corpus & Sanguinem Domini fieri docet ; illudque ſervari in Templis , & campanulam cum lumine præcedere , cum ad infirmos defertur, ordinaſſet , & alia egregia opera edidiſſet ; cumque ædificaſſet Romæ ampliſſimum Sancti Spiritus Xenodochium pro Orphanis , Peregrinis , & Infirmis ; quomodo poſt mortem, decimo nono Pontificatus ſui anno pie obitam, apparuerit ingenti flamma cinctus B. Lutgardi , vide Bellarminum de Gemitu Columbæ, lib. 2. Cap. 9. ſub ipſo habitum fuit Concilium œcumenicum 12. Lateranenſe 4. anno 1214. numero Prælatorum vix comprehenſo . fuit Innocentius Italus , Anagninus ex Signiæ

Semel tantum in die celebrandũ.

Pſal. Pœnit. in Quadrag.

Oratio , A cunctis.

Euchariſtia cum lumine & campanula ad ægros ferenda.

Concil. Generale 12. Lateranense 4.

Comitibus, Canonicus quondam Auguſtinianus, Pontifex poſt Petrum diuturnitate ſeſſionis ſeptimus.

184. HONORIUS Tertius anno 1220. Romæ coronavit Fredericum Secundum; qui dein male contra Eccleſiam ſe gerens, Imperio privatus eſt ab Innocentio Quarto in Concilio Lugdunenſi. Gerardus Loricius, in Summa Theologica, verbo *Benedictio*, ait Honorium Tertium Indulgentiam conceſſiſſe Germanis, poſt comeſtionem actis gratiis hauſtum ſumentibus: paſſim tamen ad Bonifacium aliquem Papam id refertur, juxta antiquum hoc Diſtichon:

Indulgentia bibentibus poſt dictas Gratias.

Papa Bonifacius poſt Grates rite bibenti
Sexaginta dies Pacis amore dedit.

Circa quod auctor *du Recueil des queſtions curieuſes* ita cenſet: *peut-eſtre que le peuple ſe meſprend', en attribuant l'inſtitution au Pape Boniface, la rime en ayant donnè occaſion:*
Beuvons une fois apres la grace,
Pour le pardon du Pape Boniface.

Nam quiſquis Papa ille fuerit, vere Benefactor ſive Bonifacius, ſi minus nomine, re ipſa fuit: quam in-

indulgentiam potiſſimum conceſſit, ne Gratiarum actio poſt refectionem omitteretur. Audiſſe memini ex Presbyteris, ſive ſenioribus noſtris Mechlinienſibus, cum tempore Xyſti V. Reverendiſſimus Dominus Vvilhelmus Lindanus Ruremondenſis Epiſcopus Eccleſiæ ſuæ negotiis Romæ detineretur, & rogatu C. Baronii, ac inſtinctu Pontificis vacaret relegendis, & expendendis notationibus in Martyrologium a Baronio propediem in lucem emittendis; ipſum inter alia expoſuiſſe Pontifici, quomodo moris eſſet in Belgio bibere poſt dictas gratias menſales, pro lucranda Indulgentia Papæ Bonifacii: & reſpondiſſe Xyſtum, ſe, licet de Indulgentia iſta nihil unquam inaudiiſſet, eam tamen, ſive data fuerit, ſive non, motu proprio Belgis concedere. Sub hoc Honorio cœpit mos concludendi Cardinales in Conclavi pro electione novi Pontificis: ubi quotidie aliquid cibi illis detrahitur, ut ex parciori victu, uti Ciaconius ait, maturaretur electio. Ordinem Dominicanum, & Franciſcanum ab Innocentio deceſſore approbatum Honorius confirmavit. fuit Romanus, Canonicus

Conclave Cardin. & parcior vict.

Ordo Dominicanus & Franciſcanus confirm.

Regularis, ſeditque annos fere undecim.

185. GREGORIUS Nonus Anagninus, Innocentii Tertii Nepos, ordinavit ad Elevationem Corporis Chriſti in Miſſa campanam pulſari, ut fideles etiam extra Eccleſiam ad illud adorandum mentem elevent, & participent de ſanctiſſimo Sacrificio: item *Salve Regina* ſub veſperam cantari, & ære ſonante Fideles convocari ad Laudes Deiparæ; quem hymnum ob Eccleſiam ab Imperatore Frederico Secundo valde afflictam quotidie cantari præcepit. Hymnus hic ab Hermanno Contracto uno ſæculo ante compoſitus dicitur. SS. Dominicum & Franciſcum una inter Divos retulit, illum octavo, hunc ſecundo poſt obitum anno; atque Antonium a Padua nondum completo poſt obitum anno: item Sanctam Eliſabetham Hungariæ Reginam. cumque ſediſſet annos quatuordecim & menſes quinque, ex devotione ſepeliri voluit in habitu Franciſcano. Officium Minorum de ſancto Franciſco in primis Veſperis ſic canit: *Cœpit ſub Innocentio, curſumque ſub Honorio*

Campana ſonitus ad elevationem in Miſſa.

Salve Regina & Laudes veſpert.

Canonizatio SS. Dominici, Frãciſci, Ant. a Padua, &c.

Devotio ſepulturæ in habitu relig.

per-

perfecit glorioſum , ſuccedens his Gregorius magnificavit amplius: Ordinique Franciſcano affectiſſimus eum multis privilegiis affecit.

186. COELESTINUS Quartus, Mediolanenſis, decimo ſeptimo electionis ſuæ die, ante coronationem moritur, & vacat Sedes menſibus 21. eo quod Cardinales plerique a Frederico Secundo Imperatore, qui contra Papam & Eccleſiam diſſidebat, captivi detinerentur: unde factiones Guelphorum pro Papa, & Gibellinorum pro Imperatòre invaluerunt: quorum nominum originem vide in Onomaſtico. tandem poſt fere duorum annorum Sedis Apoſtolicæ vacationem, precibus Raymondi Comitis Toloſani dimiſſis a Frederico Cardinalibus, Papa ſequens electus fuit.

Factiones Guelphorũ & Gibellin.

187. INNOCENTIUS Quartus amicus pridem Imperatoris. Hoc Papa renuntiato Fredericus dixit, ſe optimum amicum Cardinalem amiſiſſe, & acerrimum hoſtem eumdem Papam nactum eſſe, quod rei eventus declaravit; nam hi verſus nomine Frederici tunc ſpargebantur:

Roma diu titubans, variis erroribus acta
Corruet, & Mundi deſinet eſſe Caput.

Cui reſponſum:

Niteris incaſſum Navim ſubmergere Petri:
Fluctuat, at numquam mergitur illa ratis.

Reſcripſit Fredericus:

Fata volunt, ſtellæque docent, aviumque volatus,
Quod Fredericus ego malleus orbis ero.

Cui reſponſum:

Fata volunt, Scriptura docet, peccata loquuntur,
Quod tibi vita brevis, pœna perennis erit.

Octava Nativitatis B. Mariæ.

Ruber galerus Cardin.

Innocentius hic feſtum Nativitatis B. Mariæ diu quidem ante inſtitutum, cum Octava celebrari ordinavit. Cardinales rubri galeri inſignibus decoravit; quo ſignificare voluit eos paratos eſſe debere caput & ſanguinem impendere pro tuenda Eccleſia, eo maxime tempore quo Fredericus eam ita vexabat. reliqua Cardinalium inſignia poſteriores Pontifices, Bonifacius Octavus, & Paulus ſecundus, excogitaverunt. Sub annum 1245. ab hoc Pontifice confir-

firmati ſunt ſeptem Imperii Electores: de quibus hi verſus:

Moguntinenſis, Trevirenſis, Colonienſis, — *7. Imperii Electores.*
Quilibet Imperii ſit Cancellarius horum.

hi tres Eccleſiaſtici: Moguntinenſis Germaniæ, Trevirenſis Galliæ, Colonienſis Italiæ ſunt Cancellarii; quatuor ſequentes ſæculares, Imperatoris in coronatione Officiales:

Eſt Palatinus Dapifer, Dux portitor Enſis,
Marchio Præpoſitus cameræ, Pincerna Bohemus.

Comes Palatinus, Dux Saxoniæ, Marchio Brandemburgicus, & Rex Bohemiæ. Antea ſub Gregorio Quinto ſtatutum fuerat, ut omnes Imperii Principes feudatarii eligerent Imperatorem. Papa hic Petrum Martyrem Ordinis Prædicatorum, & Stanislaum Epiſcopum Cracovienſem, Martyrum Catalogo adſcripſit: ac Sanctam Claram Virginem ægrotantem inviſit, eique ſuppliciter petenti Indulgentiam peccatorum impertivit; quam ſequens Pontifex Alexander inter Sanctas Virgines retulit. Sub Innocentio Quarto anno 1244. habitum fuit Concilium œcumenicum

Petrus Martyr, & Stanislaus Cracov. Sanctis adſcripti.

CONCIL.

GENERA. 13. LUGDUNENSE PRIMUM. cum 13. Lugdunenſe primum contra Fredericum Secundum Eccleſiæ rebellem, Imperio depoſitum: & ſubſtitutus ei fuit Henricus Turingus, S. Eliſabethæ filius: dein Guilielmus Hollandus: huic Richardus Anglus: ac demum Alphonſus Sapiens, Caſtellæ Rex: qui coronati a Papa non fuerunt; ſed tenetur poſt depoſitionem Frederici, Imperium vacaſſe uſque ad Rudolphum Hasburgicum. Fuit Innocentius Italus, Genuenſis, paulo poſt undecimum Papatus annum mortuus.

188. ALEXANDER Quartus Anagninus, Conſanguineus Innocentii Tertii, & Gregorii Noni, annorum prope ſeptem Pontifex, canonizavit ſanctam Claram ſub priore Pontifice mortuam. Libros Guilielmi de ſancto Amore contra paupertatem religioſam perpetuo edicto abolevit, atque Mendicantium ordinibus multa conceſſit privilegia, & ex eis viros doctos ad Epiſcopatum ac Cardinalatum provexit: Eremitas Auguſtinianos urbes incolere juſſit; ubi verbo & exemplo, nec non confeſſiones audiendo, ſalutis fructum afferre poſſent. Feſtum

Canonizatio S. Claræ.

Libri G. de S. Amore condemnati.

Eremitæ Auguſtin. ex eremo ad urbes vocati.

ſtum Sancti Rumoldi Mechlinienſium Apoſtoli ſtatuit celebrandum prima die Julii: de quo vetus Uſuardi Martyrologium a J. Molano editum : *Kalendis Julii Octava ſancti Joannis Baptiſtæ , Mechliniæ Paſſio ſancti Rumoldi glorioſiſſimi Martyris atque Pontificis , Scotorum Regis filii , ſignis & doctrina mirabilis; qui regalis celſitudinis Solium , & Pontificalis dignitatis reſpuens honorem Mechliniam petiit , ſibi divinitus deſtinatam , quam Octavo Kalendas Julii Martyrio conſecravit ; ſed quia eadem die ſanctiſſimi Baptiſtæ , & Præcurſoris Domini celebratur Nativitas , Romanus Pontifex Alexander Quartus Paſſionem noſtri Martyris in Nativitatis prædictæ Octavæ conſtituit ſolemnizari* . fuerat autem Canoni Sanctorum aſcriptus more tunc recepto (vide ſupra in Leone 3.) ſub Joanne undecimo anno 930. cum Martyrio affectus fuiſſet anno 776.

Feſtū ſancti Rumoldi Mechlinien. Apoſt. quare prima Julii?

189. URBANUS Quartus , Natione Gallus , Patria Trecenſis , natus patre Sutore veteramentario , ſed animi indole nobilis , annorum trium , & duorum fere menſium Papa , quondam Monachus Ciſtercienſis, profeſſus in Monaſterio Foſſæ novæ: ita

GENERA. 13. LUGDUNENSE PRIMUM. cum 13. Lugdunenſe primum contra Fredericum Secundum Eccleſiæ rebellem, Imperio depoſitum: & ſubſtitutus ei fuit Henricus Turingus, S. Eliſabethæ filius: dein Guilielmus Hollandus: huic Richardus Anglus: ac demum Alphonſus Sapiens, Caſtellæ Rex: qui coronati a Papa non fuerunt; ſed tenetur poſt depoſitionem Frederici, Imperium vacaſſe uſque ad Rudolphum Hasburgicum. Fuit Innocentius Italus, Genuenſis, paulo poſt undecimum Papatus annum mortuus.

188. ALEXANDER Quartus Anagninus, Conſanguineus Innocentii Tertii, & Gregorii Noni, annorum prope ſeptem Pontifex, canonizavit ſanctam Claram ſub priore Pontifice mortuam. Libros Guilielmi de ſancto Amore contra paupertatem religioſam perpetuo edicto abolevit, atque Mendicantium ordinibus multa conceſſit privilegia, & ex eis viros doctos ad Epiſcopatum ac Cardinalatum provexit: Eremitas Auguſtinianos urbes incolere juſſit; ubi verbo & exemplo, nec non confeſſiones audiendo, ſalutis fructum afferre poſſent. Fe-

Canonizatio S. Claræ.

Libri G. de S. Amore condemnati.

Eremitæ Auguſtin. ex eremo ad urbes vocati.

ſtum

ſtum Sancti Rumoldi Mechlinienſium Apoſtoli ſtatuit celebrandum prima die Julii: de quo vetus Uſuardi Martyrologium a J. Molano editum : *Kalendis Julii Octava ſancti Joannis Baptiſtæ, Mechliniæ Paſſio ſancti Rumoldi glorioſiſſimi Martyris atque Pontificis, Scotorum Regis filii, ſignis & doctrina mirabilis; qui regalis celſitudinis Solium, & Pontificalis dignitatis reſpuens honorem Mechliniam petiit, ſibi divinitus deſtinatam, quam Octavo Kalendas Julii Martyrio conſecravit; ſed quia eadem die ſanctiſſimi Baptiſtæ, & Præcurſoris Domini celebratur Nativitas, Romanus Pontifex Alexander Quartus Paſſionem noſtri Martyris in Nativitatis prædicta Octava conſtituit ſolemnizari*. fuerat autem Canoni Sanctorum aſcriptus more tunc recepto (vide ſupra in Leone 3.) ſub Joanne undecimo anno 930. cum Martyrio affectus fuiſſet anno 776.

Feſtũ ſancti Rumoldi Mechlinien. Apoſt. quare prima Julii?

189. URBANUS Quartus, Natione Gallus, Patria Trecenſis, natus patre Sutore veteramentario, ſed animi indole nobilis, annorum trium, & duorum fere menſium Papa, quondam Monachus Ciſtercienſis, profeſſus in Monaſterio Foſſæ novæ:

ita

ita die ſecunda Octobris Martyrologium Ciſtercienſe. anno 1264.

Feſtum Corporis Chriſti. Feſtum Corporis Chriſti ſolemniſſime celebrandum inſtituit, ob cauſam quam reddit ſanctus Thomas in Officio ejuſdem feſti. Collegium duodecim Canonicorum Trecis in patria fundavit; idque in Templo S. Urbani ab ipſo in paternarum ædium ſolo ædificari juſſo. Ephemerides Gallicæ ſecunda Novembris de ipſo narrant: *Qu' il fit cette belle repartie a Alphonſe Roy d' Eſpagne, qui luy reprochoit, qu' il eſtoit fils d' un Savetier: il n' y a pas d' honneur de naitre noble, mais bien de ſcavoir s' annobler ſoy-meme par ſon ſcavoir, ſa prudence, & ſes bonnes meurs.*

190. CLEMENS Quartus, Gallus annorum trium & decem menſium Pontifex: poſt uxoris deceſſum, e qua duas habuit filias, receſſit ipſe ad Carthuſianos; apud quos etiam pater ipſius defuncta uxore ſe retraxerat, & uſque ad mortem perſeverarat: ſed ſanctus Ludovicus Franciæ Rex, prænoſcens bono publico magis expedire, eum revocavit, & aſcivit in Conſiliarium ac ſtatus miniſtrum. variis dein Eccleſiaſticis di-

dignitatibus inſignitus, tandem factus Papa, raræ virtutis exemplum præbuit, cum in aliis, tum maxime in affectu erga conſanguineos. uni enim filiæ in Monaſterio collocatæ triginta tantum libras dedit, alteri quæ conditionis ſuæ marito nupſerat, trecentas libras dotis nomine numerari juſſit; idque hac conditione, ne quid amplius peteret. Nepoti tres habenti præbendas injunxit dimiſſionem duarum: inſtantibus autem amicis, ut non tantum ea beneficia ipſi permitteret, ſed majora & plura tribueret, reſpondit, ſe plus Deo, quam carni & ſanguini debitorem eſſe. dignum eſt legi in additionibus Onuphrii ad Platinam Breve Apoſtolicum ſuper hoc Nepoti ſuo ſcriptum; quod & invenitur apud Marchantium in Horto Paſtorum, titulo de Beneficiis. imitatus ſemper inſtitutum Carthuſianorum, a morte uxoris, abſtinuit a carnibus uſque ad obitum, neque umquam dimiſit cilicium; unde merito Carthuſianis adnumerari poteſt, cui flagrans non defuit affectus, & imitatio regularis.

Pontifex plus Deo quam carni & ſanguini debet.

GRE-

191. GREGORIUS Decimus, cum ex diſcordia Cardinalium vacatio Sedis protracta fuiſſet uſque in trigeſimum tertium menſem, qua diuturnior nulla fuit; tandem

Sedis Apoſtolicæ diutiſſima vacatio.

Papatus munus tulit Archidiaconus unus,
Quem Patrem Patrum fecit diſcordia fratrum.

Dictus antea Theobaldus Placentinus, de familia Vice-comitum Mediolanenſium, Archidiaconus Leodienſis, exiſtens Pontificis Vicarius Generalis in obſequio Chriſtianorum apud Ptolemaidem Syriæ civitatem, cum Eduardo primogenito Anglorum Regis filio; ubi Ludovicum Francorum Regem, & tempus opportunum expectabat, ut cum cæteris Hieroſolymam proficiſceretur contra Saracenos, ad expugnandam Terram Sanctam. vide Joannis Molani Natales Sanctorum Belgii decima Januarii, ubi hic Gregorius pro Sancto recenſetur. ipſo Pontifice anno 1274. celebratum fuit Concilium œcumenicum 14. Lugdunenſe ſecundum, & inter alia conditæ ſunt leges in Conclavi a Cardinalibus obſervandæ, quas vi-

CONCIL. GENERA. 14. LUGDUNENSE 2.

vide in Annotationibus Onuphrii ad Platinam. Huic Concilio Pontifex ipſe cum quindecim Cardinalibus præſens interfuit; ſub quo obiit ſanctus Bonaventura, & divus Thomas eo ſe conferens in itinere mortuus eſt. Rudolphus Comes Hasburgicus, primus e Domo Auſtriaca Imperator, Aquisgrani primo coronatus, dein Loſannam Helvetiorum urbem ad hunc Gregorium profectus ab ipſo confirmatus, & Imperii inſignibus decoratus fuit; quod nollet ire Romam pro Imperii Corona, dicens: multorum Alemannorum Reges Italia conſumpſit, non ibo Romam.

Anno Christi 1244.

Primus Auſtriacus Imperator.

192. INNOCENTIUS Quintus Burgundus, Frater Petrus de Tarentaſia prius vocatus; ex Ordine Prædicatorum primus in ſummum Pontificem electus, Pontificatus ſui menſe ac die quinto moritur. contraxerat levem offenſiunculam contra Sacerdotes ſæculares, eo quod, cum eſſet inter illos & Fratres Prædicatores contentio de ſepeliendo corpore Clementis Quarti, adjudicavit id fratribus committi debere, quod Pontificem, dum viveret, ita voluiſſe diceret.

Contentio de Sepultura inter Regul. & ſaculares Sacerdotes.

ADRIA-

Conſtitutio de Conclavi Cardinalium renovata.

193. ADRIANUS Quintus Genuenſis, Nepos Innocentii Quarti, revocavit conſtitutionem Gregorii Decimi, de Conclavi Cardinalium; quam revocationem, quod ante ejus coronationem facta fuiſſet, & ſic invalida cenſeretur, Joannes ſucceſſor confirmavit: atque ita ſine Conclavis concluſione qui ſucceſſerunt Pontifices Nicolaus Tertius, Martinus Quartus, & Cœleſtinus Quintus, creati ſunt; hic autem poſterior Cœleſtinus renovavit dictam Gregorii conſtitutionem, & qui ei ſuffectus eſt Bonifacius Octavus ratam habuit, confirmatamque libro Decretalium Sexto regiſtravit: a quo deinceps tempore obſervata eſt. Adrianus hic amicis, qui ad ei de Pontificatu congratulandum advenerant, reſpondiſſe fertur: utinam me Cardinalem proſpere valentem, non moribundum Pontificem inveniſſetis! poſt ejus obitum, qui triginta novem tantummodo diebus in Pontificatu æger vixerat, electus fuit Vice-dominus de Vice-dominis Placentinus, Gregorii Decimi Nepos, ejus Sororis filius.

VICE-

194. VICE-DOMINUS, dictus per aliquot horas GREGORIUS Undecimus, primum Minorita, deinde Archi-Epiſcopus Aquenſis, poſtmodum electus in Papam; ipſa electionis die, ſuprema ſimul dignitate & vita functus eſt, ideoque inter Pontifices paſſim non numeratus: ſed computandum eſſe, vel ob ſubiti occaſus exemplum, a quo tanta dignitas exempta non eſt, quis neget? vide ſupra Stephanum Secundum, brevis ſimiliter ſpatii Pontificem, & chronicon Minorum anno 1276.

Papa unius diei.

195. JOANNES Vigeſimus Primus (dictus Vigeſimus ſecundus, ſed revera tantum Vigeſimus, ob rationes ſuperius allatas in Joanne Decimo nono) Luſitanus Ulíſſiponenſis; primus qui eo jam tempore quo Pontifices nomina mutare cæperunt, nomen ſuum retinuit, dictus antea Magiſter Joannes Petrus, medicinæ peritiſſimus: inter alia edidit librum qui inſcribitur *Theſaurus Pauperum*, de medendis humani corporis morbis, in omnes fere linguas ad

Papa medicus auctor Theſauri pauperum.

uſum

uſum pauperum translatum: menſe ſui Pontificatus octavo, ruina cubiculi recens conſtructi, obiit; qui vitam ſibi longiorem ob medicinæ peritiam pollicebatur: ſed videmus, ne ſummos quidem Pontifices & maximos Phyſicos, humanis caſibus exemptos eſſe. Conſtitutionem Gregorii Decimi de Conclavi, quam Adrianus Quintus ſuſpenderat, penitus revocavit, adeo ut ſine concluſione Cardinalium, qui deinceps ei ſucceſſerunt, uſque ad Bonifacium Octavum electi fuerint.

196. NICOLAUS Tertius, amantiſſimus fuit Fratrum Minorum, ex quibus aliquot Cardinales creavit: Miſſam devotiſſime celebrabat, ita ut ſemper ſacrificii tempore in lacrymas diffflueret. vacantibus Eccleſiis citiſſime proſpiciebat, eaſque ſtatim optimis & idoneis miniſtris committebat. Notarios & Tabelliones, tamquam ſanguine pauperum litigantium victitantes, ut tetrum virus, Curia ſua excluſit. fuit Romanus ex illuſtri Urſinorum Familia: & Romani a ſexaginta retro annis, ab Honorio nempe Tertio, uſque ad hunc Nicolaum Ter-

Tabelliones ſanguiſugæ litigantium.

Tertium, nullum Civem ſuum in Petri Cathedra ſedere viderant: probus hic Pontifex intempeſtive, nondum triennio in Pontificatu exacto, ſublatus eſt.

197. MARTINUS Quartus, a nonnullis ſecundus tantum dictus; ſed duo intermedii Pontifices Marini inter Martinos recenſentur: fuit Gallus, quondam Canonicus & Theſaurarius Eccleſiæ Sancti Martini Turonenſis; ideoque Martinus nominari voluit, dictus antea Simon de Bria. ſub ipſo Veſperæ Siculæ contigerunt: *Veſperæ Siculæ.* Siculis, cum Gallorum ſuperbiam ac libidinem amplius ferre nequirent, conſtituto tempore pulſationis campanarum ad preces veſpertinas, ipſa die Paſchatis, quæ erat 30. dies Martii anno 1282. omnes tota inſula Gallos, ſuper octo millia, inermes, & nihil tale, tali maxime die cogitantes, nullo ætatis aut conditionis diſcrimine habito, trucidantibus, ipſaſque a Francis prægnantes Mulieres Siculas eviſcerantibus, ne quid ſtirpis Franciæ ſupereſſet in Sicilia. quo tempore Petrus Aragonius ſalutatus eſt Rex Siciliæ. Papa autem, hoc audito, jus Regni

gni ei abrogat, & tribuit Carolo Valeſio filio minori Regis Franciæ ex ſorore Aragonii. Martinus hic ab omni cupiditate ſuorum alienus, Eccleſiaſtici juris defenſor maximus fuit. cum Germanus frater aliquando ad eum acceſſiſſet, ut ei de tanto honore gratularetur, ſimulque multa ab eo obtinere ſperaret: eum confeſtim paucis muneribus donatum, domum redire juſſit, affirmans bona Eccleſiæ, quæ ſua non eſſent, ſe nolle ſine ratione donare. anno ſui Pontificatus quarto mortuus, ex devotione in habitu Franciſcano ſepultus fuit: hinc in Epilogo Ordinis Seraphici tamquam Pontifex ex Franciſcano Ordine aſſumptus exprimitur: ſed non recte, uti ſupra Gregorius Nonus.

Papa Eccleſiæ bona ſuis non diſtribuens.

198. HONORIUS Quartus ſenio & arthritide laborans, inſtrumentis ad hoc affabre aptatis miſſam celebrabat: prudentia & conſilio præpollebat, dictitans manus & pedes non imperare, ſed caput. Ordines Carmelitarum, & Eremitarum Auguſtinianorum ad maturiorem deliberationem delatos confirmavit; Carmelitiſque Pallium album dedit,

Carmelitæ & Auguſtiniani reformati.

dit, cum antea verſicolore uterentur. Aulicos ſuos amabat, & propinquorum amore non caruit, quos ex Eccleſiæ reditibus ditabat, contra quam facere ſolebat prædeceſſor. fuit Romanus, anniſque duobus ſedit.

199. NICOLAUS Quartus, Italus, Ordinis Minorum Generalis, humili genere, civitate Aſculana in Piceno ortus, primus in Pontificem ex Franciſcanis aſſumptus (quamquam non proprie, cum ante ipſum electus fuerit ex eodem Ordine Vice-dominus nepos Gregorii Decimi, ipſa electionis die mortuus) probos & eruditos cognatorum loco habuit: audito calamitoſo rerum Syriæ ſtatu, Crucem prædicari ubique juſſit, ſollicitans Principes Chriſtianos arma in Barbaros convertere: & ipſe ſuo ære conflatum exercitum miſit in Syriam ad Ptolemaidis, quam Soldanus obſidebat, defenſionem: ſed inutiliter; hancque Chriſtianorum a Terra Sancta expulſionem deplorans, obiit menſe primo poſt annum Pontificatus ſui quartum. ſcribunt aliqui (putem fabuloſe) ipſum feciſſe conſtitutionem, ne-

Primus ex Franciſcanis Pontifex probos & eruditos cognatorum loco habuit.

Amiſſio Ptolemaidis.

minem poſſe fieri Papam, niſi ex Ordine Minorum: & videtur nonnihil cauſæ ſubfuiſſe; quia Sedes poſt mortem ipſius valde diu vacavit, ultra duos nempe annos: donec tandem electus fuit ſanctiſſimus Eremita, nihil ſimile cogitans, Petrus de Morono.

200. COELESTINUS Quintus, Italus Eſernienſis, in Samnitibus natus, parentibus piis, ſed arctis domi rebus, ipſe undecim Fratrum ſuorum ultimus. cum ex diſcordia Cardinalium Sedes Apoſtolica vacaſſet annos duos, menſes tres, dies duos, Cardinalis Latinus ex Ordine Prædicatorum mentionem fecit Petri de Morono notiſſimæ Sanctitatis Eremitæ: qui abſens confeſtim omnium conſenſu renuntiatus Pontifex, acceptis electionis ſuæ literis, ægerrime Pontificatum admiſit, uſurpans illud Davidis, Pſalmo 70. *Quoniam non cognovi literaturam, introibo in potentias Domini?* dumque ex Eremo ad conſecrationem tenderet, vectus eſt aſello; non enim induci potuit, ut equo veheretur: quam ſimplicitatem Deus miraculo ſanitatis ægro redditæ comprobavit; in

Sedis Apoſt. vacatio per annos 2. menſes 3.

qua

qua conſecratione ad ducenta hominum millia interfuiſſe referuntur, propter diu expectatam electionem, ac rei novitatem; quod homo Eremita literarum rudis, & linguæ latinæ ignarus, ut narrat Ciaconius ex Guilielmo Cardinali Sirleto, ſed ſanctitate eximia præditus ad tantæ dignitatis faſtigium non niſi a Deo evectus fuiſſet; & ideo Cœleſtinus vocatus, quod cœlitus miſſus crederetur. Inter duodecim quos creavit Cardinales, duos ſui inſtituti Monachos, ab ipſo Cœleſtinos dictos aſſumpſit, quibuſcum Divinarum Laudum conſueto exercitio privatim vacare poſſet. ſed mox defuncto Cardinali Latino, qui pondus Apoſtolicum vice Pontificis, cum ſe imparem tanto oneri crederet, ſuſtinebat; cogitavit de Pontificatus abdicatione: ad quam Papam pronum notans Benedictus Cardinalis Cajetanus, ſucceſſioni inhians, eam perſuaſionibus ſuis maxime promovit; nequaquam autem vaframentis vulgo decantatis, immiſſa nimirum per cannam, ſive fiſtulam voce de ſuperiore cubiculi tabulato: ut ſi ſalvari vellet, Pontificatu abiret; Cœleſtinus enim non adeo cre-

Eremita Linguæ Latinæ ignarus fit Papa.

Abdicatio Papalis dignitatis

dendus eſt rudis fuiſſe in diſcernendis ſpiritibus, ut talibus ſe dolis deludi paſſus eſſet, qui cum Angelis Dei frequens converſabatur, & ſpiritu prophetico donatus erat. facta igitur conſtitutione, licere Pontifici abdicare ſe dignitate, abdicavit Cœleſtinus in publico Conſiſtorio, deditque Cardinalibus poteſtatem ſubrogandi alium; ſtatimque depoſitis ornamentis Pontificiis ad Cardinalium pedes ſe recepit, qui regnaverat tantum menſes 5. & dies octo.

Licita per conſtitutionem.

ANNO CHRISTI 1300.

201. BONIFACIUS, Octavus vulgo dictus (cum ſextus dumtaxat dicendus eſſet, rejectis duobus Bonifaciis Sexto & Septimo iniquis Sedis invaſoribus) Benedictus Cardinalis, Cajetanus antea vocatus conjecit in carcerem deceſſorem Cæleſtinum; quod metueret, ne aliquis ex Potentatibus eum ad Pontificatum reduceret; in quo carcere poſt biennium ſanctiſſime mortuus eſt 19. Maii, anno 1296. aurea cruce circa oſtium cubiculi tota die mirabiliter in aere pendente; & ob miraculorum præſtantiam undecim poſt annos a Clemente Quinto in Sanctorum nu-

numerum relatus. Bonifacius, expulſis duobus Cardinalibus Columnenſibus, maximis ſuis inimicis, iiſque omni dignitate ſpoliatis, exhibuit ſe mox publice ſpectandum cum tiara duplici corona cincta, non contentus ſimplici, qua anteceſſores uſi fuerant; cui Urbanus deinde Quintus tertiam impoſuit. Bonifacius Jubilæum primus inſtituit centeſimo quoque anno celebrandum; quod anno ſeculari 1300. Romæ maximo populi concurſu celebravit. Quo tempore cum Albertus Auſtriacus Imperatoris Rudolphi filius contra Adolphum Naſſavium electum Imperatorem, prætenderet Imperium, eſſetque inter illos ſumma contentio; Papa duobus altercantibus, id ſibi adſcribens, Romæ die quodam ſe ſtitit in publico, in habitu ordinario Pontificali, benedictionem populo impertiens: die vero ſequenti cum habitu prodiit Imperiali, coronam Cæſaream in capite geſtans, prælatis ſibi per ſpatharium gladiis duobus; cumque ſediſſet in throno, alta voce clamavit: *Ecce duo gladii hic*, Pontificiæ nempe & Cæſareæ poteſtatis. ſed poſtea confirmavit electionem Alberti, tali eum con-

Mitra Papalis cum duplici corona.

Primum Jubilæum.

Papa ambit eſſe Imperator: deinde Rex Franciæ.

ditione coronans, ut Imperator Regi Franciæ Philippo Pulchro (quem ob reditus Eccleſiaſticos ſibi negatos excommunicaverat) bellum inferret; eoque regno privato, Regni Franciæ titulum ipſe Papa geſtaret: unde maximæ diſſenſiones inter Bonifacium Papam, & Philippum Regem ortæ ſunt. Sicut Innocentius Quartus Cardinalibus rubrum galerum, ita Bonifacius purpureum eis veſtimentum dedit. Degradationis Clericorum certam ſententiam & rationem conſcripſit. Pulpitum in Laterano erigendum curavit, ex quo feria quinta in Cæna Domini quotannis excommunicationes proclamantur. Corpus Hermanni Biſochi, qui fuerat caput Ordinis Fratricellorum, apud Ferrarienſes per triginta annos pro ſancto cultus, habita diligenti inquiſitione, exhumari & comburi juſſit tanquam damnati Hæretici, & ara ejus donariis multis pretioſa deſtructa fuit. Ludovicum Nonum Francorum Regem divorum numero adſcripſit, Francis licet poſtea infeſtiſſimus, uti patet ex injurioſis utrimque literis de Jure Eccleſiæ & Regni ſcriptis, quas profert Fr. Cariere in Chronologia

Rubra veſtis Cardinalium.

Clericorum Degradatio.

Excommunicatio in Cæna Domini.

S. Ludovicus canonizatus.

gia Pontificum, Additione de Pontificibus male in Galliam affectis: ut a Gallis de ipſo dicterium hoc ſparſum habeatur: *Papatum ut vulpes intravit, ut lupus gubernavit, ut canis expiravit.* contra quod notandum eſt, trecentis poſt mortem annis, hoc ſeculo, anno nempe 1605. quinto idus Octobris, corpus ejus plane incorruptum, membriſque omnibus integrum repertum fuiſſe; veſtibus quoque ſacris, quibus ad ſepulturam indutus fuerat, omnino ſanis: qua de re confectum fuit publicum inſtrumentum, quod deſcripſit Bzovius, Tomo quarto. ſedit Bonifacius hic Octavus annos octo, menſes fere decem; fuit Anagninus, ex proſapia Innocentii Tertii.

Papa notæ non ita bonæ poſt 300. annos integer repertus.

202. BENEDICTUS Undecimus, ſecundus ex Ordine Prædicatorum ad Papatum evectus: Decimus, imo Nonus ab aliquibus tantum dictus eſt, propter Benedictum Quintum, qui vivente Joanne Duodecimo, malæ notæ Pontifice, ſuffectus fuit: & Benedictum Decimum, qui per vim intruſus Sedem Apoſtolicam fere per annum violente tenuit. Natus fuit hic Benedictus Tarviſii,

in Venetorum diſtrictu, obſcuris parentibus, patre Notario, matre pannorum lotrice: Grammaticæ primum præceptore Bocaſino patruo, Presbytero Eccleſiæ Parochialis ſancti Andreæ in patria, operam dedit: deinde Venetiis, quo vitam ſuſtentare poſſet, Nobilium Patriciorum filios rudimenta docuit; Ordinémque Prædicatorum inopia preſſus intravit (ita Ciaconius ejuſdem Ordinis vitæ Pontificum Hiſtoricus). Pontifex hic, memorabili ſui cognitionis exemplo, pauperculam matrem, quondam Dominicani Conventus in patria ordinariam pannorum lotricem, in veſtibus ſericis ad ſe introductam, noſcere diſſimulavit. Ciaconius ſic narrat: quod Pontifice ob timorem Columnenſium Urbe relicta Peruſium profecto, ibi memoria dignum æterna quid acciderit: cum Pontificis mater jam anus ad eum ſalutandum aliquando vili habitu acceſſiſſet; a Pontificis familiaribus ſericis veſtimentis induta, cubiculo ejus introducitur: eam Pontifex matrem ſuam eſſe negavit; quæ vilibus veſtimentis, non ſericis uti ſoleret: ea deducta, & prioribus veſtibus amicta, Pontifici

Papa filius matris pannorum lotricis.

fici

ſici denuo ſiſtitur; quam Pontifex amplexatus, ut matrem agnovit, & veneratus eſt, ac publice clamavit; eam pauperculam anum matrem ſuam eſſe, non illam ditem pretioſis veſtibus indutam: quam ejus humilitatem audientes, qui aſtabant, obſtupuerunt. fuiſſe autem Benedictum brevis quidem ſpatii, octo tantum menſium, & ſex dierum Pontificem; ſed virum optimum ac ſanctiſſimum miracula ab eo poſt mortem edita declarant. Memoriam Impreſſionis ſtigmatum in corpore Beati Franciſci, anniverſaria celebritate obſervari a Minoritis voluit: quam poſtea Paulus Quintus, ut corda Fidelium in Chriſti Crucifixi accenderentur amorem, ab univerſa Eccleſia pro libitu, & Clemens Decimus de mandato colendam ſtatuit. *Feſtum Impreſſionis Stigmatum S. Franciſci.*

203. CLEMENS Quintus, Gallus Vaſco, cum ob ſeditiones Italicas Sedes Apoſtolica per annum, & menſes vacaſſet, factus Pontifex, eam tranſtulit Avenionem in Gallia, ubi ultra annos 70. manſit (quam Itali Captivitatem ſuam Babylonicam appellant). miſſis Romam tribus *Sedes Rom. Avenionem tranſlata.*

Cardinalibus, qui res Italicas curarent; ab his ex Pontificis commiſſione anno 1312. tertio Kalend. Julii coronatus fuit Imperator Henricus Septimus. Septem Pontifices conſequentes, omnes Gallos Avenio habuit; quorum ultimus Gregorius Undecimus, non ſine diri ſchiſmatis ad annos prope 50. protracti exitiabili appendice, Sedem Romæ reſtituit. Quomodo Clemens hic a Gualtero de Brugis Epiſcopo Pictavienſi vocatus fuerit ad judicium divinum, vide Natales Sanctorum Belgii Joannis Molani, die 22. Januarii. Templarios ſub Gelaſio Secundo ortos extinxit, variis non tam nefandis, quam infandis errorum & ſcelerum obſcœnitatibus, pravitatibus, & maculis reſperſos, uti ſententia contra illos lata loquitur; ſed an jure tam rigide condemnati ſint, multi dubitant: dicuntur Templarii appellaſſe a ſententia hac, & citaſſe ad Dei judicium Papam Clementem, & Philippum Pulchrum Franciæ Regem; qui uterque intra annum obiit. Franci referunt Templarios extinctos fuiſſe ob Atheiſmum & impudicitiam maximam; Germani autem proteſtan-

Templarii extincti.

teſtantur ipſis haſce calumnias fuiſſe impoſitas, ad maximas illorum divitias conſequendas: apud quos illi, ut poſtulabant, audi- ti nomen tantum & leges mutarunt, perſonis & reditibus diſtributis in alias ſacrorum Ordinum Familias. Sub Clemente hoc habitum fuit Concilium OEcumenicum 15. Viennenſe in Gallia, in quo fuerunt damnati Templarii prædicti, & Beguini hæretici. Indulſit hic Pontifex Regibus Franciæ communionem ſumere ſub utraque ſpecie; quo privilegio adhuc utuntur in die quo ſacrantur, & in articulo mortis. Cœleſtinum Quintum, de quo paulò ante, Divis aſcripſit: auctor eſt Clementinarum, quæ ab illo ſic vocantur. fuitque per annos prope novem primus in Francia reſidens Pontifex.

Concil. Generale XV. Viennæ in Gallia.

Indultum Regi Galliæ communicare ſub utraque ſpecie.

204. JOANNES Vigeſimus ſecundus Gallus, natus patre Scrutario, ſive Sartore veteramentario; eligitur poſt Sedis vacationem per annos 2. menſes 3. dies 17. Clementis Quinti Conſtitutiones, vulgo Clementinas dictas approbavit, & legi publice in ſcholis juſſit, & ipſe edidit

Vacatio longa Sedis Apoſt. ob translatam Sedem Roma Avenionem.

Conſtitutiones, quas Extravagantes vocant. inſtituit Ordinem Equitum Chriſti pugnantium contra Mauros. male non nihil audiit ob opinionem quam habuit de receptaculis animarum, uſque ad corporum reſurrectionem; quam etiam S. Bernardus tenuiſſe videtur in Sermone ſecundo de omnibus Sanctis, ad quem vide Notas Joannis Merlo Horſtii, qui Opera Bernardi in pulcherrimum ordinem redegit: ſed poſtea Pontifex hic Bullam emiſit, qua animas beari in cœlo, aliaſque in inferno cruciari ſtatim ab obitu affirmavit. Salutationem Angelicam in honorem Incarnationis Chriſti, quæ ter in die ære campano ſonante deſignatur, induxit; ut fideles ſi non poſſint ſæpius, ſaltem ter Deum orent, ad exemplum Davidis Pſal. 54. *Veſpere, & mane, & meridie narrabo, & annunciabo, & exaudiet vocem meam*. cui devotioni Clemens X. novas Indulgentias addidit. Excluſit Semiduplicia ab octava Corporis Chriſti. Feſtum SS. Trinitatis in octava Pentecoſtes ipſum inſtituiſſe ſcribit Ciaconius; Gavantus autem illud antiquius, & a Gregorio Quarto inſtitutum eſſe ait.

Ordo Equitum Chriſti.

Animæ ab obitu ſtatim beantur vel damnantur.

Salutatio Angelica veſpere, mane, & merid.

Semiduplicia excluſa ab Octava Corporis Chriſti.

ait. antehac celebrari ſolebat diverſimode: apud nonnullos Dominica prima poſt Pentecoſten, apud alios Dominica ultima ante Adventum; apud Romanos autem non celebrabatur; quia quotidie canitur in honorem SS. Trinitatis *Gloria Patri, & Filio &c.* & ſingulis diebus Dominicis oct. Reſponſorium, *Duo Seraphim clamabant.* Tandem Joannes 22. aſſignavit Dominicam primam poſt Pentecoſtem huic Feſto. ita Summa Piſanella in verbo *Feria*. Iis qui ad Nomen JESU reverentiam exhiberent, ſingulis vicibus quadraginta dies remiſſionis tribuit. Feſtum S. Catharinæ, quæ Græcis olim fuit notior, Latinis dein facta notiſſima, ob peculiare patrocinium præſtitum in expeditione Terræ ſanctæ, in Occidentali Eccleſia celebrari juſſit. Canonizavit Avenione S. Ludovicum Epiſcopum Toloſanum, & S. Thomam Aquinatem. Tribunal duodecim Pontificis Capellanorum, quos Rotæ Auditores vocant, ad quos ex omnibus Orbis Chriſtiani Regionibus provocatio eſſet, inſtituit. Contra ipſum Ludovicus Bavarus eligi fecit Romæ in Conventu Schiſmaticorum Pſeudo-Papam Petrum de

Feſtum SS. Trinit.

Reverentia Nominis JESU

S. Catharinæ Feſtum.

Auditores Rotæ.

Schisma XXIV.

Petrus de Corbario Minorita contra Joannem 22.

de Corbario; qui relicta quondam uxore, Ordinem Minorum profeſſus fuerat, & Nicolaus Quintus vocatus fuit (a quo Imperator cum Uxore coronari ſe fecit) ſed tandem Avenione in publico Conſiſtorio abjecit ſe ad pedes Joannis Pontificis, collo in laqueum inſerto, veniam & vitam deprecatus; Papa oratione prolixa omnia ſua commemoranti illacrymatus, eum e terra ſublatum oſculatus eſt: vixit autem in Palatio Pontificio ſub cuſtodibus annos tres, neminem alloquens, ac defunctus, ſepultus eſt in Eccleſia Fratrum Minorum cum eorum habitu. Papa vero Joannes in Pontificatu ultra annos 18. menſes 4. exegit, octavus inter Pontifices diuturnitate Seſſionis.

Papa Molitoris filius.

205. BENEDICTUS Duodecimus, Gallus Toloſas, natus patre Molitore, affine Papæ præcedentis, qui filius erat Scrutarii; ex Monacho primum Carmelita, dein Abbate Ciſtercienſi, Cardinalis, ac demum Summus Pontifex, memor deceſſoris ſui Joannis, cujus beneficio Purpureum Galerum acceperat, opinionem ejus de animarum poſt mortem

tem ſtatu tam dilucide expoſuit, ut nullus ſupereſſet dubitandi locus. indignos & conſanguineos arcuit a beneficiis; dicens ſe nolle exornare lutum, & Papam non habere conſanguineos: utque Benedictus Undecimus matrem in veſtibus ſericis, ita hic patrem in alio quam Molitoris habitu noluit agnoſcere: nihilq; aliud illi dono dediſſe fertur, quam pecuniam quæ ſufficeret ad emendam molam: cumque conſanguinei ſæpius inſtarent, ut ab illo promoverentur, ſubintulit illud Davidicum, Pſalmi 18. *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor a delicto maximo.* Avenione reſidens invitatus a Rege Franciæ, cum expectaretur Pariſiis, ut faceret ſolemnem introitum die quodam Jovis, & altilia omnia ipſi excipiendo parata eſſent; ob quod neſcio impedimentum, tantum ſequenti die Veneris intravit: cujus intuitu ſolemnitatis, populus carnibus pridie paratis veſci non dubitavit, ob præſentiam & veniam interpretativam Papæ, quam vero ſimiliter ipſe etiam conceſſit; hinc ortum habet *La Semaine de deux Jeudis*. fuit autem Benedictus Papatu

Papa non habet Conſanguineos.

La Semaine de deux Jeudis.

tu

tu optime functus per annos ſeptem, menſes 4.

Secundum Jubilæum.

Feria 4. Cinerum privilegiata.

S. Ivo canonizatus.

Avenio Septenaria, Ditionis Pontif.

Papa prodigioſa memoria, profuſus in conſanguineos ac benefactores.

206. CLEMENS Sextus Lemovix Gallus conſiderans pauciſſimos ad annum centeſimum pervenire, Jubilæum ad quinquageſimum reduxit anno 1350. Feriam quartam Cinerum fecit privilegiatam, in qua occurrens quodcumque Feſtum transferri juſſit: quia convenit ut populus Chriſtianus eo die publica pœnitentiæ det indicia. Canonizavit S. Ivonem, Britonem, pauperum Advocatum. Avenionem a Joanna Neapolitana Regina emptam, ditionis Pontificiæ fecit. Nota quod Avenio ſit Urbs Septenaria, uti Bruxella, habens ſeptem portas, ſeptem Parochias, ſeptem Collegia, ſeptem virorum, & ſeptem fœminarum Monaſteria, &c. Tam prodigioſæ memoriæ fuit, ut quidquid ſemel legiſſet, oblivisci, etiamſi cuperet, non poſſet: & hanc tantam memoriam magno quodam capitis vulnerati ictu (cujus adhuc ingens cicatrix in ſuperiore vertice ſupererat) proveniſſe narrat Petrarcha lib. 1. rerum memorabilium. Theſauros Eccleſiæ, contra quam prædeceſſor fecerat, profuſe diſtribuit

pro-

propinquis ac conſanguineis, ipſos locupletes ac ſui memores eſſe cupiens. Pontificatum illi quidam ſive prædixiſſe, ſive ominatus eſſe fertur: cum enim donatus quondam Pariſiis Doctoris Theologi Laurea ad Monaſterium ſuum rediret, in itinere a Latronibus ſpoliatus eſt omnibus uſque ad induſium; iterque ſuum proſequens Turetum citiſſime pervenit, ubi quidam Sacerdos modici beneficii Eccleſiaſtici Rector, veſtem ei & neceſſaria vitæ ſuppeditavit: cumque diſcederet, ecquando, inquit, acceptum ego beneficium referre potero? cui Sacerdos, tum, cum eris Romanus Pontifex. igitur multo poſt adeptus Pontificatum, memor veteris beneficii, illum ipſum Sacerdotem ad ſe vocatum, primo cubicularium ſuum fecit, deinde Archiepiſcopum Toloſanum. Clemens hic, quondam ex Monacho Benedictino Epiſcopus Atrebatenſis, Papatum per annos decem, menſes ſeptem optime gubernavit.

207. INNOCENTIUS Sextus, Curiæ Pontificiæ reformator, menſtrua Auditoribus Rotæ & Judicibus ſalaria conſtituit, ne mu- *Salaria Auditoribus Rota conſtituta.*

muneribus corrumperentur: in victu domeſtico admodum frugalis. Ipſo Avenione reſidente, Carolus Quartus Imperator Romæ coronatus fuit per duos Cardinales ab Innocentio delegatos, ea conditione, ut non niſi uno die ibi moraretur, & quam citiſſime ex Italia diſcederet; quod & fecit Imperator; quæ conditio hanc Petrarchæ extorſit exclamationem: *o infamem diem! o pudendum fœdus!* Petrarcham magicis artibus deditum jam ante Pontificatum, per delatorem quemdam Juris conſultiſſimum Innocentius crediderat: ſed delatore mortuo, contrarium reperit, ac falſum eſſe crimen, quod viro doctiſſimo objiciebatur: itaque Petrarcham donis ac precibus rogavit, ut Scriba Pontificius fieri vellet; is ſe excuſare maluit ſenectutis cauſa, quam ad Aulam redire. fuit Innocentius, uti prædeceſſor, Lemovix, per annos fere decem ſummus Pontifex.

Franciſcus Petrarcha.

208. URBANUS Quintus, item Lemovix, Monachus Cluniacenſis, Guilielmus antea vocatus, S. Victoris apud Maſſiliam Abbas, Pontifex factus Tiaram Pontificiam triplici corona cir-

Mitra Pontif. tripliciter coronata.

circumdedit, a S. Silveſtro ſimpliciter, a Bonifacio Octavo dupliciter coronatam. In tractu Peſſulano, Eccleſiæ SS. Marthæ & Benedicti turrim cymbalariam viginti ſeptem æris campani nolis inſtruxit, & fundavit ibidem collegium duodecim Medicorum. Confirmavit Ordinem Jeſuatorum a Joanne Columbino fundatum. Inſtituit Benedictionem Roſæ Aureæ, Dominica *Lætare* in Quadrageſima; quam ipſe primum miſit Joannæ Siciliæ Reginæ. Agnos Dei a ſe benedictos nonnullos direxit ad Imperatorem Græcorum, quorum virtutem hiſce verſibus expreſſit:

Turris cymbalaria.

Jeſuati.

Benedictio Roſæ Dominica Lætare.

Agni Dei, & eorũ virtutes.

Balſamus & Cera munda cum Chriſmatis unda
Conficiunt Agnum, quod munus do tibi magnum,
Fonte velut natum per myſtica ſignificatum:
Fulgura deſurſum depellit, & omne malignum
Peccatum frangit, ceu Chriſti Corpus & angit.
Prægnans ſervatur ſimul & partus properatur:
Donaque fert dignis, virtutem deſtruit ignis,
Portantes munde de fluctibus eripit undæ.

Uſus

Uſus Agni Dei eſt antiquiſſimus; initium & auctor non cognoſcitur; nam dabatur antiquitus Neophytis poſt depoſitionem albarum veſtium, ut meminiſſent quod candor, qui de habitu deponitur, ſemper in corde teneretur; hinc forma cordis ovali collo dependet. Leo Papa Tertius Carolo Magno Agnos Dei donavit: atque Alcuinus & Amalarius referunt, quod Papa eos benedicit Sabbato ſancto, eoſque diſtribuit Dominica in Albis: idque tantum facit anno primo ſui Pontificatus, deinde ſingulis ſeptenis annis; vide Molanum Oratione de Agnis Dei. Tempore quo Romani Pontifices Avenione ſederunt, Urbanus hic ſemel Romam venit, & celebravit in Altari S. Petri, in quo a Bonifacio Octavo nemo celebrarat: quod audiens Carolus Quartus Imperator Romam advolat, exhibetque Papæ officium Stratoris; & in ejus Miſſa Euangelium tanquam Diaconus decantavit. Ad hunc Pontificem Beata Birgitta Dei juſſu Romam venit, & ſancti Salvatoris Regulam ab ipſo Domino acceptam eidem obtulit, quam & approbavit: qui dein Roma rediit Avenionem ſtudio ſedandi Anglo-

Imperator Papæ ſtrator & Diacon.

Regula S. Salvatoris B. Birgittæ.

rum

rum cum Francis bellum: ubi B. Elzearium Comitem SS. Confeſſorum albo inſcripſit, Pontifex annorum octo, menſium trium. *Canonizat. S. Elzearii.*

209. GREGORIUS Undecimus, Gallus Lemovicenſis, uti tres prædeceſſores, Clementis Sexti fratris filius, annorum dumtaxat triginta quinque Pontifex creatur, pauloque plus ſeptem annis regnavit. Juſſit feſtum Præſentationis B. Mariæ Virginis, item Symbolum dici in Miſſis Sanctorum Eccleſiæ Doctorum; quod ipſi illud nobis ſua doctrina ſunt interpretati. Papa hic Romam ex Gallia reduxit Sedem Pontificiam, motus nonnihil verbis cujuſdam Epiſcopi, qui familiariter Pontifici colloquens, ab ipſo interrogatus, cur non rediret ad Eccleſiam ſuam, quam malum erat ſine Paſtore tam diu relinquere, reſpondit Pontifici: cur tu Sanctiſſime Pater Epiſcopatum tuum Romanum non repetis, nobis daturus exemplum? acceſſit etiam perſuaſio ex revelatione S. Catharinæ Senenſis, uti patet in lectionibus Breviarii, ipſius feſto 30. Aprilis. alii referunt S. Birgittam Hieroſolyma reducem, cum Romam *Papa juvenis 35. ann.* *Feſtum Præſent. B. V.* *Symbolum in Miſſis SS. Doctor.*

Pontificia Sedes Avenione Romam relata,

mam veniſſet, inde Avenionem ad Gregorium ſcripſiſſe, Dominum Deum omnino velle Sedem Pontificiam Romam reduci: qui Avenione diſcedens 13. Septembris anno 1376. poſt varias in mari jactationes, tandem 17. Januarii anni ſequentis 1377. Urbem ingreſſus eſt. Refert porro Joannes Gerſon, libro de examine doctrinæ, parte 2. & ex eo Nauclerus, ipſum anno ſequenti 1378. ſub finem menſis Martii in extremis poſitum, habentem in manibus ſacrum Chriſti Corpus, proteſtatum eſſe coram aſtantibus, ut caverent ab omnibus ſive viris ſive fœminis, ſub ſpecie Religionis loquentibus viſiones ſuo cerebro cuſas; quia per tales ipſe ſeductus, omiſſo ſuorum rationabili conſilio, de non referenda Sede Romam, ſe, & Eccleſiam in diſcrimen imminentis Schiſmatis traxiſſet; quod ſub ſequenti Pontifice cum diutiſſimo Eccleſiæ incommodo exortum eſt.

Jubilæum Tertium ad annum 33.

210. URBANUS Sextus, Italus Neapolitanus *Prignanus*, Jubilæum ad annum trigeſimumtertium reduxit, idque intuitu paris numeri triginta trium an-

annorum vitæ Chriſti, ex quo omnes manant Indulgentiæ. inſtituit feſtum Viſitationis B. M. Virginis, ſecunda die Julii celebrandum: idque quia iſto die finita eſt Viſitatio ipſius in domo Eliſabeth, ut ait Azorius parte 2. lib. 1. cap. 23. quæſt. 2. nam tribus menſibus apud illam a Conceptione Filii Dei manſit. Ordinavit, ſi poſt feſtum omnium Sanctorum occurrat Dominica, transferri commemorationem Fidelium defunctorum in feriam ſecundam. Papa hic ante Pontificatum claris virtutibus elucebat, quas Pontifex factus, viſus eſt aut numquam habuiſſe, aut uno veluti momento, tum cum maxime indigeret, amiſiſſe: hinc contra ipſum pluribus inviſum electus fuit in Pontificem Robertus Cardinalis Gebennenſis, Clemens Septimus dictus, quondam Epiſcopus Cameracenſis; idque illegitime ab aliquot Cardinalibus Avenione ſe tenentibus; unde Schiſma omnium longiſſimum, quod quinquaginta annos perduravit, exortum eſt: duoque hi Pontifices, hic in Gallia, ille in Italia alter in alterum cenſuris ſæviebant; ſeditque legitimus Pontifex Urbanus Romæ annos fere duodecim

Viſitatio B. Mariæ cur 2. Julii.

Translatio Com. Fidel. Defunct. in Feriam 2.

SCHISMA XXV. Omnium diutiſſimum.

cim, Pſeudo-pontifex autem Clemens, cui Franci potiſſimum & Hiſpani adhærebant, Avenione annos ſexdecim.

211. BONIFACIUS Nonus, Neapolitanus, de Nobili, licet paupere, Familia *Tomacella*, vir formoſus, cantu & manuſcriptione excellens, qui nihil præter Grammaticam, & parum in Rhetorica audierat: Clericus Vagabundus Fortunam, ut dicitur, tentaturus Romam ſe contulit: factuſque Protonotarius, tandem gratioſus pluribus, & ipſi Pontifici Urbano, a quo fit Cardinalis; eoque mortuo a Cardinalibus Romæ exiſtentibus eligitur Pontifex, annum tantummodo ter decimum vitæ agens: erat modeſtiſſimus, & juventutem cum ſenectute permutaſſe videbatur; oſtenditque etiam ſine magna doctrina magnas res poſſe geri. Mox Clementis Antipapæ Avenionenſis erupit in eum damnatio, & viciſſim Bonifacii in Clementem. auctor habetur Annatarum Sacerdotiis impoſitarum: ſtatuit enim nullos ad Epiſcopatum, Abbatiam, aut Sacerdotium aliquod promovendos fore, niſi dimidia parte primi anni redditunm Ca-

Clericus vagabundus, juvenis, & parvi ſtudii fit Papa.

Annata.

me-

meræ Apoſtolicæ perſoluta, neceſſitati Eccleſiaſticæ ſublevandæ; idque priuſquam gratiam Apoſtolicam conſequerentur; unde ærario Eccleſiaſtico multum acceſſit. notatur nimii affectus erga propinquos: commendatur quod mori potius elegerit, quam ex ſuaſione medicorum, calculo quo laborabat liberari, ſi cum fœmina rem haberet. hic S. Birgittam canonizavit. feſtum Viſitationis B. Mariæ a deceſſore Urbano inſtitutum omni ſtudio fecit ſolemnizari: celebravit quartum Jubilæum anno ſæculari 1400. ſedit annis fere quindecim: annorum tantum 30. fuiſſe refertur, cum Pontifex crearetur: cum mortuus eſt, annorum 45.

Canonizatio S. Birgittæ.

Jubilæum 4. anno Chriſti 1400.

212. INNOCENTIUS Septimus, Italus Sulmonenſis, *Melioratus*, mortuo Bonifacio omnium votis legitime electus, jurejurando adactus fuit, ut ad Eccleſiæ unitatem ineundam, etiam cum Pontificatus depoſitione operam daret. cum interea mortuo Clemente Antipapa, Petrus de Luna Hiſpanus Aragonius, Benedictus Decimustertius vocari volens, Avenione ſubrogatus eſt in Anti-

papatu, & pertinaciſſime contra Innocentium reſtitit; qui legitimus Pontifex, cum decretum feciſſet de non dicendo *Credo* in feſtis S. Joannis Baptiſtæ, & S. Laurentii, niſi quando venerint in Dominica, ſubita apoplexia ſublatus eſt, anno Pontificatus ſecundo.

Credo non dicitur in Feſtis SS. Joannis Baptiſt. & Laurentii.

213. GREGORIUS Duodecimus, Venetus, *Corerius*, antequam eligeretur, cum reliquis promiſerat, ſe ceſſurum Papatui, ſi Petrus de Luna idem facere non recuſaret: ſed illo, relicta Avenione, in Hiſpaniam fugiente, revocavit promiſſum ſuum, & Pontificatum tenuit per annos octo cum dimidio: uſque dum Concilio Piſis a Cardinalibus inito, uterque, & Gregorius, & Benedictus Pontificatu ſunt depoſiti, & vacante, ut dicebatur, ſede, ex duorum incertorum Pontificum dubio, œcumenice electus fuit ſequens Alexander, vivente & gerente ſe Gregorio Arimini pro Papa, uti in Hiſpania faciebat Petrus de Luna.

Vacat Sedes ex duorum PP. incertorum dubio.

214. ALEXANDER Quintus, ſecundus ex Ordine Minorum Summus Pontifex, magnæ doctrinæ & ſanctitatis vir. quem

Secundus ex Ordine Minorum Papa.

quem verum, & legitime electum fuiſſe, dubitare non licet: nam tempore Schiſmatis, cum non eſt certus Pontifex, perinde eſt ac ſi nullus eſſet; tumque Eccleſia, ſeu Concilium ex facultate ſibi a Chriſto tradita Pontificem eligit. Laudatus fuit Alexander ex liberalitate in pauperes, ita ut nihil ſibi reſervaret, & in fine vitæ pauperrimus deceſſerit: unde per jocum dictitabat, *ſe fuiſſe divitem Epiſcopum, pauperem Cardinalem, mendicum Papam*; uti fuerat in prima ætate: nam de ejus extractione narratur, quod ortus ex Creta (Candia dicta modo) origine non tantum aliis, verum etiam ſibi incognita, ſuos ipſe parentes ignorabat, nihilque de ſe noverat, niſi quod in prima ætate pauper emendicato pane vixiſſet, & a Religioſo Minoritano ſibi occurrente pie exceptus, literis & lingua latina inſtructus, ac Franciſcano habitu indutus, in Italiam traductus, ſtudiiſque altioribus admotus fuiſſet: in Ordine ſuo magnæ ſanctitatis & doctrinæ vir evadens, per varias dignitates ad ſupremam hanc denique pervenit, quam decem tantum menſibus & octo diebus tenuit.

Dives Epiſcopus, pauper Cardinalis, mendicus Papa: uti fuerat in prima ætate.

215. JOANNES Vigeſimustertius, dictus etiam Vigeſimusquartus, Neapolitanus:

Joannes 23. ultimus ex Joannibus.

Ultimus ex multis Joannibus iſte Joannes.

Cum in adoleſcentia Bononiæ aliquot annis juri operam dediſſet, aſſumpta doctrinæ Laurea Romam iter inſtituit: interrogatus autem ab amicis quo proficiſceretur, ad Pontificatum reſpondit. Romam itaque veniens, a Bonifacio Nono in cubiculum ſecretum recipitur: creatus deinde S. Euſtachii Cardinalis, Legatus a Latere Bononiam mittitur; quam brevi conducto milite, una cum magna Flaminiæ parte, in poteſtatem Eccleſiæ redegit. cum vero poſt annos novem, longa pace, civitatem Bononienſem mirum in modum auxiſſet, ac grandem ſibi pecuniam, & ſic poteſtatem comparaſſet; cumque Alexander prædeceſſor Bononiæ exiſtens in ægritudinem incidiſſet, convocatiſque eo Cardinalibus, iiſque ad pacem & concordiam commonitis, vita exceſſiſſet: Joannes hic, Balthaſar *Coſſa* tum dictus, ibi potius ut Dominus multo exercitu circumſeptus, quam ut Legatus Apoſtolicus agens, Cardina-

dina-

dinalibus pro novo Pontifice eligendo ibidem congregatis multa interminatus eſt, niſi Papam ſibi gratum eligerent; eaque de cauſa varii producti fuerunt: quorum neminem approbare voluit. cum autem obſecraretur, ut quem vellet, ſignificare tandem dignaretur, date mihi, inquit, Petri Chlamydem: & ego dabo Pontifici futuro; quod cum factum fuiſſet, ipſe Pallium ſuis humeris imponens, Papa, ait, ſum ego. id cum pluribus diſplicuiſſet, conſultius duxerunt eum permittere, quam hominem terribilem & armatum irritare. Coronavit hic Joannes Romæ anno 1412. Sigiſmundum Imperatorem Caroli Quarti filium. Sed cum interea ab omni Chriſtianitate, quæ tres ſimul Pontifices, Gregorium XII. Benedictum XIII. & hunc Joannem ferre non poterat, magna fieret proteſtatio: quietis publicæ & tollendi Schiſmatis cauſa, indicitur Concilium in Civitate Conſtantienſi; quo etiam venerunt Nuntii Gregorii XII. ſed Benedictus XIII. obſtinatiſſimus permanſit: cumque Joannes & Gregorius Papatui ceſſiſſent, & in Concilio depoſiti eſſent: & Joannes annis quinque Pontificem egiſſet, poſt

Cardinalis potens ſeipſum Papā creans.

Tres ſimul Pontifices.

Concil. Generale 16. Cōstantiense An. 1414.

quos adhuc fere quinque annis vixit, omnium votis legitime ſuffectus fuit in Pontificem Odo Cardinalis Columna.

216. MARTINUS Quintus, Romanus, Odo Cardinalis *Columna* ante dictus, qui in honorem ſancti Martini Epiſcopi Turonenſis, ejus feſto 11. Novembris anno 1417. electus, Martinus dici voluit Quintus, relatis duobus Marinis inter Martinos, uti ſupra in Martino Quarto narratur. qua electione Schiſma Eccleſiæ longiſſimum ſublatum fuit; quamquam non omnino ſublatum dici potuerit, quamdiu ſubſtitit Petrus de Luna, Benedictus Decimustertius, & ſucceſſor ejus Ægidius de Munio, Clemens Octavus dictus: ille autem uſque ad extremum Novembris anni 1424. dum menſe Septembri anno 1394. male aſſumptus eſſet, ultra annum trigeſimum in Pſeudo-pontificatu vixit, & mortuus eſt; unde vel ideo quod tranſiverit annos Petri, pro illegitimo habendus eſſet: nullus enim Papa, etſi juvenis electus, illos hactenus vidit: Clemens autem ei ſuccedens in ſchiſmate, uſque ad annum 1428. in eo manſit:

Pſeudo-Pontifex ultra annos Petri vivens.

ſit : quum ſuaſu Petri Cardinalis de Fuxo, ex Ordine Minorum, Legati de Latere a Martino miſſi, ſe Antipapatu abdicavit, & Epiſcopatu Majoricenſi remuneratus fuit. ſed aliter ſe geſſit Balthaſar Coſſa, Joannes 23. qui publice ad Martini pedes procumbens, lacrymabundus eum ut Pontificem verum & unicum profeſſus & veneratus eſt. ſub hoc Martino, anno 1426. a Joanne Duce Brabantiæ fundata eſt Univerſitas Lovanienſis; qui eam diplomatibus ſuis roboravit, ut videre eſt in libro Privilegiorum ejuſdem Academiæ. regnavit autem egregius hic Pontifex, *Temporum ſuorum felicitas* (ut in Epitaphio ejus legitur) annis tredecim, menſibus tribus. Notandum eſt quod Petrus ille de Luna, Pſeudo-pontifex Benedictus Decimustertius deceſſerit Peniſcholæ (latine Pen Inſula) oppido Regni Valentiæ munitiſſimo, Diœceſis Dertuſenſis, Epiſcopatus poſtea Adriani Sexti, octogenario major, uſque ad ultimum vitæ ſpiritum in ſua obſtinatione permanens: ejus cadaver ibi primo ſepultum, poſtea translatum eſt Igluecam Aragoniæ oppidum, ibique intra arcem loco profano repoſitum, in-

Fundatio Univerſit. Lovanienſis.

tegrum adhuc hodie perſeverat.

Baſileenſe CONCIL. 17. œcumenice inceptum ann. 1431. in Schiſma deſinens.

217. EUGENIUS Quartus, Venetus *Condulmerius*, Canonicus Regularis. contra hunc in Concilio Baſileenſi electus eſt Amadeus Dux Sabaudiæ, qui Ducatu in filium ſuum primogenitum translato, vitam Eremiticam ſub Regula S. Auguſtini, cum decem ejuſdem propoſiti Nobilibus, in Solitudine ducebat: unde a Concilii Patribus evocatus, Felicis Quinti nomen aſſumpſit. hincque Chriſtiana Reſpublica trifariam diviſa fuit: erant enim qui Felicem, & erant qui Eugenium ſequebantur, & qui neutrum agnoſcebant: tandem Felix poſt annos fere decem, quibus uti Pontificem ſe geſſerat, cognito errore non ſua culpa commiſſo, Nicolao Quinto Eugenii Succeſſori Pontificatum ceſſit. Rationem iſtius contra Eugenium electionis vide apud Baronii continuatorem Spondanum. Papa hic, cum magni plane animi vir eſſet, cultuſque divini, & Chriſtianæ Religionis dilatandæ præcipuus Zelator, ut ſcribit ſanctus Antoninus, multas præſumptiones, & inſidias vitæ inflictas æquanimiter & excelſo animo pertulit;

Schisma XXVI. & ultimũ.

cum-

cumque anno 1447. Principum Germaniæ Legatos, qui eum verum Pontificem, rejecto Felice, agnoſcebant, exciperet, diem clauſit extremum anno Pontificatus ſui decimoſexto (novem diebus minus) cum anno præcedenti 1446. Nicolaum Tolentinatem Sanctum declaraſſet. Epitaphium ipſius hic habes:

Memoriæ Eugenii Quarti Summi atque Optimi Pontificis: hic in pace gravis, in bello pro Chriſti Eccleſia impiger, in injuriis patiens, Religioſorum amator, ac in eruditos viros munificus: Concilii Baſileenſis inſolentiam adverſus Pontificiam Romanam poteſtatem, Concilio Florentino celebrato, refrænavit ac fregit; in quo Joannes Palæologus Græciæ Imperator, Romanum Caput agnoſcens, ejus pedibus ſe, multaſque externas & remotas Regiones humillime ſubſtravit. Congregatio Canonicorum S. Georgii in Alga Venet. Religioſiſſimo fundatori pietatis cauſa P. C.

CONCIL. 18. œcum. Florentinum anno 1438. *In quo Græci ſubjecerunt ſe Latinis, ſed ſimulate.*

Nota, quod in Concilio Florentino ſub hoc Eugenio habito, tandem eo ventum ſit, ut Græci rationibus victi faterentur, Spiritum Sanctum a Patre Filioque procede-

 re,

re, Homouſionque iis eſſe; utque in azymo pane vere Corpus Chriſti conſecrari, ac Purgatorii locum eſſe crederent: poſtremo ut faterentur, Romanum Pontificem verum Chriſti Vicarium, Petrique legitimum Succeſſorem, primum in Orbe locum tenere; cui Orientalis & Occidentalis Eccleſia merito pareret. primuſque inter Græcos veritatem Catholicam agnoſcens Beſſarion Archiepiſcopus Nicænus, ſuorum pertinaciam condemnavit, atque ad Latinos conceſſit: quam ob cauſam donatus eſt Cardinalatu, & Titulo Patriarchæ Conſtantinopolitani. Sed ſimulatum Græcorum cum Latinis in gratiam reditum, & a Catholica fide defectionem, calamitates, quas amiſſa ſub ſequenti Pontifice Conſtantinopoli, a Turcis Chriſtiani nominis hoſtibus Græci ipſi pertulerunt, ultæ ſunt.

Beſſarion Græcus, Cardinalis factus.

218. NICOLAUS Quintus, Italus Sarzanenſis, Apoſtolico Solio imponitur reluctans, & meliorem ſuadens electionem; ſed omnium votis expetitus & coronatus, victor fuit ultimi Eccleſiæ Schiſmatis: hic non originis, ſed doctrinæ ac virtutum gradibus (nam

(nam modicis ortus parentibus, patre medico chirurgo, matre annonaria) ad Pontificatus faſtigium aſcendit, uno eodem anno Epiſcopus, Cardinalis, Pontifex. cum ſcutum gentilitium proprium neſciret, ſumpſit pro inſignibus Claves Petri in ſcuto coccineo decuſſatas. Amadeum (Felicem Quintum) ſuaſu Frederici Imperatoris, Maximiliani patris, Pontificatu ſe abdicantem remuneravit Cardinalatu, & Sedis Apoſtolicæ Vicariatu, ipſumque ſecundam in Eccleſia perſonam, ac perpetuum Sabaudiæ Legatum fecit, aliaſque illi prærogativas contulit; ſed is ad antiquam ſolitudinem ſe retrahens, ſanctiſſime vixit, & mortuus eſt, ſicque ultimo Eccleſiæ ſchiſmate extincto, dicebatur: *Finis ultimi Schiſmatis.*

Lux fulſit mundo, ceſſit Felix Nicolao.

Inſtaurator literarum, & conquiſitor librorum commendatur Nicolaus; qui quinque millibus Ducatorum emerit autographum Euangelium S. Matthæi. Opera Quintiliani, Cælii Apicii, & Porphyrii in Horatium ſub ipſo inventa ſunt. Jubilæum quintum anno 1450. cum magna populi affluentia Romæ celebravit, quod *Jubilæum Quintum an. 1450.*

ſequenti anno 1451. Mechliniæ publicatum & celebratum fuit, uti patet ex inſcriptione Flandrica abſidis Chori Sancti Rumoldi:

In't Jaer M. CCCC. L. *een, vvas*
d'jaer van Jubileen hier gemeen,
doen vverdt gheſloten deſen ſteen.

Canonizatio S. Bernardini Senenſis. eodem anno Jubilæo 1450. Canonizavit Nicolaus S. Bernardinum Senenſem Franciſcanum: ac ſic de S. Antonino Florentino Dominicano tunc vivente locutus dicitur: non minus Archiepiſcopum Florentinorum Sanctorum Catalogo adhuc vivum adſcribendum putarem, quam Bernardinum mortuum. anno 1452. coronavit Romæ Fredericum Tertium Imperatorem cum uxore Eleonora Regis Luſitaniæ filia paulo ante Senis in Uxorem ducta. anno ſequenti 1453. *Conſtantinopolis amiſſa.* amiſſa Conſtantinopolis illum valde affixit, unde morbum contrahens mortem obiit anno Pontificatus Octavo; ac deinceps Orientis Imperium Græcis juſtiſſima Dei vindicta ob perfidiam ereptum, penes Turcas Chriſtiani nominis hoſtes manſit.

219. CALLISTUS Tertius, tertii anni & menſis, uti Nominis Pontifex, Hiſpanus, Alphon-

phonſus *Borgia*, antea nominatus, eligitur per acceſſum ſcrutinio; eo quod Alanus Card. Avenionenſis inclinantia in Beſſarionem Cardin. ſuffragia avertit, hæc locutus: *Latinæ Eccleſiæ Papam Græcum dabimus? & in capite libri Neophytum collocabimus? nondum barbam raſit Beſſarion, & noſtrum caput erit? quæ indigentia Eccleſiæ Latinæ, quæ virum non reperit dignum, niſi ad Græcos recurrat, aſſumatque eum qui heri & nudius tertius Fidem Romanam impugnavit? & quoniam hodie converſus eſt, magiſter noſter erit, & Chriſtiani ductor exercitus? en paupertas Eccleſiæ latinæ, quæ virum non reperit ſummo Apoſtolatu dignum, niſi ad Græcos recurrat. ſed agite Patres quod libet; ego, & qui mihi credent, in Græcum Præſulem nunquam conſentiemus*. Moverunt ea verba pleroſque adeo, ut duæ partes Collegii nulla amplius ratione ad Beſſarionem accedere vellent: & ſic Calliſtus electus fuit vir ætatis decrepitæ, annorum 77. qui etſi ante aliquot annos ſuum Papatum nonnullis prædixiſſet, nullius tamen opinionem ad ſe traxerat; quod delirare potius more ſenum exiſtimaretur: ſed fuit ejus vaticinium verax; quod a B. Vincentio Ferrerio

Recenter converſis non ita fidendum.

Prædictio Papatus per S. Vincent. Ferrer.

rio ſe habuiſſe narrabat, ſuæ nationis homine jam vita functo; quem & paulo poſt inter ſanctos Chriſti Confeſſores retulit. Papa hic ob inſignem victoriam, B. Joanne Capiſtrano Minorita Crucis vexillum Turcis inferente, obtentam, inſtituit ſolemniter celebrari Feſtum Transfigurationis Domini Noſtri Jeſu Chriſti; qua die, ſexta Auguſti, anno 1456. prælium commiſſum, & victoria reportata fuit: affirmatque Platina ab eodem eſſe compoſitum Eccleſiaſticum ejus diei Officium, cum indulgentiis iiſdem quæ conceſſæ ſunt in Solemnitate Corporis Chriſti. ab ipſo proceſſit mos pulſandi Campanam ſub meridiem; qui inſtitutus eſt ut Fideles orationibus ſuis adjuvarent eos, qui contra Turcas dimicant: ejuſque non infima laus fuit, quod cum Epiſcopus eſſet, beneficium aliud in Commendam, ut vocant, numquam habere voluit, dicens ſe unica Sponſa ſua, eaque virgine, Eccleſia Valentina contentum eſſe; uti jus Pontificium mandat. Calliſti autem nomen ab ipſo aſſumptum dicitur, ob memoriam Calliſti Secundi de Hiſpania optime meriti.

Feſtum Transfigurationis, & Officium ejus.

Pulſus campanæ ſub meridiem.

Epiſ. unica ſponſa Eccleſ. ſua contentus.

PIUS

220. PIUS Secundus, vocatus antea Æneas Silvius *Picolomineus*, in juventute nonnulla ſcripſit notæ non ita probæ, quæ poſtea Pontifex factus damnavit, dicendo inter alia: Æneam rejicite, Pium audite; quæ auctor Ephemeridum Gallicarum quarta Auguſti ita refert: *Croyez plutot un ancien, qu'un jeune, & ne faites pas plus d'etat d'un homme privè, que d'un Pape: rejettez Æneas, recevez Pius &c.* Ipſe quondam Secretarius Concilii Conſtantienſis, dein Papa pro Secretario habuit Flavium Blondum Hiſtoricum inſignem; quem adeò æſtimaverat, ut ante Pontificatum Blondi Hiſtoriam in epitomen redegerit. inter alia dicere ſolebat, Chriſtianam noſtram Religionem, etſi miraculis non eſſet approbata, honeſtate ſua recipi debere; & dignitatibus homines, non dignitates hominibus dandas eſſe. ipſe B. Catharinam Senenſem concivem ſuam Sanctarum Virginum numero addidit. Caput ſancti Andreæ Romam Amalphi allatum, ex Amalphitanis Ducibus ipſe oriundus, in Baſilica S. Petri, cum maxima Cleri ac populi veneratione, in Sacello ad id ſum-

Papa quæ in juventute ſcripſerat damnat.

Flav. Blondus hiſtoric.

Canonizat. S. Cathar. Senenſis.

ſumptuoſe fabricato collocavit: fuit Italus Senenſis, annorum prope ſex, diebus quatuor minus, brevis Pontificatus, ſed ingentis gloriæ Pontifex.

221. PAULUS Secundus, ſtatuit Jubilæum, a Bonifacio Octavo centeſimo quoque anno primo inſtitutum, a Clemente Sexto ad quinquageſimum reductum, ab Urbano Sexto ad trigeſimum-tertium, a Nicolao Quinto iterum ad quinquageſimum; deinceps ſingulis vicenis quinis annis celebrari, incipiendo a proximo ſeptuageſimo-quinto, anno 1475. quod tamen ipſe morte præventus non celebravit, ſed ſucceſſor ejus Xyſtus. Cum margaritis rebuſque pretioſis, utpote Mercator ante Pontificatum, mirum in modum delectaretur, Regnum ſeu Mitram Pontificiam gemmis pretioſiſſimis exornavit. Cardinalibus præter veſtem coccineam, pannum ejuſdem coloris, quo equos ſternerent, aſſignavit. cumque Mercaturæ tantum deditus litteris parum inſtructus eſſet, litteratos omnes Abbreviaturæ Officiales a Pio Deceſſore literatiſſimo Pontifice inſtitutos expunxit:

Jubilæum vigeſimo-quinto anno celebrandum.

Regnum ſeu mitra Pont.

Cardinales toti purpurati.

xit : ex quibus Platina Hiſtoriæ Pontificiæ & aliorum operum ſcriptor , apologia ſatis aculeata ſe defendens , ab ipſo carceri mancipatur , unde non niſi poſt mortem a Xyſto ſucceſſore liberatus fuit : cui Hiſtoriam ſuam Pontificiam dedicavit , qui in vita Pauli hujus refert , eum ſtudia humanitatis ſic odiſſe , ut ejus ſtudioſos uno nomine Hæreticos appellaret , parentibus ſuadere ſolitus (quod etiam Brevi Apoſtolico publicaſſe dicitur) ſatis eſſe liberos inſtruere , ut legere & ſcribere ſcirent, altiora ſtudia non neceſſaria , nec utilia eſſe , niſi ad hæreſes procreandas . nec mirum ſi literatos oderat, qui literis parum inſtructus eſſet ; nam exiſtens Mercator , cum audiſſet Avunculum ſuum Eugenium Quartum factum eſſe Pontificem , illico Romam venit , & aſſumpto præceptore , qui parvo tempore illum latine inſtruxit, factus Cardinalis , fit deinde Pontifex. fuit Venetus , uti Avunculus , Petrus *Barbus* antea dictus , annoſque fere ſeptem , etiam abſque magna doctrina , non male regnavit.

Pontifex illiteratus , non mirum ſi literatos oderat .

XYSTUS

222. XYSTUS Quartus, Italus, *Rovereus*, humili loco natus in Liguriæ pago mari vicino, patre piſcatore, quocum piſcaturam aliquamdiu exercuit; factus deinde Minorita, ac Generalis eorum Miniſter; tandem Papa per annos tredecim; omnes Religioſos Mendicantes ad æmulationem evitandam, in gratiis & privilegiis cenſuit eſſe æquales. inter alia præclara opera, ſcripſit librum de Immaculata B. M. V. Conceptione, quod feſtum cum hinc inde ex devotione celebraretur, inſtituit univerſale per totam Eccleſiam: & Dominicanis, qui jurant in verba Magiſtri ſui ſancti Thomæ, de ea cum Franciſcanis altercari interdixit. Officium Præſentationis ejuſdem, SS. Joachim & Annæ, Joſephi, item Franciſci, Breviario inſeruit. Conſtitutionem Paulinam de Jubilæi ad annum vigeſimum-quintum reductione confirmavit, & anno 1475. ſolemniter celebravit. Regulam & Ordinem Minimorum S. Franciſci de Paula approbavit. Sanctum Bonaventuram, qui ab annis ducentis obierat, quo tardius, eo glorioſius canonizavit. Artis Typographicæ paulo ante a quodam Bel-

Papa piſcator, & piſcatoris filius.

Mendicantes in privileg. æquales.

Feſtum Cōceptioni B. M. Virginis.

Officia Præſentationis ejuſdē, SS. Joachim & Anna ac Joſephi & Fran. Brev. inſerta.

Ordo Minimorum.

Canonizat. S. Bonav.

Ars Typographica.

Belga Hollando Harlemenſi, Laurentio Coſtero inventæ ſpecimen primi in Italia opifices Conradus Svvynhem, & Arnoldus Pannarts huic Xyſto anno Pontificatus primo, Chriſti 1472. per libellum ſupplicem exhibuere: in quo inter alios typis excuſos ab illis libros, ſic narratur: *Donati pro Puerulis (ut inde principium dicendi ſumamus, unde imprimendi initium ſumpſimus) numero trecenti. Lactantii Firmiani Inſtitutionum contra Gentiles volumina 825. Epiſtolarum familiarium Ciceronis volumina 550. & cæteri libri, qui typis excuſi primum Romæ viſi ſunt.*

223. INNOCENTIUS Octavus, Novi Orbis (ut Epitaphium ipſius habet) ſuo ævo inventi gloria. Titulum Catholici, quondam Hiſpaniæ Regi Suintillæ ab Honorio Primo delatum, & propter Mauros, qui per octingentos fere annos Hiſpaniam occupaverant, intermiſſum, Ferdinando Caſtellæ Regi retribuit: qui Titulus, ut eſſet proprius & hæreditarius Hiſpaniæ Regibus Alexander ſucceſſor decrevit. ad Innocentium hunc delatum eſt Ferrum Lanceæ, quo Chriſti Latus per-

Novus Orbis inventus.

Titulus Catholici Hiſpaniæ Regi retributus.

Ferrū Lancea, & Titulus S. Crucis repertus. perfoſſum fuit, dono Bajazetis Turcarum Imperatoris; ipſoque Pontifice inventus fuit Titulus S. Crucis Romæ in Baſilica ejuſdem S. Crucis, in parva feneſtrâ, plumbea theca muro lateritio incluſus, in altiore parte teſtudinis. permiſit Norvvegis Sacramentum conficere ſub una ſpecie Panis, propter vini in illis partibus penuriam; & quod, ubi eo advectum fuerit, mox aceſcat. D. Leopoldum Auſtriacum in Canonem Sanctorum retulit. fuit Italus Genuenſis, *ex Ciborum domo*, annorum octo, uti nominis, Pontifex. Pontus Heuterus de Libera hominis nativitate, eum quartum inter Pontifices illegitimo thoro natum affert: deque ipſius incontinentia etiam orthodoxi auctores nonnihil ſcribunt.

ANNO CHRISTI 1500.

224. ALEXANDER Sextus, Jubilæum Septimum ab inſtitutione Bonifacii Octavi, ſed ſecundum vigintiquinque annorum celebravit anno ſæculari

Jubilæum 7. 1500. quo deinceps ſpatio ordinaria Jubilæa celebrata fuerunt.

Præcones Euangelii in novum Orbē miſſi. Præcones Euangelii in inſulas Novi Orbis, a Chriſtophoro Columbo detectas, mittendos curavit.

vit. inſtituit Hiſpanicam Inquiſitionem hæreticæ pravitatis. de hoc Pontifice dicitur, quod vitia ipſius æquabant virtutes; de quibus tacere, quam multum loqui præſtat: quomodo extinctus ſit, videatur Auctarium Onuphrii ad Platinam: fuit ipſe tertius & ultimus Pontifex Hiſpanus, Valentinus, *Lenzolius*, Calliſti Tertii ex fratre nepos, anniſque fere duodecim dominatus eſt. *Inquiſitio Hiſpanica.*

225. PIUS Tertius Senenſis, Pii Secundi ex Sorore Laodamia nepos, natus patre Nanno *Tudeſchino*, opulentiſſimo homine Senenſi; nomen & inſignia avunculi ſemper uſurpavit: cum conſecraretur in Pontificem, fleviſſe dicitur ad hæc Coronationis verba, cum ſtuppa incenſa depromi ſolita: *Sanctiſſime Pater ſic tranſit gloria mundi*; quod reapſe expertus eſt, nam vigeſimo ſexto Pontificatus die obiit. *Papa flens in Coronatione infra menſem mortuus.*

226. JULIUS Secundus Italus Savonenſis, novem annorum generoſiſſimus Pontifex, Xyſti Quarti ex fratre nepos, olim Novitius Minoritanus. contra prædeceſſorum conſuetudinem (u-

Pontifices anteriores barba raſa, poſteriores promiſſa.

ti in antiquis Pontificum Imaginibus apparet, qui barba raſa fere pinguntur) Barbam promiſſam alere cæpit, ad majorem intuentibus reverentiam incutiendam: idque ſucceſſores paſſim imitati ſunt; præter Leonem Decimum, qui juvenis electus, juvenili; & Adrianum Sextum, qui Belga, Belgico more ſe tonderi juſſerunt. anno 1509. Maximilianum Imperatorem in Italiam invitavit, ad opem ferendam contra Venetos, cum quibus dein Julius fœdus iniens, bellum Imperatori indixit; ita ut Maximilianus coronatus nunquam fuerit. Vir fuit Julius excelſi animi, quaſi alter Julius Cæſar quondam Romanæ, ſic ipſe Chriſtianæ ditionis intrepidus aſſertor, bellicoſus ultra morem prædeceſſorum, quos clavibus Petri ſatis uſos fuiſſe dicebat; jamq; ſibi aſſumendum eſſe enſem Pauli; objicientibus autem dictum a Chriſto fuiſſe Petro: *Mitte gladium tuum in vaginam*; reſpondebat, id imperatum ipſi fuiſſe poſt factam percuſſionem: quod autem referatur claves Petri in Tiberim projeciſſe, id emblematice, per Paſquillam (ut vocant) de ipſo, compoſitum eſſe exiſtimo. Auctor quidam

Papa bellator.

Hiſpa-

Hiſpanus hoc modo narrat: *Eſte Julio ſaliendo una vez de Roma con ſu exercito, arrojò la llave de San Pedro en el rio Tiber, diziendo: pues que la llave de San Pedro ya no vale, valga la eſpada de San Paulo; y aſſi arrancò la eſpada de la vaijna; porque como buen Capitan, levava ſu eſpada al lado.*

227. LEO Decimus, Florentinus ex familia *Medicea*, annorum dumtaxat triginta, aliis 37. dum Pontifex eligeretur. Novi Pontificis electionem expectanti populo, Cardinalis de more ex Conclavis feneſtra renuncians ait: Pontificem habemus Leonem Decimum, valeant vigeantque Juniores. anno 1513. Aprilis die 11. feſto S. Leonis Papæ coronatur. ſub ipſo Lutherus contra Indulgentias Pontificias debacchari cœpit, cujus libros Papa Romæ comburi juſſit. Lutherus autem, ut ſe ulciſceretur, Jus Pontificium, ſive Canonicum publice in Germania cremari fecit. B. Franciſcum de Paula Minimorum inſtitutorem, qui ipſi adhuc puero Pontificatum prædixerat, Canoni Sanctorum adſcripſit. ſub ipſo Concilium Generale 19. Lateranenſe

Libri Lutheri Romæ combuſti.

Canonizatio S. Franciſci de Paula.

5. an-

CONCIL. GENERA. 19. LATERANENSE 5.

5. anno 1512. ſub Julio Secundo paulo ante mortem incœptum anno 1517. abſolutum eſt. obiiſſe dicitur Leo dumtaxat quadragenarius, cum annos octo, & menſes fere novem ſediſſet; idque ex nimio concepto gaudio de Gallorum e Ducatu Mediolanenſi expulſione. dedit hic titulum Defenſoris Fidei Henrico Octavo Angliæ Regi, quia Lutherum gladio & calamo impugnaverat; qui poſtmodum fidei Catholicæ deſtructor, & auctor fuit Schiſmatis Anglicani hodie perdurantis. Ut populus Chriſtianus ad majorem in dies Dei Matris cultum incitetur, mille dies Indulgentiarum iis conceſſit, qui ſingulis horis ſonante horologio, Salutationem Angelicam ſemel in memoriam horæ myſteriique Incarnationis devote recitaverint: quod & Paulus Quintus noſtro ſæculo confirmavit. Ephemerides Gallicæ, decima Decemb. de ipſo narrant: *Si ce Pape avoit des vertus, il avoit auſſibien des vices: car il ne peut eſtre excusè de s' eſtre adonnè au Luxe, aux Banquetes, a la Muſique, & a la chaſſe avec exces. un de ſes flateurs l'at honore de cet Epitaphe:*

Rex Angliæ Fidei defenſor, poſt deſtructor.

Ave Maria ſonante horologio.

Deli-

Deliciæ humani generis Leo Maxime tecum
Ut ſimul illuxere, interiere ſimul.

228. ADRIANUS Sextus, unicus inter Pontifices Belga, nomen ſuum Baptiſmale Adrianus, Pontifex factus, retinuit: natus Ultrajecti Patre Naupego, uti Bibliotheca Belgica narrat; Lovanii donatus Laurea Doctorali in Theologia, ejuſdem dein Profeſſor, ac Divi Petri Canonicus, Capituli ſuffragiis electus eſt Decanus, & Academiæ eo titulo Procancellarius, Collegium ſub Adriani Florentii nomine, quo ipſe tum vocabatur, fundavit, ipſo dein Pontifice, Pontificium vocatum. non abſimilis fuit Adriano, & Clementi Quartis, qui dicere ſolebant, ſe plus Deo quam carni & ſanguini debere: & indignum Petri Succeſſorem eſſe, qui plus cognationi quam Chriſto tribueret; ſic Adrianus hic ædificare Sion in ſanguinibus nolebat, hoc eſt in Sacris reſpicere neceſſitudinem naturæ, quæ ibi locum non haberet: hinc difficulter cognatos ad beneficia promovebat. unum dumtaxat eum-

Papa filius Naupegi.

Collegium Pontificium Lovanii.

Papa nolēs ædificare Siō in ſanguinibus.

M que

que non conſanguineum, Cardinalem creavit, virum Belgam, in difficillimis negotiis olim probatum, Guilielmum ab Enckevoordt Campinienſem Brabantum; nulloſque præterea Cardinales creaſſe memoratur. SS. Bennonem Epiſcopum Miſnienſem in Germania, & Antoninum Florentinum in Italia, Divorum albo inſcripſit. Legatus a Ferdinando Caroli Quinti fratre ex Germania miſſus ad Papam, quod in apparandis auxiliaribus copiis adverſus Solymannum, qui Inſulam Rhodum primo Pontificatus anno, die Natalis Domini occupavit, & adverſus Lutheranos multum increſcentes tardius procederet; ſic eum liberius affatus dicitur: Sanctiſſime Pater Fabius Maximus rem Romanam cunctando quondam reſtituit; tu cunctando perditurus nunc videris. Sed bonus Pontifex non habebat quibuſcum ex animo conſultaret, utpote novus Romæ hoſpes: hinc non mirum, ſi nihil in vita ſibi infelicius duxit, quam quod regnavit: uti Epitaphium ipſius habet. regnum autem ipſius uno tantum anno, & octo menſibus duravit.

Canon. SS. Bennonis & Antonini.

CLE-

229. CLEMENS Septimus, anno 1525. celebravit Jubilæum octavum a prima inſtitutione, & tertium annorum viginti quinque. Henricum Octavum Angliæ Regem, ob divortium, Pontifice non approbante, ab ipſo factum, poſt diu fruſtra expectatam reſipiſcentiam, publice anathematizavit, Rexque contra Anglicanæ Eccleſiæ caput ſe conſtituit, pœna capitali in eos ſtatuta, qui Pontificem Romanum agnoſcerent; ſibique eo titulo Sacerdotiorum Decimas & Annatas perſolvi juſſit: qui antea ſtricto adverſus Lutherum gladio & calamo, a Leone Decimo inſignem Defenſoris Fidei Titulum meruerat. Carolus Quintus Imperator, rebus cum Clemente compoſitis, quas Borbonius in direptione Romæ multum turbaverat, Bononiæ in Italia a Pontifice ſolemniter introductus & coronatus fuit anno 1530. die feſto S. Mathiæ Carolo natali; quæ ſolemnitas imaginibus Laminis æreis inciſa extat: poſt quem nullus Imperator a Romano Pontifice coronatus legitur. fuit Clemens Florentinus ex domo *Medicea*, Juliani de Medicis filius

Jubilæum 8.

SCHISMA Anglicanū.

Coronatio Caroli V. Imperatoris.

M 2 natu-

naturalis, Leonis Decimi conſobrinus. Ciaconius Patruelem vocat, ſive cognatum germanum a parte patris; annoſque fere undecim regnavit.

230. PAULUS Tertius Romanus, Alexander *Farneſius* antea nominatus, Patruus & Patrinus Alexandri Farneſii, Principis Parmenſis, Belgii Gubernatoris: anno 1545. inchoavit Concilium Tridentinum, quod aliquoties intermiſſum, finem tandem cepit anno 1563. Confirmavit Societatem Jeſu anno 1540; & 1544. Congregationem Urſulinarum, quæ ſimiles fere ſunt Jeſuitis, in inſtitutione juventutis fœmininæ: Carolum Quintum Maximum dixit, ſecundum hoc Diſtichon:

Inchoatio CONCIL. TRID. 20. œcum.

Confirmatio Jeſuitarum, & Urſulinarum.

Cum fuerit Carolus Magnus; tu Carole Magnus
Eſſe nequis, Carolus Maximus, inquit, eris.

Morti proximus, jam ſpiritum extremum redditurus dicebat, maluiſſe ſe culinæ fratrum Capucinorum tota vita inſerviiſſe, quam Papam fuiſſe: eamque dignitatem annis quindecim poſſedit.

JU-

231. JULIUS Tertius, Italus Aretinus, *de Monte*, Jubilæum, a prima Bonifacii Octavi inſtitutione, Nonum celebravit anno 1550. ſeditque vitæ quietæ & hilaris æmulus annos quinque, dies 47. multa in utramque partem ipſi tribuuntur, quod liberalis, affabilis, facetuſque foret, ad iram præceps, ad placabilitatem facilis: quod vero depoſita graviorum rerum cura, nonnihil indormiſceret, effuſiuſque voluptati ſe traderet, ac interdum dicacitati, quæ ad ſcurrilitatem pene declinaret, ejus gloriam nonnihil offuſcat; diſſimilis Julio Secundo, ille negotioſus, hic otioſus nimis: procul uterque a Julio Primo, qui otium ſuum contra Arianos aliter impendit. *Jubilæum 9.*

232. MARCELLUS Secundus, ex Monte Politiano, *Cervinus*, Roberti Cardinalis Bellarmini avunculus; nomen baptiſmale in Pontificatu retinuit, dictus antea Marcellus Cervinus: magnæ vir integritatis ac expectationis; qui Pontifex factus, mox Curiam Apoſt. conſanguineis ſuis interdixit, duorumque Nepotum *Papa conſanguineos*

Palatio Apoſt. excludens. Romæ exiſtentium viſitationes congratulatorias admittere noluit, ipſoſque a nemine adiri voluit; & rogatus ab amicis, ut illos in Palatium admitteret; quid illis cum Palatio, inquit? idne Patrimonium ipſorum eſſe judicatis? dum multa de ipſo ſibi promittit Eccleſia, vigeſimo ſecundo Pontificatus ſui die, ſublatus eſt apoplexia; Sedeſque Petri a morte ipſius totidem diebus vacavit.

233. PAULUS Quartus, Italus Neapolitanus, Joannes Petrus *Carafa* antea dictus: uti nominis, ita anni quarti, & menſis tertii Pontifex, inſtituit S. Inquiſitionis Tribunal; & ne quis hæreticus error piorum mentibus obreperet, Indicem librorum prohibitorum publicavit. Judæos in locum ſingularem coegit, eorum uſuras coercuit, eoſque pileo croceo, quo a reliquis internoſci poſſent, uti voluit (hinc Teutonice vocantur *de Roey Joden*). exiſtens ante Pontificatum Epiſcopus Theatinus, Clericorum Theatinorum præcipuus auctor & alumnus fuit. Cum ipſo S. Ignatius Societatis Jeſu Fundator familiariter Venetiis egiſſe, & de ſacro quem uterque in-

Tribunal S. Inquiſitionis.

Index libr. prohibitorum.

De Roey Joden.

Theatinorum & Jeſuitarum

inſtituerat Ordine interdum contuliſſe refertur: nec familiarem modo uſum, ſed & aliquid diſſidii interceſſiſſe; eo quod Theatinus hic Epiſcopus ſemper optaverit ex gemina hac congregatione, quæ ita invicem habitum referrent, unam confici: unde adhuc in Hiſpania & alibi Jeſuitæ paſſim Theatini dicuntur. quo poſtmodum ad ſummum Pontificatum evecto, Ignatius cœptis ſuis moram injiciendam vehementer timuit; nec ſine cauſa: nam quod ante Pontificatum fieri optaverat, ut ex utroque Ordine unus conflaretur, factus Pontifex ab ea mente deductus non erat; ſed cauſæ cognitionem Cardinali Alexandrino (qui poſtea Pius Quintus fuit) demandavit: atque interea uſus ſuprema in omnes Ordines auctoritate, Clericis Societatis Jeſu pſallendi in Choro conſuetudinem graviter ſevereque injunxit; & parendum reverenter ab ipſis in præſens fuit ſummæ in terris poteſtati; ipſis quotidie ante cænam Litanias omnium Sanctorum (quod etiamnum faciunt) devote recitantibus, donec per mortem mandantis Pontificis ea juſſio, Cardinalis Commiſſarii judicio, expiraret; *unus fere Ordo.*

Novi in Belgio Epiſcopatus. Sub hoc Paulo Quarto anno 1559. Belgarum Urbes, in quibus ſacræ novorum Antiſtitum Cathedræ figerentur, diſtinctæ ſunt numero quatuordecim, additæque ad quatuor antiquas Cameracum, Ultrajectum, Tornacum, Atrebatum: ac tres earum Archiepiſcopatus prærogativa exornatæ fuerunt, videlicet Cameracum, Ultrajectum, atque Mechlinia; hancque cæteris præferri placuit rogatu Regis, qui Urbem in media ſitam Brabantia, Bruxellæque, atque adeo Principi proximam, deſtinavit Antonio Perenotto Granvellano, ex Atrebatenſi Eccleſia idcirco ad eam tranſlato, quod non procul a Regia hominem abeſſe e re publica videretur: primumque Mechliniæ Archiepiſcopum Granvellanum Papa hic Cardinalatus titulo exornavit.

234. PIUS Quartus, Italus Mediolanenſis, de Familia *Medicea*, Avunculus S. Caroli Borromæi: ſub ipſo Concilium Tridentinum per annos octodecim protractum, tandem finem, & ab ipſo confirmationem accepit. Montes Pietatis nomine erexit, populo rebus in arctis pro ſolamine.

Concilium Tridentinum abſolutum.

Montes pietatis.

Præ-

Præcedentiam Legato, ſeu Oratori Regis Galliæ, non obſtante publica obteſtatione Hiſpani, adjudicavit: cum tamen Rex Hiſpaniæ Suintilla, prius Catholicus ab Honorio Primo, anno Chriſti 637. quam Carolus Martellus (non Rex, ſed cui a Gallis Regnum Galliæ offerebatur) Chriſtianiſſimus a Gregorio Tertio, anno 740. fuerit nominatus. fuit Pius Quartus annis quinque, & tribus fere menſibus Pontifex.

Legati Hiſp. & Galli præcedentia.

235. PIUS Quintus, Italus in Lombardia ſive Liguria, Boſchi prope Alexandriam (unde Cardinalis Alexandrinus dictus fuit) ſtirpe quondam Senatoria Bononienſi, *Ghisleria* dicta, ſed deinde minorata, patre Opilione naſcitur anno 1505. die 17. Januarii, Divo Antonio ſacra; unde Antonius in Baptiſmo, deinde in Ordine Prædicatorum Michael vocatus; tandem poſt præclara doctrinæ & virtutum documenta ad ſummum Pontificatum nolens & recuſans aſſumptus, ait: factus primum Dominicanus cœpi de ſalute mea ſperare, dein Cardinalis dubitare, nunc factus Papa plane deſperare. cumque ab electione

Optimus Papa ſuam ſalutem vix ſperans.

ſua timere Romanos ſubaudiviſſet, quod eſſet vir (ut Epitaphium ipſius habet) Religionis ac pudicitiæ vindex, recti ac juſti aſſertor, morumque & diſciplinæ reſtaurator: fidamus, inquit, Deo, quo auctore ita nos geremus, ut gravior Romanis noſtræ mortis, quam electionis ſit mœror: quare Pii nomen ſuadente maxime Sancto Carolo Borromæo aſſumpſit, cujus avunculus Deceſſor Pontifex idem nomen habuerat. inter alia ordinavit in fine Miſſæ, a Sacerdotibus dici Euangelium S. Joannis (quod antea, non ex mandato, hinc inde dicebatur) quia eſt veluti compendium Myſteriorum principalium Fidei noſtræ, Sanctiſſimæ Trinitatis, Creationis mundi, Incarnationis Chriſti; quæ profitetur tunc Sacerdos ſuo, & totius Eccleſiæ nomine: & ab illo tempore quo Euangelium hoc in uſu eſſe cœpit, Magi, & Sagæ, Incubi, & Lemures repreſſi multum ſunt. ſub hoc Pontifice contigit memorabilis illa victoria Joannis Auſtriaci contra Turcas 7. Octobris anno 1571. cujus memoria Dominica prima hujus menſis annuæ celebratur. Breviarium, & Miſſale Romanum, ac libros Ritua-

Euangelium S. Joannis in fine Miſſæ bonum contra faſcinationes.

Victoria J. Auſtriaci cõtra Turc.

Emendatio Breviarii ac Miſſalis.

tuales ad Concilii Tridentini Ordinationem emendatos promulgavit. Calculi dolores patientiſſime ſuſtinens, hac repetita ſæpius voce, Domine adde dolorem, dummodo addas patientiam, ſanctiſſime obiit Kalendis Maii 1572. Pontificatus anno ſexto, menſe fere quarto: Beatus dictus a Clemente Decimo anno 1672, eodem die, quo præcedenti ſeculo obierat; a Clemente deinde XI. Canonizatus.

236. GREGORIUS Decimus-tertius, Italus Bononienſis, annorum totidem quoti Nominis Pontifex, Jubilæum decimum, advenarum commodis luculenter apparatis, anno 1575. celebravit. Kalendarium variis erroribus obnoxium, ac labantem feſtorum rationem juxta veterem Nicænæ Synodi rationem reſtituit, demptis e Menſe Octobri anno 1582. decem diebus, & æquinoctio verno deinceps vigeſimo primo Martii aſſignato, Epactiſque ad lunæ mutationes deſignandas, in Aurei Numeri locum ſubſtitutis; editis inſuper hac de re regulis perpetuo duraturis. Notabile eſt quod Mimus quidam ad menſam Philippi Secundi Hiſpaniarum Re-

Jubilæum decimum

Kalendarium reformatum Gregorianum dictum.

gis Divinum agere volens, atque contemplans, inter alios accumbentes, Hugonem Boncompagnum tunc Nuntium Apoſtolicum, & Minoritam Perretum, atque Protonotarium Sfondratum, ait Regi: Majeſtas veſtra accumbit cum tribus Papis; & ſingulos demonſtrabat ſecundum ordinem promotionis ad Papatum: nam *Boncompagnus* fuit hic Gregorius XIII. *Perretus* Xyſtus V. *Sfondratus* Gregorius XIV.

237. XYSTUS Quintus, Italus Picenus, annorum quinque, menſium quatuor Pontifex, humili parentela, patre villico manuum labore victitante, imo ſubulco, ſive porcario natus, diem Mercurii fauſtum habuit, quo ipſe in lucem editus, Ordini Minorum adſcriptus, Generalatu donatus, Epiſcopus conſecratus, Purpura Cardinalitia adornatus, Põtificatu tandem ſublimatus fuit.

Biblia vulg. Vulgatam Bibliorum editionem incredibili ſtudio ad nativam reduci puritatem, typiſque Vaticanis edi juſſit. *S. Didacus canonizatus.* B. Didacum Minoritam Hiſpanum in Canonem Sanctorum retulit: *Feſta SS. Ant. Pa-* degit: Feſta SS. Antonii a Padua, & Nicolai de Tolentino duplicia

vo-

voluit, quæ deinde ſemiduplicia; tandem a Clemente Decimo duplicia iterum facta ſunt. utque Pius Quintus S. Thomam Aquinatem, ita Xyſtus hic S. Bonaventuram, Eccleſiæ Doctoribus addidit. Feſtum Præſentationis B. Mariæ a Græcis pridem obſervatum, uti patet ex eorum Menologio, a Pio & Paulo Secundis, vel, ut alii, a Xyſto Quarto ad libitum indictum, & hinc inde tantum obſervatum, per totam Eccleſiam celebrari juſſit. Fabricam S. Petri promovit; & tholum, qui vulgo Cupula dicitur, & nunquam abſolvendus putabatur, deſudantibus in eo quotidie ſexcentis operariis abſolvit. Obeliſcum altitudinis 72. pedum in platea S. Petri erexit: erectaque ipſi fuit in Capitolio ſtatua ærea hac inſcriptione: *Xyſto Quinto Pont. Max. ob quietem publicam, compreſſa ſicariorum exulumque licentia, reſtitutam: Annonæ inopiam ſublevatam, Urbem ædificiis, viis, aquæductu illuſtratam*, S. P. Q. R.

duæ, & Nicolai Tolēt. dup.

Feſtū Præſentat. B. M. de mandato.

Cupula S. Petri perfec.

238. URBANUS Septimus, Civis Romanus; ideoque Urbanus vocari volens, ut ſe in Urbe, & Urbis utilitati natum oſten-

oſtenderet: aſſumptionem ad Papatum ei Xyſtus anteceſſor prædixit; dum enim cum illo menſæ accumberet, & inter bellaria pyra inferrentur; ipſe unum aut alterum diviſit; quæ cum putrida comperiiſſet, jocabundus, *en*, ait, *poſthac Pyra faſtidio erunt, & Caſtaneæ in deliciis*; Pyrorum nomine ſeipſum, qui *Felix Perretus* ante vocabatur, per Caſtaneas Urbanum hunc, qui tunc Cardinalis *Caſtagneus* erat, deſignans. ſed ante coronationem, duodecimo ab electione die, objit.

Papa ante coronationẽ mortuus,

239. GREGORIUS Decimus-quartus, Mediolanenſis de familia *Sfondrata*, anno 1590. Decembris die octava, Immaculatæ Virginis Conceptioni ſacra, coronatus fuit ab Andrea Cardinali Auſtriaco, Epiſcopo Conſtantienſi, S. R. E. Archidiacono, Belgii Gubernatore. Jubilæum extraordinarium pro felici ſui Pontificatus inauguratione indixit. Purpureos pileos Cardinalibus, qui ex Regulari profeſſione, ſive Clauſtris aſſumpti erant, & nigris antehac utebantur, conceſſit: in Quadrageſima eſum carnis pauperibus in publica inopia, her-

Card. Andreas Auſtri.
Jub. extraordinarium, An. 1590.
Pilei rubri Cardinalibus Regularibus dati.

herbis more pecudum veſcentibus indulſit. anathematizavit ſponſiones quaſcunque de Pontificis morte aut electione. obiit menſe & die ſui Pontificatus decimo.

240. INNOCENTIUS Nonus, Bononienſis, *Fachinettus*, ſummæ integritatis & experientiæ vir, præcedenti electione acceptabilis, nunc extemplo acceptatur: ejuſque electio brevior ac tranquillior fuit, quod jam antea in ipſa Gregorii Creatione non pauci ex Cardinalibus ei fuerant ſuffragati; etiam ab Andrea Cardinali Auſtriaco Pontificiæ dignitatis inſignibus decoratur: mox ipſe animum laxandæ annonæ adjiciens, rerum pretia imminuit; & quadraginta aureorum millia mutuo accepit, ne aurum quod in Adriani mole aſſervatur attingeret; quoniam Reipublicæ expedire dicebat, ut in ærario Pontificio magnum aliquod auri pondus ad graviora incommoda, & duriora tempora reconditum & intactum ſervaretur: ſed alta mente res maximas meditatus, poſt duos menſes, unumque diem obiit: ita ut ſpatio unius fere anni, Roma tres ſibi legi-

Theſaurus in mole Adriani.

legitime ſuccedentes Pontifices viderit.

ANNO CHRISTI 1600.

Jubilæum undecimũ.

241. CLEMENS Octavus, anno ſæculari 1600. ſolemniſſimum celebrans Jubilæum, affluentibus undique peregrinis, liberalitatis & humilitatis opera impendit, pecuniis eos ſublevando, pedes lavando, accumbentibus miniſtrando, Confeſſiones audiendo, Cardinales, alioſque Prælatos ad hujuſmodi pietatis opera præſtanda, verbo & exemplo egregie invitando: ita ut non pauci ex hæreticis, qui Romam ſpectatum venerant, hiſce exemplis viſis, Eccleſiæ Catholicæ ſe addixerint. duos ex Ordine Prædicatorum Hyacinthum Polonum, & Raymundum de Pennafort Sanctorum Albo inſeruit. decreto expreſſo prohibuit ne in Eccleſiis, vel ſupplicationibus aliæ cantentur Litaniæ, quam omnium Sanctorum, & B. Virginis Lauretanæ. quod autem PP. Oratorii cantent publice Litanias Domini Jeſu, & Infantiæ ejuſdem; exiſtimo illos ſpecialem habere licentiam. fuit Clemens Italus Florentinus, Hippolytus *Aldrobrandinus* antea dictus, annis tredecim Pontifex, qui tanquam Janus finem præ-

SS. Raymundus & Hyacinthus canonizati.

Litaniæ omnium SS. & Lauretanæ tantum cantandæ.

præcedentis, & principium ſequentis ſæculi conſpexit.

242. LEO Undecimus. huic Florentino *Mediceo*, Sancta Maria Magdalena de Pazzis Florentina Papatum prædixit: ſed ex morbo in cæremoniis inaugurationis concepto, vigeſimoquinto Papatus die obiit. *Pontifex 25. dierum.*

243. PAULUS Quintus, Controverſiam de gratia & libero arbitrio inter Dominicanos & Ignatianos compreſſit: ſic, ut quiſque a parte ſua ſtaret, ſine damnatione adverſæ ſententiæ. *Controv. de Gratia, & libero Arbit.* Franciſcam Romanam Nobilem Viduam, & Carolum Cardinalem Borromæum Sanctis adſcripſit. Ignatium Lojolam Societatis Jeſu Fundatorem Beatum, Gregorius ſucceſſor Sanctum dixit: *SS. Franciſca Romana, & Caroli Borromæi Canonizat.* feſtum Impreſſionis Stigmatum in Corpore B. Franciſci, ut Fidelium corda in Chriſti Crucifixi accenderentur amorem, inter Franciſcanos prius celebratum, ad univerſam Eccleſiam pro libitu propagavit, & Clemens Decimus de mandato. *Feſtum Stigmatum S. Franciſci ab univerſa Eccleſia cultum.* Inſtituit Communionem Generalem, quæ ſingulis menſibus in Eccleſiis Societatis Jeſu frequentatur. *Communio Generalis.*

fuit

fuit Romanus, *Burgheſius*, annis ſedecim (ſeſquimenſe minus) Papa.

244. GREGORIUS Decimusquintus Italus Bononienſis, *Ludoviſius*, annorum duorum Pontifex, quinque Sanctos, Iſidorum, Ignatium, Xaverium, Tereſiam, Hiſpanos quatuor, unum Italum, Philippum Nerium, Romæ eo die canonizavit, quo Bruxellæ fiebant ſolemniſſimæ exequiæ Sereniſſimi Belgarum Principis Alberti Auſtriaci, 12. Martii 1622. Ad ſupprimenda diſſidia Electioni Papali irrepentia, novam de forma, qua deinceps fieri debeat, conſtitutionem edidit; Miſſiones de Fide propaganda induxit: vetuit ne in privatis ſermonibus & ſcriptis, Diva Virgo in peccato Originali aſſeratur concepta; & ne alio nomine in Officio & Miſſa, quam Conceptionis quis utatur. indixit feſta Sanctorum Joſephi, Joachim, & Annæ, a Xyſto Quarto inſtituta, dein intermiſſa; item Brunonis, & Birgittæ.

Canoniz. 5. Sanctorum, 12. Martii 1622.

Miſſiones de fide propag. B. M. Virginis Conceptionem impugnare non licet.

245. URBANUS Octavus, anno 1625. Ordinarium celebravit Jubilæum duodecimum: anno autem 1628. extraordinarium in-

Jubilæũ 12. ordinarium 1625. extraordin. anno 1628.

indixit, ad res inter Principes Chriſtianos componendas, qui dimicabant in diverſis Europæ partibus. anno 1629. Andream Corſinum ex Carmelita Epiſcopum Feſulanum, Sanctum pronunciavit. exemit Regulares a facienda Confeſſione deputato a Superioribus dumtaxat Confeſſario. Vetuit exponi eorum Imagines, in locis ſacris, quos Eccleſia Sanctos non edixit. Cardinales Eminentiſſimos vocavit, qui prius Illuſtriſſimi (quomodo nunc Archiepiſcopi, & Epiſcopi vocari incipiunt) & antea Ampliſſimi vocabantur; quomodo nunc Epiſcoporum Vicarii dicuntur. Hymnos Eccleſiaſticos ad meliorem formam metricam reduxit; item Pſalmorum verſus, ad certam pauſam in medio tenendam, aſteriſcis diſtinxit. Poſt Petrum non niſi tres Pontifices ipſo diuturniores fuerunt, nempe S. Silveſter, Adrianus Primus, & Alexander Tertius. fuit autem Urbanus Florentinus, Maphæus *Barberinus* antea dictus, Papa annis viginti uno, menſe uno, diebus viginti quatuor.

S. Andreas Corſinus.

Regularium lib. Confeſſ.

Imagines non niſi Sanctorum in locis ſacris.

Cardinales Eminentiſſimi vocati.

Correctio Hymnorum & Pauſæ Pſalmorũ.

246. INNOCENTIUS Decimus, Romanus, Joannes Ba-

Baptiſta *Pamphilius* prius vocatus;
Jubilæũ 13. anno 1650. celebravit ordinarium Jubileum decimumtertium. feſta
Expũnctio aliquot Feſtorum. aliquot obſervari in populo ſolita, ab Urbano deceſſore Romæ abrogata, ſub ipſo anno 1654. in Belgio publicata, & non amplius
Jãſeniſmũs extinctus. ſervari cœpta ſunt. Janſeniſmum late graſſantem, edita conſtitutione anno 1655. Pontificatus ſui anno nono extinxit: in fine vitæ per novem dies agonizavit; quod populus imputabat vindictæ Divinæ, propter nimiam in rerum adminiſtratione datam facultatem Gloriæ ſuæ. Sedens in Cathedra Petri numerum Nominis explevit, obiitque anno decimo, menſe tertio, die vigeſimoſecundo.

247. ALEXANDER Septimus, Italus, Senis natus anno 1599. dictus Fabius *Chiſius*, ad pacem Monaſterienſem Legatus Apoſtolicus; cum poſt mortem Innocentii Decimi anno 1655. a ſeptima Januarii, uſque ad 7. Aprilis per tres integros menſes Sedes Apoſtolica vacaſſet; electus in Summum Pontificem, mox confirmavit Diploma Deceſſoris ſui de Damnatione quinque Propoſitionum Janſenianarum; licet

cet Janſenius ipſe non ſit damnatus, qui ejuſdem S. Sedis judicio ſe ſubmiſit. Inter Septem nova Officia, quæ Breviario Romano inſeruit, videlicet SS. Bernardini, Thomæ a Villanova, Franciſci Xaverii, Petri Nolaſci, Andreæ Corſini, Franciſci Saleſii, quem Divorum Faſtis adſcripſit, Feſtum Conceptionis B. M. Virginis cum Octava celebrari præcepit. Mors ipſius, quæ anno Pontificatus duodecimo contigit, hoc Chronographico exprimitur:

Septem nova Officia.

Octava Conception. B. M. Virg.

oreMVs pro pontIfICe noſtro aLeXanDro.

248. CLEMENS Nonus, Italus, Piſtorienſis, Julius *Roſpiglioſius* ante dictus. cum primum eſſet electus, mox S. Malachiæ Hiberni Prophetia, quæ habet *Sidus Olorum*, ipſi per hoc Chronographicum fuit applicata:

Vere hIC eſt sIDVs oLorVM.

Electio ejus contigit 20. Junii 1667. ſed amiſſa Candia, mors ſecuta eſt vix uno, & ſeſquianno poſt, nona Decembris 1669. de qua item hoc Chronographicum:

steLLa breVI regnans ſpatIo
fVIt Iſte DoLorVM.

Et Epigramma:

Cum

Cur Papam hunc dicat Malachias Sidus Olorum?

Dum vixit potuit dicere nemo bene;
Sed Mors explicuit; cum (a) *Candia perdita Papæ*
Elicuit gemitum, nonne Olor ipſe fuit?
Ut moriens modulatur Olor, ſic Candia eidem
Non moduli, at gemitus cauſaque mortis erat:
Sic (b) *Hieroſolymam lugens Urbanus obivit,*
(c) *Conſtantinopolim ſic Nicolae gemis.*
Lucius (d) *Edeſſam ſic luxerat ante Secundus:*
Planxiſti amiſſam ſic Adriane (e) *Rhodum.*
Neſcio, cur fuerit vivens hic Sidus Olorum,
Hoc ſcio, quod moriens ſtella doloris erat.

(*a*) Sub hoc Clemente anno 1669. amiſſa eſt Candia, qua jactura afflictus Papa, eodem anno, nona Decembris, Pontificatus ſui anno ſecundo, menſe quinto, die decimaquarta obiit. (*b*) Sic anno Chriſtiano 1187. Saladinus Babyloniæ Rex Hieroſolymam cepit, octoginta octo annis a poſſeſſione Godefridi Bulonii; quo triſti nuntio per-

perculſus Urbanus Tertius obiit Pontificatus ſui anno ſecundo nondum expleto. (*c*) Ita Conſtantinopolis amiſſa fuit ſub Nicolao Quinto 1453. (*d*) Edeſſa ſub Lucio Secundo, anno 1144. (*e*) Et Rhodus ſub Adriano Sexto, ipſa die Natalis Domini anno 1522. Clemens hic Canoni Sanctorum inſcripſit Petrum de Alcantara, & Mariam Magdalenam de Pazzis.

249. CLEMENS Decimus Romanus, Æmilius Laurentius Cardinalis *Alterius* antea nominatus. ſi fas ſit dicere, hunc Patrem Patrum fecit diſcordia Fratrum: nam cum per quinque menſes Sedes vacaſſet, electus fuit hic junior dignitate Cardinalitia, ſed ſenior octogenaria ætate, cum nequidem in altioribus adhuc Ordinibus exiſteret: quibus omnibus rite ſuſceptis, primaque Miſſa apud Carthuſianos ſine murmure celebrata, Pontifex ordinatur vigeſimanona Aprilis 1670. Celebravit anno 1675. Jubileum ordinarium decimumquartum, cum extraordinarium 1673. conceſſiſſet pro rebus in Polonia turbatis: anno autem Pontificatus primo, Chriſti 1671. Aprilis 12. Cajetanum *Jubileum 14.*

Thie-

Thienæum Ordinis Clericorum Regularium Inſtitutorem, quos Theatinos appellant, Franciſcum Borgiam e Societate Jeſu, Philippum Benitium Ordinis Servorum B. M. Virginis reſtauratorem, Ludovicum Bertrandum ex S. Dominici familia, & Roſam ejuſdem inſtituti Monialem in Sanctorum Album retulit, & Pium Papam V. inter Beatos haberi voluit. Anno pariter Jubilęo vertente menſe Aprili Joannem a Cruce Beatis annumeravit, Albertum quoque Magnum Ordinis Prædicatorum Epiſcopum Ratiſponenſem, Franciſcum Solanum Ordinis S. Franciſci Beatorum diptychis adſcripſit, eumdemque honorem Ludovicæ Albertoniæ Viduæ ex S. Franciſci familia decrevit. Reſtaurationem Templi S. Mariæ Majoris Clementis IX. deceſſoris ſui juſſu cæptam abſolvit. Cujus rei ut perenne aliquod extaret monumentum numos cudendos curavit, in quibus ea Baſilica impreſſa conſpicitur hac epigraphe, *Deus fundavit eam*. Poſtremo ut bellum, quo Chriſtiana Reſpublica affligebatur, extingueret, Aloyſium Bevilaquam Alexandrinum Patriarcham Nuncium ſuum ad Imperatorem miſit, alioſque eo-

Reſtauratio Ædis S. Mariæ Majoris abſoluta.

eodem munere & dignitate ornatos viros ad Galliarum, & Hiſpaniarum Reges legavit, ut eos ad pacem & concordiam hortarentur. Nec res improſpere ſucceſſit. De pace acturi Noviomagi convenere Principum Legati: ſed poſtquam de ratione concordiæ ineundæ agi cœptum, anno 1676. XI. Cal. Auguſti, cum annos ſex, menſes duos, dies vigintitres ſediſſet Clemens X. e vita ceſſit.

250. INNOCENTIUS XI. Italus, Comenſis, antea Benedictus Cardinalis *Odeſchalchius*, die 21. Septembris anno 1676. electus, & die 4. Octobris S. Franciſco Aſſiſinati ſacra coronatus. Vita, & moribus fuit integerrimis, a ſuis omnino alienus, pauperibus addictiſſimus. Joanni Poloniæ Regi, Leopoldo Imperatori, & Reipublicæ Venetæ contra Turcas juncto fœdere bellum periculoſiſſimum ſuſtinentibus, Vindobona præſertim arcta obſidione cincta, ingenti pecuniæ vi præſto fuit. Pridie Idus Septembres, in quem diem Dominica infra octavam Nativitatis B. Mariæ Virginis anno 1683. incidit, ſingulari tantæ Patronæ ope ac præſidio obſidione ſolu-

Officiũ SS. Nominis B. M. Virginis ad univerſam Eccleſiam propagatum.

ſoluta, hoſtibus cęſis fugatiſque ac inſigni parta victoria, ut perennis aliqua tanti beneficii memoria extaret, Feſtum SS. Nominis Mariæ Virginis, quod jampridem in quibuſdam Chriſtiani Orbis partibus ſpeciali ritu colebatur, ab Eccleſia univerſa quotannis eadem recurrente Dominica Officio duplici celebrari juſſit. In magnam invidiam apud Ludovicum XIV. Galliæ Regem a turbulentis hominibus per ſummam injuriam adductus injuſtiſſimam ut viſum eſt ejus a ſe alienationem fortitudine plane Apoſtolica tulit, armaque *Lavardinica* in ipſam Urbem invecta ſolo Crucis vexillo obtudit atque perfregit. Hoc Pontifice, quem Heterodoxi ipſi ſumma veneratione proſequebantur, Eccleſiam adminiſtrante, Hugonotti aut ſectam ejurare, aut Gallia cedere juſſi ſunt, Nannetenſi Edicto, quo freti pene innumera Templa obtinebant, anno 1685. penitus abrogato. Eodem tempore Nuncius Apoſtolicus, qui jam per integrum ſæculum ab Anglica Aula exulaverat, eo miſſus Angliam totam in ſui admirationem tamquam ad rei novæ conſpectum excitavit. Chriſtianiſſimo Regi

Feſtum SS. Nominis Mariæ Virginis.

Hugonotti e Gallia ejecti.

gi Jacobum II. Angliæ Regem regno profugum, quem jam Ille pro ea, qua erat animi magnitudine, benigniſſime & liberaliſſime una cum conjuge ſua exceperat, per literas Pontifex commendavit. Moralem diſciplinam expurgaturus, ſexaginta quinque propoſitiones ex variis libris excerptas damnavit. Michaelis *Molinos* Sacerdotis Hiſpani ſimulatoris poſt Gnoſticos, & Turlupinos obſceniſſimi, & Quietiſtarum Anteſignani errores diris devovit. Ad ſummam zelo fuit pro Chriſtiana Republica ferventiſſimo, ut poſſit dubitari, num magis laboraverit ad communes Catholicæ Fidei hoſtes exterminandos, quam ad Chriſtianos recte inſtituendos; cum illos fuſis ad Deum precibus, & opportunis miſſis ad bellum ſubſidiis profligaverit, hos verbo, & exemplo ad pie ſancteque vivendum excitaverit. Mortuus eſt IV. Idus Auguſti anno 1689. ſanctitate conſpicuus, cum annum decimum tertium regnaret.

Molinos damnatus.

251. ALEXANDER VIII. Italus in locum Innocentii XI. eſt ſuffectus pridie Nonas Octobris anno 1689. & die

16. ejuſdem menſis Tiara Pontificia redimitus. Prius dicebatur Petrus Cardinalis *Ottobonus* Epiſcopus Brixienſis, Venetiis die 19. Aprilis anno 1620. natus. Venetæ Reipublicæ bellum cum Turcis gerenti nihil electione hac potuit accidere opportunius. Novus enim Pontifex Venetos miſſis pecuniæ, militum, ac triremium auxiliis juvit. Fidei, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ defenſor acerrimus omnes *Molinismi* reliquias nulla habita perſonarum ratione delere curavit. Peccatum *Philoſophicum*, & triginta & unam propoſitiones anathemate confixit. Pridie Idus Octobris anno 1690. eodem nimirum, quo ſacris infulis coronatus fuerat, recurrente die Laurentium Juſtinianum primum Venetiarum Patriarcham Canonicum Congregationis S. Georgii in *Alga* vulgo nuncupatæ Sanctis annumeravit. Joannem quoque de Capiſtrano Ordinis S. Franciſci de Obſervantia, Paſchalem Baylonem Laicum, ut vocant, Ordinis Minorum Diſcalceatorum S. Franciſci, Joannem a S. Facundo Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, & Joannem de Deo Ordinis Fratrum Hoſpitalitatis Fundatorem in Sanctorum diptycha retu-

Laurentius Juſtinianus Cælitum albo inſcriptus.

retulit. Cum Romanam Eccleſiam menſes ſexdecim adminiſtraſſet, Calendis Februarii anno 1691. e vivis exceſſit. Pontifex maximi conſilii, prudentiæ ſummæ, incredibiliſque ſolertiæ.

252. INNOCENTIUS XII. Italus, Antonius Cardinalis *Pignatellius*, Neapolitanus Patricius, & Archiepiſcopus 4. Idus Julii anno 1691. eſt Alexandro VIII. ſubrogatus, & pridie Idus ejuſdem menſis coronatus. Facilem Romanis juxta, atque alienigenis audiendis, admittendiſque ſe præbuit, & in pauperes miſericordem. Qua de cauſa Lateranenſe Palatium in domum pauperibus curandis, & alendis accommodatam mutavit, annuiſque reditibus locupletavit. Suos minime reſpiciens celebrem illam anno 1692. decimo Cal. Julii edidit Conſtitutionem, qua hæreticos ipſos in ſui admirationem pertraxit. In ea ſiquidem Pontificum propinquos Eccleſiæ bonis ditari, interdixit, & cavit, ut ea tantum liberalitate & beneficentia in ſuos inopia laborantes uti Pontificibus liceret, quam cum ceteris nullo conſanguinitatis aut cognationis

Conſtitutio in Nepotiſmum, *ut vocant.*

vinculo junctis pauperibus uti fas eſt. Nec Innocentii perſonam duntaxat admirati ſunt hæretici, ſed ejus quoque doctrinam ſecuti.

Saxoniæ Dux Lutheranam ſectam ejurat.

Auguſtus certe Saxoniæ Dux non minus Catholicæ fidei veritate compulſus & coactus, quam tanti Pontificis facilitate & exemplo invitatus & illectus, Lutheranam ſectam coram Conſobrino ſuo Chriſtiano Auguſto de Saxonia Javarini Epiſcopo ejuravit. Cujus rei uterque præmium tulit, alter a Polonis Rex conſtitutus, alter a Clemente XI. S. R. E. Cardinalis creatus. Anno 1693. congregationem Cardinalium inſtituit, ut celeſtes apparitiones, Prophetiæ ſpiritum, inſigneſque virtutes Beatæ Catharinæ Virginis Bononienſis excuterent. Ut jus commodius redderetur, tribunalia per Urbem diſperſa in unum locum coegit coemptis ad id Ludoviſiorum, aliiſque conterminis ædibus.

Centumcellæ Urbis titulo donatæ.

Centumcellas Urbis titulo donavit, ejuſque portum omnibus ſine ullo portorio patere juſſit. Antium quoque portum reædificandum, & Cerviam reſtaurandam curavit. Celebravit anno 1700. Ju-

Jubilæ. 15.

bilæum ordinarium decimum quintum, & eodem anno, cum an-

nos

nos novem, menſes duos & dies quindecim in Petri Cathedra ſediſſet, pietate ac ſanctitate inſignis diem obiit ſupremum.

253. CLEMENS XI. Italus, Urbinas, Joannes Franciſcus Cardinalis *Albanus* ante dictus, die 23. Novembris anno 1700. Pontifex creatus eſt. Multa hujus ſunt præclare facta, ſed hoc maxime illuſtre, quod præter omnem totius Apoſtolici Senatus expectationem Pontifex renunciatus, per tres integros dies delatum ſibi honorem conſtantiſſime recuſavit, ſe tanto muneri imparem dictitans, donec tandem divino utique afflatus ſpiritu acquievit. Nec in ullius fortaſſe Pontificis electione Sancti Spiritus numen magis eluxit. Nam toti Cardinalium conventui compertum erat, Cardinalem Albanum, ſtatim ut Conclave ingreſſus eſt, *excluſivam*, uti vocant, humanis conatibus inſuperabilem paſſum fuiſſe. Huic uno eodemque tempore cum omnibus Chriſtianis Principibus negotia fuerunt. Deceſſorum ſuorum conſtitutiones contra quinque propoſitiones ac librum

Janſenii nova edita conſtitutione redintegravit, declaravitque obſequioſo ſilentio minime ſatisfieri obedientiæ conſtitutionibus illis debitæ. Paſchaſii item Queſnelii Presbyteri Galli centum & unam Propoſitiones damnavit edita conſtitutione, cujus initium eſt, *Unigenitus Dei Filius*. Feſtum Conceptionis B. M. Virginis de præcepto colendum & celebrandum, edixit. Pium V. Pont. Max. B. Andream de Avellino, B. Felicem de Cantalice Confeſſores, & B. Catharinam Virginem Bononienſem Divorum Faſtis anno 1712. adſcripſit. Ad S. Joſeph Beatæ Mariæ Virginis Sponſi cultum promovendum, novum ejus officium ab Eccleſia univerſa recitandum inſtituit. Officium item S. Joannis de Deo Ordinis Fratrum Hoſpitalitatis Fundatoris antea pro eodem tantum Ordine, ac pro Regnis Hiſpaniarum, & Luſitaniæ approbatum, pro toto Chriſtiano Orbe ratum habuit. Solemnitatem SS. Roſarii B. V. M. ad univerſam Eccleſiam propagavit. Nec illud prætereundum, hoc regnante Pontifice, in Germaniæ partibus, ubi impenſius Lutheri ſecta colitur, & obſtinatius defenditur, Catholico

Propoſitiones 101. Paſchaſii Queſnelli exſecratæ.

Feſtum Cōceptionis B. V. inſtitutum.

Novum S. Joſeph officium Breviario inſertum.

Epi-

Epiſcopo Vicario Apoſtolico * poteſtatem factam, ut magnificam ædificaret Eccleſiam, & Epiſcopalia munera omnia palam Catholicorum more tutiſſime & honeſtiſſime obiret. Fuit Clemens græce, & latine doctus, & temporibus per totum fere Pontificatum difficillimis ac turbulentiſſimis ſapienter uſus eſt. Diem obiit XIV. Cal. Martii anno 1721. annos circiter ſeptuaginta natus poſt annos viginti, menſes tres, & dies vigintiquatuor, quam ad Pontificiam dignitatem evectus fuerat.

* Is eſt Auguſtinus Stefani Epiſcopus Cyzicenus.

254. INNOCENTIUS XIII. Italus Romanus, prius Michael Angelus Cardinalis *de Comitibus* ex veteri & illuſtri Signiæ Comitum familia pluribus Pontificibus conſpicua die 13. Maji anno 1655. ortus, & die 8. ejuſdem menſis anno 1721. Pontifex electus, & poſt decem dierum ſpatium coronatus. Seraphicæ familiæ rebus conſulturus Generalia ejus comitia quinque temporum difficultate pene luſtris intermiſſa in Urbe haberi juſſit, & feliciter ipſo præſente abſoluta ſunt. Feſtum Sanctiſſimi Nominis Jeſu Dominica ſecunda poſt Epiphaniam ab univerſa Eccleſia per-

Feſtū SS. Nominis Jeſu Dominica ſecunda poſt Epi-

phaniæ adductum. petuo celebrari juſſit. Officium quoque S. Iſidori Hiſpalenſis Epiſcopi ad univerſam Eccleſiam extendit. Beati Andreæ de Comitibus viri pietate, ac prodigiis clariſſimi Cultum a ſæculo abhinc quarto repetitum, ac rite probatum Pontificia ſanctione confirmavit. Sacræ Congregationi imperavit, ut in Venerabilis Viri *Gregorii Barbadici* Epiſcopi Patavini præclare facta, & ſancte geſta inquireret. Julium Cardinalem *Alberonium* utriuſque fortunæ vices perpeſſum ab criminibus ipſi objectis innocentem declaravit. Hoc anno 1724. illud inopinatum, atque mirabile contigit, ut Philippus V. Hiſpaniarum Rex raro exemplo ſe regno abdicaret, omnemque regni curam, & adminiſtrationem Filio Ludovico Arturiæ Principi annos circiter 16. nato demandaret. Hæc inter Innocentius cum ætatis annum nonum & ſexageſimum ageret, & annos duos, menſes novem, dies viginti octo Pontificatum geſſiſſet, die 7. Martii anni prædicti 1724. ex hac vita migravit.

Philippus V. Hiſpaniæ regno ſe abdicat.

BENE-

255. BENEDICTUS XIII. ſeu XIV. Cardinalis Vincentius Maria *Urſinus* antea dictus, Archiepiſcopus Beneventanus, Patricius Neapolitanus, ac Venetus. Hunc in Petri Sede concordibus ſuffragiis IV. Cal. Junii collocatum lætiſſimus nuntius attulit pridie, quam hæc pagina prælo committeretur. Natus eſt IV. Nonas Februarii anno 1649. ex præclariſſima Urſinorum familia, quam duodeviginti Sanctitate præſtantes viri, & quatuor ſummi Romanæ Eccleſiæ Antiſtites Stephanus III. S. Paulus I. Cœleſtinus III. & Nicolaus III. illuſtrarunt. Cum ad eam perveniſſet ætatem, quam ad religionis ingreſſum Eccleſiaſticæ leges præfiniunt, obtentu Italiam luſtrandi Venetias ſe contulit, ibique Prædicatorum Ordini in S. Dominici Cœnobio nomen dedit. Inter tyrones omnium virtutum ſplendore enituit. Emenſo Philoſophiæ, ac Theologiæ curriculo, ſacris concionibus, prout ſuſcepti inſtituti ratio poſtulabat, operam zelo plane Apoſtolico navavit. Hinc cum Bononiæ degeret, in ea diœceſi proximo Quadrageſimali tempore ſacras conciones habitu-

Quatuor ſummi Pontificis ex Urſinorum Domo.

rus, vigeſimum tertium ætatis annum agens, S. R. E. Presbyter Cardinalis a Clemente X. factus eſt. Tantam dignitatem ſibi nihil tale cogitanti ultro oblatam conſtanter recuſavit, ſed tandem Pontificis præcepto acquievit. Itaque Romam commigravit, eaque in Urbe varia, quæ penes Cardinales eſſe ſolent, munera ſumma cum laude geſſit. Tres ſubinde Eccleſias adminiſtravit, Sipontinam, Cæſenatenſem, & Beneventanam per annos 38. ac in ſingulis maxime illuſtria ſuæ probitatis exempla ad imitandum reliquit, acerrimumque ubique Eccleſiaſticæ libertatis aſſertorem, ac vindicem ſe præbuit. Sex Comitiis Pontificiis interfuit, quorum poſtremo ipſe Benedictus XIII. ſummus Eccleſiæ Pontifex creatus eſt, qui fu-
Jubilæū 16. turo anno 1725. Jubilæum ordinarium decimum ſextum, ingenti totius Chriſtiani Orbis lætitia celebrabit. Agant vero Fideles prępotenti Deo grates quam poſſunt maximas, quod ſacroſancto Cardinalium Collegio eam mentem dederit, ut hunc potiſſimum cooptarent; ac ferventiſſimas preces fundant, ut publico Eccleſiæ bono diu Pontifex vivat. Du-

bita-

bitare enim nullo modo licet; quin Ille, qui per totam ante actam vitam omnibus honoribus maximis ſe digniſſimum præbuit, ſummum tandem dignitatis faſtigium Divino conſilio adeptus, ſit pari virtutis acceſſione cumulaturus.

CERO

CHRONOLOGICA ROMANORUM PONTIFICUM *SERIES*

Cum ordine ſucceſſionis, tempore Pontificatus, & anno Chriſti quo ſedere cœperunt.

Ord. ſuc.		*An. Chr.*
	SÆCULUM I.	
1	Sanctus Petrus an. 24. men. 5. d. 10.	44
2.	S. Linus 11. 2. 23.	70
3.	S. Cletus. 12. 7. 2.	81
4.	S. Clemens I. 9. 6. 6.	93
	SÆCULUM II.	
5.	S. Anacletus 9. 3. 10.	103

6. S.

Ord. ſuc.		*An. Chr.*
6.	S. Evariſtus.	112
	an. 9. men. 3. d. —.	
7.	S. Alexander I.	121
	10. 3. 20.	
8.	S. Xyſtus I.	132
	9. 10. 9.	
9.	S. Teleſphorus.	142
	11. 9. —.	
10.	S. Hyginus.	154
	3. — 28.	
11.	S. Pius I.	158
	9. 5. 27.	
12.	S. Anicetus.	167
	8. 8. 24.	
13.	S. Soter.	175
	3. 11. 18.	
14.	S. Eleutherius.	179
	15. —. 23.	
15.	S. Victor I.	194
	9. 1. 28.	

SÆCULUM III.

16.	S. Zephyrinus.	203
	18. —. 18.	
17.	S. Calliſtus I.	221
	5. 1. 12.	
18.	S. Urbanus I.	226
	6. 7. 4.	
19.	S. Pontianus.	233
	4. 4. 25.	
20.	S. Anterus.	237
	1. —. —.	

21. S.

Ord. ſuc.		*An. Chr.*
21.	S. Fabianus.	238
	an. 15. men. --. d. 4.	
22.	S. Cornelius.	254
	2. 2. 3.	
23.	S. Lucius I.	256
	1. 4. --.	
24.	S. Stephanus I.	257
	3. 3. 22.	
25.	S. Xyſtus II.	260
	--. 11. 12.	
26.	S. Dionyſius.	261
	12. 3. 14.	
27.	S. Felix I.	272
	2. 4. 29.	
28.	S. Eutychianus.	275
	8. 6. 4.	
29.	S. Cajus.	284
	12. 4. 5.	
30.	S. Marcellinus.	296
	7. 11. 23.	

SÆCULUM IV.

31.	S. Marcellus I.	304
	5. 1. 25.	
32.	S. Euſebius	309
	2. 7. 25.	
33.	S. Melchiades.	311
	2. 2. 7.	
34.	S. Silveſter I.	314
	21. 10. 1.	
35.	S. Marcus.	336
	--. men. 8.	

36. S.

Ord. ſuc.		*An. Chr.*
36.	S. Julius I. an. 15. men. 5. d. 17.	336
37.	Liberius. 15. 4. 2.	352
38.	S. Felix II. 1. 2. 3.	357
39.	S. Damaſus I. 17. 2. 26.	367
40.	Siricius. 13. 1. 14.	385
41.	S. Anaſtaſius I. 4. 1. 13.	398

SÆCULUM V.

42.	S. Innocentius I. 15. 2. 10.	402
43.	S. Zoſimus. 1. 4. 7.	417
44.	S. Bonifacius I. 4. 9. 28.	418
45.	S. Cęleſtinus I. 8. 5. 3.	423
46.	S. Xyſtus III. 7. 11. 2.	432
47.	S. Leo I. Magnus. 20. 10. 28.	440
48.	S. Hilarius. 5. 9. 29.	461
49.	S. Simplicius. 15. 5. 10.	467
50.	S. Felix III. 8. 11. 22.	483

51. S.

Ord. ſuc.		*An. Chr.*
51.	S. Gelaſius I. an. 4. men. 8. d. 19.	492
52.	S. Anaſtaſius II. 1. 11. 23.	496
53.	S. Symmachus. 15. 7. 27.	498

SÆCULUM VI.

54.	S. Hormiſda. 9. --. 10.	514
55.	S. Joannes I. 2. 9. 14.	523
56.	S. Felix IV. 4. 2. 18.	526
57.	Bonifacius II. 2. --. 2.	530
58.	Joannes II. 2. 8. --.	532
59.	S. Agapetus I. 2. --. --.	535
60.	S. Silverius. 3. --. --.	537
61.	Vigilius 15. 6. 10.	540
62.	Pelagius I. 4. 10. 18.	555
63.	Joannes III. 2. 11. 16.	559
64.	Benedictus I. 4. 2. 15.	573
65.	Pelagius II. 12. 2. 27.	577

66. S.

Ord. ſuc.		*An. Chr.*
66.	S. Gregorius I. Magnus an. 13. men. 6. d. 10.	590

SÆCULUM VII.

67.	Sabinianus —. 5. 19.	604
68.	Bonifacius III. —. 8. 23.	605
69.	S. Bonifacius IV. 8. 8. 20.	607
70.	S. Deusdedit 2. 11. 26.	615
71.	Bonifacius V. 7. 10. 1.	618
72.	Honorius I. 12. 4. 27.	626
73.	Severinus. 1.	638
74.	Joannes IV. 1. 9. 6.	639
75.	Theodorus I. 7. 5. 20.	641
76.	S. Martinus I. 6. 1. 26.	649
77.	S. Eugenius I. 1. 6. —.	654
78.	S. Vitalianus. 14. 5. 27.	655
79.	Adeodatus. 7. 2. 17.	669
80.	Donus I. 1. 5. 10.	676.

81. S.

Ord. ſuc.		*An. Chr.*
81.	S. Agatho an. 4. men. 1. d. 15.	678
82.	S. Leo II. --. 10. 17.	683
83.	S. Benedictus. II. --. 10. 27.	684
84	Joannes V. 1. --. 11.	685
85.	Conon --. 11. 3.	686
86.	S. Sergius I. 13. 8. 14.	687

SÆCULUM VIII.

87.	Joannes VI. 3. 2. 12.	701
88.	Joannes VII. 2. 7. 17.	705
89.	Siſinius. --. --. 20.	708.
90.	Conſtantinus. 6. 1. 2.	708
91.	S. Gregorius II. 16. 8. 20.	714
92.	S. Gregorius III. 10. 9. 12.	731
93	S. Zacharias. 10. 3. 10	741
94	Stephanus II. --. --. 3.	752
95.	Stephanus III. 5. --. 28.	752

96. S.

Ord. ſuc.		*An. Chr.*
96.	S. Paulus I.	757
	an. 10. men. 1. d. 1.	
97.	Stephanus IV.	768
	3. 5. 28.	
98.	Adrianus I.	772
	23. 10. 18.	
99.	Leo III.	795
	20. 5. 17.	

SÆCULUM IX.

100.	Stephanus V.	816
	--. 5. 3.	
101.	S. Paſchalis I.	817
	7. 3. 16.	
102.	Eugenius II.	824
	3. 6. --.	
103.	Valentinus.	827
	--. 1. 30.	
104.	Gregorius IV.	827
	16. --. --.	
105.	Sergius II.	844
	3. 2. 3.	
106.	S. Leo IV.	847
	8. 3. 5.	
107.	Benedictus III.	855
	2. 6. 10.	
108.	S. Nicolaus I. Mag.	858
	9. 6. 20.	
109.	Adrianus II.	867
	4. 10. 17.	
110.	Joannes VIII.	872
	10. --. 1.	

111. Mar-

Ord. ſuc.		*An. Chr.*
111.	Martinus II. an. 1. men. --. d.20.	882
112.	Adrianus III. 1. 3. 19.	884
113.	Stephanus VI. 6. --. 9.	885
114.	Formoſus. 5. 6. 10.	891
115.	Bonifacius VI. dies 15.	897
116.	Stephanus VII. Schiſ. 3. --. --.	897
117.	Romanus. men. 4.	900

SÆCULUM X.

118.	Theodorus II. dies 20.	901
119.	Joannes IX. 4. --. 15.	901
120.	Benedictus IV. 3. 3. --.	905
121.	Leo V. --. 1. 10.	907
122.	Chriſtophorus Schiſ. men. 8.	907
123.	Sergius III. 3. --. --.	908
124.	Anaſtaſius III. 2. 2. --.	910
125.	Lando. --. 6. 21.	912

126. Joan-

Ord. ſuc.		*An. Chr.*
126.	Joannes X.	913
	an. 15. men. 2. d. 15.	
127.	Leo VI.	928
	--. 6. 15.	
128.	Stephanus VIII.	929
	2. 1. 15.	
129.	Joannes XI.	931
	4. 10. --.	
130.	Leo VII.	936
	3. 6. 10.	
131.	Stephanus IX.	939
	3. 4. 5.	
132.	Martinus III.	943
	3. 6. 13.	
133.	Agapetus II.	946
	9. 7. 10.	
134.	Joannes XII.	955
	an. 9.	
135.	Benedictus V.	964
	men. 6. dies 5.	
136.	Leo VIII. Schiſ.	964
	men. 9.	
137.	Joannes XIII.	965
	6. 11. 5.	
138.	Donus II.	972
	men. 3.	
139.	Benedictus VI.	972
	1. 2. --.	
140.	Bonifacius VII.	974
	--. 7. 15.	
141.	Benedictus VII.	975
	9. 1. 10.	

142. Joan-

Ord. ſuc.		*An. Chr.*
142.	Joannes XIV. an. --. men. 8. d. --.	984
143.	Joannes XV. 10. 4. 12.	985
144.	Joannes XVI. men. 4.	996
145.	Gregorius V. 3. 8. --.	996 *
146	Joannes XVII. Schiſ. men. 10.	996
147.	Silveſter 2. an. 4.	999

SÆCULUM XI.

148.	Joannes XVIII. men. 5.	1003
149.	Joannes XIX. 5. 7. 28.	1003
150.	Sergius IV. 2. 8. 13.	1009
151.	Benedictus VIII. an. 12.	1012
152.	Joannes XX. 9. 8. 8.	1024
153.	Benedictus IX. 11. --. --.	1033
154.	Silveſter III. Schiſ. --. 1. 19.	1045
155.	Gregorius VI. Schiſ. 1. 6. --.	1045
156.	Clemens II. --. 9. 15.	1046

157. Da-

Ord. ſuc.		*An. Chr.*
157.	Damaſus II.	1048
	an. --. men. --. dies 23.	
158.	S. Leo IX.	1049
	5. 2. 7.	
159.	Victor II.	1054
	2. 3. 15.	
160.	Stephanus X.	1057
	--. 7. 8.	
161.	Benedictus X. Schiſ.	1058
	--. 9. 20.	
162.	Nicolaus II.	1059
	2. 6. --.	
163.	Alexander II.	1061
	11. 6. 22.	
164.	S. Gregorius VII.	1073
	12. 1. 3.	
165.	Victor III.	1086
	1. 3. 24.	
166.	Urbanus II.	1088
	11. 4. 18.	
167.	Paſchalis II.	1099
	18. 5. 4.	

SÆCULUM XII.

168.	Gelaſius II.	1118
	1. --. 4.	
169.	Calliſtus II.	1119
	5. 10. 13.	
170.	Honorius II.	1124
	5. 1. 17.	
171.	Innocentius II.	1130
	13. 7. 10.	

Ord. ſuc.		*An. Chr.*
172.	Cœleſtinus II. an. --. men. 5. d. 13.	1143
173.	Lucius II. --. 11. 14.	1144
174.	Eugenius III. 8. 4. 13.	1145
175.	Anaſtaſius IV. 1. 4. 24.	1153
176.	Adrianus IV. 4. 8. 24.	1154
177.	Alexander III. 21. 11. 23.	1159
178.	Lucius III. 4. 2. 18.	1181
179.	Urbanus III. 1. 10. 25.	1185
180.	Gregorius VIII. --. 1. 27.	1187
181.	Clemens III. 3. 3. 15.	1188
182.	Cleſtinus III. 6. 8. 28	1191
183.	Innocentius III. 18. 6. 9.	1198

SÆCULUM XIII.

184.	Honorius III. 10. 8. --.	1216
185.	Gregorius IX. 14. 5. 3.	1227
186.	Cœleſtinus IV. dies 17.	1241

187. In-

Ord. ſuc.		*An. Chr.*
187.	Innocentius IV.	1243
	an. 11. men. 5. d. 14.	
188.	Alexander IV.	1254
	6. 5. 4.	
189.	Urbanus IV.	1261
	3. 1. 4.	
190.	Clemens IV.	1265
	3. 9. 25.	
191.	S. Gregorius X.	1271
	4. 4. 10.	
192.	Innocentius V.	1276
	–. 5. 5.	
193.	Adrianus V.	1276
	–. 1. 9.	
194.	Vicedominus dictus. Gregorius XI. aliquot horas.	1276
195.	Joannes XXI.	1276
	–. 8. 8.	
196.	Nicolaus III.	1277
	2. 8. 27.	
197.	Martinus IV.	1281
	4. 1. 7.	
198.	Honorius IV.	1285
	2. –. 1.	
199.	Nicolaus IV.	1287
	4. 1. 14.	
200.	S. Cœleſtinus V.	1294
	–. 5. 8.	
201.	Bonifacius VIII.	1294
	8. 9. 18.	

Ord. ſuc. *An. Chr.*

SÆCULUM XIV.

202.	Benedictus XI. an. --. men. 8. d. 6.	1303
203.	Clemens V. 8. 10. 16.	1305
204.	Joannes XXII. 18. 4. --.	1316
205.	Benedictus XII. 7. 4. 6.	1334
206.	Clemens VI. 10. 7. --.	1342
207.	Innocentius VI. 9. 8. 20	1352
208.	Urbanus V. 8. 3. --.	1362
209.	Gregorius XI. 7. 2. 24.	1370
210.	Urbanus VI. 11. 6. 8.	1378
211.	Bonifacius IX. 14. 11. --.	1389

SÆCULUM XV.

212.	Innocentius VII. 2. --. 22.	1404
213.	Gregorius XII. 3. 7. 5.	1406
214.	Alexander V. --. 10. 8.	1409

215. Joan-

Ord. ſuc.		An. Chr.
215.	Joannes XXIII.	1410
	an. 5. men. --. d. 16.	
216.	Martinus V.	1417
	13. 3. 12.	
217.	Eugenius IV.	1431
	15. 11. 21.	
218.	Nicolaus V.	1447
	8. --. 19.	
219.	Calliſtus III.	1455
	3. 3. 28.	
220.	Pius II.	1458
	5. 11. 27.	
221.	Paulus II.	1464
	6. 10. 26.	
222.	Xyſtus IV.	1471
	13. --. 5.	
223.	Innocentius VIII.	1484
	7. 10. 27.	
224.	Alexander VI.	1492
	11. --. 8.	

SÆCULUM XVI.

225.	Pius III.	1503
	dies 26.	
226.	Julius II.	1503
	9. 3. 21.	
227.	Leo X.	1513
	8. 8. 20.	
228.	Adrianus VI.	1522
	1. 8. 6.	
229.	Clemens VII.	1523
	10. 10. 7.	

Ord. ſuc.		*An. Chr.*
230.	Paulus III. an. 15. men. --. d. 18.	1534
231.	Julius III. 5. 1. 16.	1550
232.	Marcellus II. dies 22.	1555
233.	Paulus IV. 4. 2. 24.	1555
234.	Pius IV. 5. 11. 15.	1560
235.	S. Pius V. 6. 3. 24.	1566
236.	Gregorius XIII. 12. 10. 24.	1572
237.	Xyſtus V. 5. 4. 3.	1585
238.	Urbanus VII. dies 12.	1590
239.	Gregorius XIV. --. 10. 16.	1590
240.	Innocentius IX. --. 2. 1.	1591
241.	Clemens VIII. 13. 1. 3.	1592

SÆCULUM XVII.

242.	Leo XI. dies 25.	1605
243.	Paulus V. 15. 10. 15.	1605
244.	Gregorius XV. 2. 5. --.	1621

245. Ur-

Ord. ſuc.		*An. Chr.*
245.	Urbanus VIII.	1623
	an. 21. men. 1. d. 24.	
246.	Innocentius X.	1644
	10. 3. 22.	
247.	Alexander VII.	1655
	12. 1. 15.	
248.	Clemens IX.	1667
	2. 5. 19.	
249.	Clemens X.	1670
	6. 2. 23.	
250.	Innocentius XI.	1676
	12. 10. 20.	
251.	Alexander VIII.	1689
	1. 3. 26.	
252.	Innocentius XII.	1691
	9. 2. 15.	
253.	Clemens XI.	1700
	20. 3. 24.	

SÆCULUM XVIII.

254.	Innocentius XIII.	1721
	2. 9. 28.	
255.	Benedictus XIII.	1724
	Pontificiam dignitatem obtinet.	

ALPHABETICA ROMANORUM PONTIFICUM *SERIES*

Cum ordine Succeſſionis, & Anno Chriſti, quo ſedere cœperunt.

Ord. ſuc.		*An. Chr.*
	A	
79.	ADeodatus.	669
98.	Adrianus i.	772
109.	Adrianus ii.	867
112.	Adrianus iii.	884
176.	Adrianus iv.	1154
193.	Adrianus v.	1276
228.	Adrianus vi.	1522
59.	Agapetus i.	535
133.	Agapetus ii.	946
81.	Agatho.	678
7.	Alexander i.	121
163.	Alexander ii.	1061
177.	Alexander iii.	1159
188.	Alexander iv.	1254
214.	Alexander v.	1409
224.	Alexander vi.	1492

247. A.

Ord. ſui.		*An. Chr.*
247.	Alexander vii.	1655
251.	Alexander viii.	1689
5.	Anacletus.	103
41.	Anaſtaſius i.	398
52.	Anaſtaſius ii.	496
124.	Anaſtaſius iii.	910
175.	Anaſtaſius iv.	1153
12.	Anicetus.	167
20.	Anterus.	237

B

64.	Benedictus i.	573
83.	Benedictus ii.	684
107.	Benedictus iii.	855
120.	Benedictus iv.	905
135.	Benedictus v.	964
139.	Benedictus vi.	972
141.	Benedictus vii.	975
151.	Benedictus viii.	1012
153.	Benedictus ix.	1033.
161.	Benedictus x.	1058
202.	Benedictus xi.	1303
205.	Benedictus xii.	1334
255.	Benedictus xiii.	1724
44.	Bonifacius i.	418
57.	Bonifacius ii.	530
68.	Bonifacius iii.	606
69.	Bonifacius iv.	607
71.	Bonifacius v.	618
115.	Bonifacius vi.	897
140.	Bonifacius vii.	974
201.	Bonifacius viii.	1294
211.	Bonifacius ix.	1389

Ord. ſuc.		*An. Chr.*
	C	
29.	CAjus.	284
17.	Calliſtus i.	221
169.	Calliſtus ii.	1119
219.	Calliſtus iii.	1455
45.	Cœleſtinus i.	423
172.	Cœleſtinus ii.	1143
182.	Cœleſtinus iii.	1191
186.	Cœleſtinus iv.	1241
200.	Cœleſtinus v.	1294
122	Chriſtophorus.	907
4.	Clemens i.	93
156.	Clemens ii.	1046
181.	Clemens iii.	1188
190.	Clemens iv.	1265
203.	Clemens v.	1305
206.	Clemens vi.	1342
229.	Clemens vii.	1523
241.	Clemens viii.	1592
248.	Clemens ix.	1667
249.	Clemens x.	1670
253.	Clemens xi.	1700
3.	Cletus.	81
85.	Conon.	686
90.	Conſtantinus.	708
22.	Cornelius.	254
	D	
39.	DAmaſus i.	367
157.	Damaſus ii.	1048
70.	Deusdedit.	614

26. Dio-

Ord. ſuc.		*An. Chr.*
26.	Dionyſius.	261
80.	Donus i.	676
138.	Donus ii.	972
	E	
14.	Eleutherius.	179
6.	Euariſtus.	112
77.	Eugenius i.	654
102.	Eugenius ii.	824
174.	Eugenius iii.	1145
217.	Eugenius iv.	1431
32.	Euſebius.	309
28.	Eutychianus.	275
	F	
21.	Fabianus.	238
27.	Felix i.	272
38.	Felix ii.	355
50.	Felix iii.	483
56.	Felix iv.	526
114.	Formoſus.	891
	G	
51.	Gelaſius i.	492
168.	Gelaſius ii.	1118
66.	Gregorius i.	590
91.	Gregorius ii.	714
92.	Gregorius iii.	731
104.	Gregorius iv.	827
145.	Gregorius v.	996
155.	Gregorius vi.	1045

164. Gre-

Ord. ſuc.		*An. Chr.*
164.	Gregorius vii.	1073
180.	Gregorius viii.	1187
185.	Gregorius ix.	1227
191.	Gregorius x.	1271
209.	Gregorius xi.	1370
213.	Gregorius xii.	1406
236.	Gregorius xiii.	1572
239.	Gregorius xiv.	1590
244.	Gregorius xv.	1621

H

10.	HYginus.	154
48.	Hilarius.	461
72.	Honorius i.	626
170.	Honorius ii.	1124
184.	Honorius iii.	1216
198.	Honorius iv.	1285
54.	Hormiſda.	514

I

42.	INnocentius i.	402
171.	Innocentius ii.	1130
183.	Innocentius iii.	1198
187.	Innocentius iv.	1243
192.	Innocentius v.	1276
207.	Innocentius vi.	1352
212.	Innocentius vii.	1404
223.	Innocentius viii.	1484
240.	Innocentius ix.	1591
246.	Innocentius x.	1644
250.	Innocentius xi.	1676
252.	Innocentius xii.	1691

253. In-

Ord. ſuc.		*An. Chr.*
254.	Innocentius xiii.	1721
55.	Joannes i.	523
58.	Joannes ii.	532
63.	Joannes iii.	559
74.	Joannes iv.	639
84.	Joannes v.	685
87.	Joannes vi.	701
88.	Joannes vii.	705
110.	Joannes viii.	872
119.	Joannes ix.	901
126.	Joannes x.	913
129.	Joannes xi.	931
134.	Joannes xii.	955
137.	Joannes xiii.	965
142.	Joannes xiv.	984
143.	Joannes xv.	985
144.	Joannes xvi.	996
146.	Joannes xvii.	996
148.	Joannes xviii.	1003
149.	Joannes xix.	1003
152.	Joannes xx.	1024.
195.	Joannes xxi.	1276
204.	Joannes xxii.	1316
215.	Joannes xxiii.	1410
36.	Julius i.	336
226.	Julius ii.	1503
231.	Julius iii.	1550

L

125.	Lando.	912
47.	Leo i.	440
82.	Leo ii.	683
99.	Leo iii.	795

106. Leo

Ord. ſuc.		*An. Chr.*
106.	Leo iv.	847
121.	Leo v.	907
127.	Leo vi.	928
130.	Leo vii.	936
136.	Leo viii.	964
158.	Leo ix.	1049
227.	Leo x.	1513
242.	Leo xi.	1605
37.	Liberius.	352
2.	Linus.	70
23.	Lucius i.	256
173.	Lucius ii.	1144
178.	Lucius iii.	1181

M

30.	MArcellinus.	296
31.	Marcellus i.	304
232.	Marcellus ii.	1555
35.	Marcus.	336
76.	Martinus i.	649
111.	Martinus ii.	882
132.	Martinus iii.	943
197.	Martinus iv.	1281
216.	Martinus v.	1417
33.	Melchiades.	311

N

108.	NIcolaus i.	858
162.	Nicolaus ii.	1059
196.	Nicolaus iii.	1277
199.	Nicolaus iv.	1287
218.	Nicolaus v.	1447

101. Pa-

Ord. ſuc.		*An. Chr.*
	P	
101.	PAſchalis i.	817
167.	Paſchalis ii.	1099
96.	Paulus i.	757
221.	Paulus ii.	1464
230.	Paulus iii.	1534
233.	Paulus iv.	1555
243.	Paulus v.	1605
62.	Pelagius i.	555
65.	Pelagius ii.	577
1.	PETRUS	44
11.	Pius i.	158
220.	Pius ii.	1458
225.	Pius iii.	1503
234.	Pius iv.	1560
235.	Pius v.	1566
19.	Pontianus.	233
	R	
117.	ROmanus.	900
	S	
67.	SAbinianus.	604
86.	Sergius i.	687
105.	Sergius ii.	844
123.	Sergius iii.	908
150.	Sergius iv.	1009
73.	Severinus.	638
34.	Silveſter i.	314
147.	Silveſter ii.	999

114. Sil-

Ord. ſuc.		*An. Chr.*
154.	Silveſter iii.	1045
60.	Silverius.	539
53.	Symmachus.	498
49.	Simplicius.	467
40.	Siricius.	385
89.	Siſinius.	708
13.	Soter.	175
24.	Stephanus i.	257
94.	Stephanus ii.	752
95.	Stephanus iii.	752
97.	Stephanus iv.	768
100.	Stephanus v.	816
113.	Stephanus vi.	885
116.	Stephanus vii.	897
128.	Stephanus viii.	929
131.	Stephanus ix.	939
160.	Stephanus x.	1057

T

9.	TElefphorus.	142
75.	Theodorus i.	641
118.	Theodorus ii.	901

V

103.	VAlentinus.	827
194.	Vicedominus, dictus aliquot horis Gregorius xi.	1276
15.	Victor i.	194
159.	Victor ii.	1054
165.	Victor iii.	1086
61.	Vigilius.	540
78.	Vitalianus.	655

18. Ur-

Ord. ſuc.		*An. Chr.*
18.	Urbanus i.	226
166.	Urbanus ii.	1088
179.	Urbanus iii.	1185
189.	Urbanus iv.	1261
208.	Urbanus v.	1362
210.	Urbanus vi.	1378
238.	Urbanus vii.	1590
245.	Urbanus viii.	1623

X

8.	XYſtus i.	132
25.	Xyſtus ii.	260
46.	Xyſtus iii.	432
222.	Xyſtus iv.	1471
237.	Xyſtus v.	1585

Z

93.	ZAcharias.	741
16.	Zephyrinus.	203
43.	Zoſimus.	417

ELENCHUS NOTITIÆ
ROMANORUM
PONTIFICUM

In Sectiones triginta
diſtributus,

E T

ONOMASTICON.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

ELENCHUS NOTITIÆ ROMANORUM PONTIFICUM

In Sectiones triginta diſtributus.

SECTIO I.

Pontifices ab Eccleſia pro Sanctis habiti: qui Martyres, qui Confeſſores.

TRigintatres primi pP. ſub decem primis Eccleſiæ perſecutionibus, Martyrii honore omnes decorati ſunt: quibus accedunt alii quatuor ab Hæreticis paſſi, nempe Felix 2. Joannes 1. Silverius, & Martinus 1. ſicque trigintaſeptem Martyres ſummos Pontifices colit Eccleſia. Confeſſores vero non pauciores; quorum primicerius S. Silveſter, Papa trigeſimuſquartus, Marcus Papa 35. Julius 36. Liberius 37. Damaſus 39. Anaſtaſius 41. Innocentius 42. Zoſimus 43. Bonifacius 44. Cœleſtinus 45. Xyſtus

Tertius 46. Leo Magnus 47. Hilarius 48. Simplicius 49. Felix Tertius 50. Gelaſius 51. Anaſtaſius Secundus 52. Symmachus 53. Hormiſda 54. Felix Quartus 56. Agapetus 59. Gregorius Magnus 66. Bonifacius Quartus 69. Deuſdedit 70. Agatho 81. Leo Secundus 82. Benedictus Secundus 83. Sergius 86. Gregorius Secundus 91. & Tertius 92. Zacharias 93. Paulus 96. Paſchalis Papa 101. Leo quartus 106. Nicolaus 108. Leo Nonus 158. Gregorius Septimus 164. Gregorius Decimus 191. Cœleſtinus Quintus 200. & Pius Quintus 235. omnes numero quadraginta Confeſſores, & Martyres trigintaſeptem faciunt ſimul numerum 77. Sanctorum Pontificum.

SECTIO II.

Decem primæ Eccleſiæ Perſecutiones, ſub quibus trigintatres primi Pontifices paſſi ſunt.

PRima incœpit ſub Nerone, anno Chriſtiano 64. Paſſi ſunt Petrus & Linus.

Secunda ſub Domitiano, anno 92. paſſus eſt Cletus.

Tertia ſub Trajano, & Adriano, an-

anno 100. paſſi ſunt Clemens, Anacletus, Evariſtus, Alexander, & Xyſtus.

Quarta ſub M. Aurelio Antonino, & Commodo, anno 163. paſſi ſunt Teleſphorus, Hyginus, Pius, Anicetus, Soter, Eleutherius.

Quinta ſub Severo, anno 202. paſſi ſunt Victor, Zephyrinus, Calliſtus, Urbanus, Pontianus.

Sexta ſub Maximino, anno 235. paſſus Anterus.

Septima ſub Decio, anno 250. paſſus Fabianus, & continuata ſub Gallo, & Voluſiano filio; paſſuſque eſt Cornelius anno 254.

Octava ſub Valeriano, & filio Gallieno, anno 257. paſſi ſunt Lucius, Stephanus, Xyſtus 2. & Dionyſius.

Nona ſub Aureliano, anno 272. paſſi Felix, & Eutychianus.

Decima eaque atrociſſima, ſub Diocletiano & Maximiano, circa annum 300. paſſi ſunt Cajus, Marcellinus, Marcellus, Euſebius, Melchiades. Ceſſavit poſtea perſecutio ſub Conſtantino Magno Chriſti ſacris imbuto: ſed ſub filio ejus Conſtantio hæreſi Ariana infecto, & ſub Juliano Apoſtata, Conſtantini ex fratre nepote, ac

Valente, iterum, licet non ita, in Pontifices Romanos deſæviit: tandem Ariani, Vvandali, Perſæ, Arabes, Hunni, & reliqui Eccleſiæ Catholicæ hoſtes, ipſos etiam Pontifices, Felicem Secundum, Joannem, Silverium, & Martinum afflixerunt.

SECTIO III.

Viginti Concilia Generalia, ſive OEcumenica, ſub quibus Pontificibus habita, & quæ hæreſes condemnatæ.

I. NICÆNUM 318. Patrum, ſub Silveſtro, anno Chriſti 325. quando Arius condemnatus eſt, qui Chriſtum, non ejuſdem, ſed ſimilis cum Patre ſubſtantiæ, & ſic minorem aſſerebat.

II. Conſtantinopolitanum 150. Patrum, ſub Damaſo anno 381. contra Macedonianos, Spiritum Sanctum non Deum, ſed Creaturam eſſe contendentes.

III. Epheſinum 200. Patrum, ſub Cœleſtino, anno 431. quando Neſtorius condemnatus eſt, qui Virginem Matrem Chriſtum hominem tantum, & non Deum peperiſſe dicebat.

IV. Chal-

IV. Chalcedonenſe 630. Patrum, ſub Leone Magno, anno 451. contra Eutychen Abbatem Conſtantinopolitanum, qui aſſerebat Chriſtum poſt humanitatis aſſumptionem non ex duabus naturis, ſed ſola divina conſtitiſſe: & corpus ab ipſo aſſumptum fuiſſe phantaſticum. Quibus quatuor primis Conciliis S. Gregorius Papa tamquam quatuor Euangeliis honorem haberi voluit.

V. Conſtantinopolitanum Secundum, Patrum 165. ſub Vigilio anno 553. contra Origeniſtas, quorum dogma erat, animas ante corpora extitiſſe, ſuppliciorum infernalium finem futurum, & Dæmones primam dignitatem recuperaturos.

VI. Conſtantinopolitanum Tertium, Patrum 170. ſub Agathone, anno 681. contra Monothelitas unam tantummodo voluntatem & operationem in Chriſto prædicantes: cujus acta Leo 2. ſucceſſor approbavit.

VII. Nicænum Secundum, Patrum 350. ſub Adriano Primo, anno 787. contra Iconomachos, ſive Imaginum impugnatores.

VIII. Conſtantinopolitanum Quartum Patrum 383. ſub Adria-

no Secundo anno 869. indictum fuit ut proſpiceretur lapſis, qui Photio ſæpius excommunicato communicarant, & pleniſſime conſuleretur ſtatui Orientis Eccleſiæ. Et hæc quidem Concilia apud Græcos habita ſunt, auctoritate Romanorum Pontificum. Apud Latinos autem Romæ habitum fuit œcumenicum Concilium

IX. Lateranenſe Primum ſub Calliſto Secundo, anno 1123. Prælatorum circiter mille; quando ab Imperatore facta eſt reſtitutio Inveſtiturarum, & pax inter Pontificem Imperatoremque diu ſciſſa coaluit.

X. Lateranenſe ſecundum ſub Innocentio Secundo anno 1139. tot conſtans fere Patribus quot præcedens; in quo damnatus fuit Arnoldus de Brixia, qui Clericos, præter Decimas, poſſeſſiones habere poſſe negabat.

XI. Lateranenſe tertium ſub Alexandro Tertio, anno 1179. Epiſcoporum 310. contra Vualdenſes, ſive Pauperes de Lugduno, & Albigenſes hæreticos.

XII. Lateranenſe quartum ſub Innocentio Tertio anno 1215. numero Prælatorum vix comprehenſo, contra hæreticos negantes

tran-

tranſubſtantiationem panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti.

XIII. Lugdunenſe primum ſub Innocentio Quarto anno 1245. (de numero Prælatorum non conſtat) contra Fredericum Secundum Imperatorem, Eccleſiæ rebellem.

XIV. Lugdunenſe ſecundum ſub Gregorio Decimo anno 1274. mille & amplius Patrum, contra errores Græcorum: quando opera S. Bonaventuræ unio facta eſt Eccleſiæ Latinæ cum Græca.

XV. Viennenſe in Gallia ſub Clemente Quinto anno 1311. Epiſcoporum 300. præter Abbates, & Doctores, contra hæreſes Fratricellorum, Dulciniſtarum, & Beguinorum: & extincti ſunt Templarii.

XVI. Conſtantienſe ſub Joanne Vigeſimoſecundo anno 1414. cum eſſent tres incerti Pontifices, & abdicantibus duobus, legitime electus fuit Martinus Quintus; in quo Concilio fuere Cardinales 29. Patriarchæ 4. Archiepiſcopi 47. Epiſcopi 270. præter Abbates, & Priores.

XVII. Baſileenſe ſub Eugenio Quarto, anno 1431. quod œcume-

nice & legitime cœpit, ſed in Schiſma deſiit; eo quod ſuſtineretur Papam non eſſe ſupra Concilium.

XVIII. Florentinum ſub eodem Eugenio, anno 1438. ad Schiſma frænandum, & errores Græcorum tollendos.

XIX. Lateranenſe Quintum ſub Julio Secundo, & Leone Decimo, ab anno Chriſti 1512. uſque ad 1517. ad extirpationem Schiſmatis, quod Piſano Conciliabulo propagatum fuit, vide ſummam Conciliorum.

XX. Tridentinum ſub Pontificibus Paulo Tertio, Julio Tertio, & Pio Quarto, ab anno Chriſti 1545. uſque ad 1563. adverſus hæreſes Lutheranorum, aliorumque Novatorum; numerus, & nomina Prælatorum in editionibus hujus Concilii paſſim habentur.

SECTIO IV.

Ex Ordinibus Regularium ad ſummum Pontificatum aſſumpti.

INter primos Eccleſiæ Pontifices nonnulli fuerunt ex Monaſteriis Orientalibus hic non ita notis aſſumpti, quales fuerunt, Te-

Teleſphorus, Hyginus, Dionyſius, &c.

Benedictini autem in Occidente notiſſimi facile triginta numerant; hi vero fuiſſe dicuntur: Pelagius ſecundus, & ſucceſſor ejus Gregorius primus, 2. 3. 4. & 8. Bonifacius 4. Adeodatus, Agatho, Zacharias, Stephanus 4. & 10. Paſchalis primus, Joannes 2. & 9. Leo 5. & 9. Sergius 4. Victor 3. Silveſter 2. Gelaſius 2. Alexander 4. Clemens 6.

Interque Benedictinos *Cluniacenſes*: Gregorius Septimus, Paſchalis 2. Urbanus 2. ex Canonico Regulari Lateranenſi Monachus Cluniacenſis, & Urbanus 5.

Ciſtercienſes Benedictini (ut illorum narrat Martyrologium) fuerunt Eugenius 3. Alexander 3. Urbanus 4. Benedictus 12.

Cæleſtini item Benedictini Fundatorem habent Pontificem Maximum Cœleſtinum Quintum.

Carthuſiani duos ſibi aſcribere poſſunt, videlicet Urbanum 2. qui ex Canonico Regulari, dein Monacho Benedictino fuit ſancti Brunonis diſcipulus, uti in lectionibus Breviarii 6. Octobris legitur; & Clementem Quartum, qui poſt obitum uxoris ad Carthuſianos ſe-

ceſſerat, ſed rogatu Regis Franciæ S. Ludovici, Monaſterio egreſſus, ipſi a conſiliis factus erat; inſtitutum eorum, in abſtinendo carnibus, & geſtando cilicio, etiam ſummus Pontifex ſemper obſervavit.

Canonici Aureliani, ſive Auguſtiniani, qui addita interpretatione latina *Regulares* vocantur, plurimos numerant. videlicet: Leones Primum, Secundum, Tertium, Quartum, & Octavum: Gelaſium 1. Felicem 3. Stephanum 4. ex Canonico Regulari Benedictinum factum: tres Priores Honorios: Primum, & ſecundum Sergios, totidem Paſchales: Tertium, & Quartum Benedictos: Urbanum 2. dein Benedictinum: Formoſum, Landum, Alexandros, & Innocentios 2. 3. Calliſtum, & Lucium 2. Eugenios 2. & 4. Anaſtaſium 4. & immediatum ſucceſſorem, Adrianum 4. & reliquos: imo plures quam Benedictini, utpote antiquiores, inter ſuos referunt; & inter utroſque de nonnullis eſt contentio. Cum enim Gothi Caſſinum invaſiſſent, fugientes Caſſinates ad Canonicos Regulares Lateranenſes ſe tranſtulerunt; nonnullique ex his Benedictinorum regulari obſer-

ſervantia permoti, ſe illorum diſciplinæ tradiderunt: hinc utrique nonnullos eoſdem inter ſuos referunt.

Eremitæ Auguſtiniani ſuis aſcribunt S. Auguſtini diſcipulum Gelaſium Primum, & Amadeum e Duce Sabaudiæ humilem in ſolitudine eremitam factum; qui a Concilio Baſileenſi contra Eugenium 4. ſuffectus, & Felix 5. vocatus, per annos fere decem ſe pro Pontifice geſſit: ſed cognito errore non ſua culpa commiſſo Papatum ſponte depoſuit. vide ſupra in Eugenio 4. & Nicolao 5. item profeſſus eſt Regulam S. Auguſtini Clemens 7. antea vocatus Frater Julius de Medicis, Ordinis Militiæ Hieroſolymitanæ.

Carmelitæ, qui antiquiſſimam ſuam trahunt originem, duos quoque antiquiſſimos Pontifices, eoſque Monachos Græcos, Teleſphorum, & Dionyſium ſuos faciunt; item Benedictum Duodecimũ ex Carmelita Ciſtercienſem Abbatem factum.

Dominicani quatuor habuerunt: Innocentium Quintum, quinto, & Benedictum 11. octavo Pontificatus menſe defunctos, ac Pium 5. anno Pontificatus quinto. & Benedictum XIII. adhuc ſuperſtitem.

Fran-

Franciſcani quatuor: duos Quartos, & duos Quintos Pontifices habuere, Nicolaum 4. & Alexandrum 5. Xyſtum 4. & Xyſtum 5.: duos inſuper pro ſuis tenent in Epilogo Ordinis Seraphici, Gregorium 9. qui ſanctum Franciſcum canonizavit, multiſque privilegiis Franciſcanos affecit, & ex devotione eorum habitum in vita tulit, eoque ſepultus fuit: & Martinum 4. qui in Franciſcano habitu mori & ſepeliri voluit. item Julius Secundus Nepos Xyſti 4. dicitur fuiſſe Novitius Minoritanus: & Vicedominus, Gregorius Undecimus dictus, ipſo electionis die mortuus, Minorita fuiſſe ſcribitur in Chronicis Minorum. Tempore quo Pontifices Avenione regnabant, electus fuit Romæ in Antipapam Frater Petrus de Corbario, qui relicta uxore, Ordinem Minorum profeſſus fuerat, & Pſeudo-pontifex factus Nicolaus Quintus dictus fuit. perſtititque in ſchiſmate annos tres & menſes totidem; donec tranſvectus Avenionem, in publico Conſiſtorio abjecit ſe ad pedes veri Pontificis Joannis 21. vide ſupra in hoc Joanne. ſic Minoritæ quatuor proprios, & quinque impro-

prios

prios Pontifices numerare poſſunt. Computatis itaque omnibus, qui ex Ordinibus Regularibus ad ſummum Pontificatum evecti fuere, numerantur facile ſeptuaginta.

SECTIO V.

Qui & quot Pontifices variarum Nationum.

S*Yri* fuerunt ſeptem: S. Petrus, Anicetus, Joannes 5. Sergius 1. Siſinius, ejuſque ſucceſſor Conſtantinus, & Gregorius 3.

Græci quatuordecim: Anacletus, Euariſtus, Teleſphorus, Hyginus, Eleutherius, Anterus, Xyſtus 2. Dionyſius, Euſebius, Zoſimus, Theodorus 1. Joannes 6. Joannes 7. & Zacharias.

Itali Pontifices fuerunt circiter 192. inter quos ultra centum *Romani*. *Veneti* quatuor, Gregorius 12. Eugenius 4. Paulus 2. & Alexander 8. *Siculi* tres, Agatho, & ſucceſſor Leo 2. ac Stephanus 4.

Afri item tres: Victor, Melchiades, Gelaſius 1.

Sardi duo: Hilarius, & Symmachus.

Dalmatæ duo: Cajus, & Joannes 4.

Thrax

Thrax unicus Conon.

Hiſpani quatuor: duo *Luſitani*, Damaſus, & Joannes 21. duo *Valentini* ex familia Borgia: Calliſtus 3. & Alexander 6. Aliqui Melchiadem Hiſpanum, & Mantuæ Carpetanorum ortum ſcribunt. Alphonſus Ciaconius Hiſpanus, in Calliſto 3. ait, mirandum Hiſpanos nationem, ut ſibi videtur, natam imperio, ante hoc tempus nullum protuliſſe Pontificem Romanum, niſi Damaſum, Joannem 21. & hunc Calliſtum 3. quibus dein acceſſit Alexander 6.

Galli quatuordecim: Martinus, Silveſter, Urbanus, & Nicolaus, quatuor Secundi. Urbanus, Clemens, & Martinus, tres Quarti; & ſeptem conſequenter Avenione reſidentes, Clemens 5. Joannes 22. Benedictus 12. Clemens 6. Innocentius 6. Urbanus 5. Gregorius 11.

Burgundi duo: Calliſtus 2. & Innocentius 5.

Germani ſex: Stephanus 8. Leo 9. inter quos

Saxones duo: Gregorius 5. Clemens 2. & duo

Bavari: Damaſus, & Victor Secundi. Aliqui Bonifacium Septimum notæ non ita bonæ Ponti-

ficem,

ficem, pleriſque ignotum, Germanum volunt, & Franconem antea vocatum.

Anglus: Adrianus 4.

Belga: Adrianus 6.

Ignoti fuerunt Dionyſius, Sabinianus, Chriſtophorus, Bonifacius 7. Joannes 18.

SECTIO VI.

Pontifices optimæ inter antiquos notæ.

POſt tres & triginta primos omnes Sanctos, eoſque Martyres, ſequitur Confeſſorum primicerius, Papa

34. *Silveſter*, qui Eccleſiam annis fere 22. gubernans, eam optimis inſtitutis adornavit.

39. *Damaſus* Hiſpanus, vir egregius, & eruditus in Scripturis, ſcriptis clarus, & optimo per annos fere 18. regimine commendatiſſimus.

45. *Cæleſtinus* I. a quo Neſtorius damnatus, & Diva Virgo Theotòcos, id eſt Deipara, vocata fuit: eum vocat Nicolaus Primus ſanctiſſimum Doctorem, & Romanæ Sedis Præſulem egregium.

47. *Leo* Primus, ob excellentiſſimum doctrinæ, & curæ Paſtora-

lis

lis ſtudium, ut ſcripta probant, *Magnus* dictus: ejuſque ſucceſſor

48. *Hilarius* inter ſublimes PP. virtutum magnitudine effulſit.

59. *Agapetus*, vas Catholicum, Euangelii tuba, Præco Juſtitiæ &c. cujus ſanctitatem, & miracula S. Gregorius his & aliis verbis lib. 3. Dialogorum commemorat.

66. *Gregorius* magnis in Eccleſiam meritis, *Magnus* merito cognominatus.

82. *Leo* 2. Pontifex ſanctiſſimus, humanis & divinis literis Græce & Latine, ac Muſice doctus.

93. *Zacharias* vir Apoſtolicus, græco latinoque ſermone doctiſſimus, qui Eccleſiam ſumma vigilantia gubernavit, & nonnulla S. Gregorii opera, ut Græci fructum inde caperent, in eorum linguam tranſtulit.

98. *Adrianus* Primus magnitudine animi, conſilio, doctrina, & ſanctitate vitæ cum quovis optimo Pontifice comparandus, omnium poſt Petrum in Pontificatu per annos 24. diutiſſimus; ejuſque ſucceſſor

99. *Leo* 3. vir integer, pudicus, & facundus, doctorum virorum amator: qui primus ſolemnem ſanctorum Apotheoſim inſtituiſſe legitur,

gitur, diuturnus quoque uſque ad primum & vigeſimum annum Pontifex: duoque hi egregii Pontifices annos 45. in Pontificatu ſucceſſive impleverunt.

108. *Nicolaus* Primus cognomento Magnus, Magno Gregorio æquiparandus, vigore apoſtolico præſtans, Bulgarorum, uti Gregorius Anglorum, Apoſtolus.

158. *Leo 9.* virtutum & miraculorum gloria inſignis, poſt nubila, circa ſæculum nonum, Eccleſiæ tempora, quaſi ſol novus exoriens, & in Sanctorum Canonem relatus.

SECTIO VII.

Pontifices inviti, & renitentes electi.

SAnctus *Clemens* antiquus SS. Petri & Pauli diſcipulus, a Petro in Pontificatu ordinatus ſucceſſor, ex humilitate recuſavit; Lino, & dein Cleto, qui Coadiutores, ſive Chorepiſcopi Petri fuerant, locum cedens, quem iis defunctis tandem ſuſcepit.

Bonifacius 1. vetus Presbyter in lege doctiſſimus, invitus ac reluctans conſecratur.

Gre-

Gregorius Magnus omnium conſenſu electus Pontifex, honorem hunc ne acciperet, quamdiu potuit, recuſavit: nam alieno veſtitu in ſpelunca delituit; ubi deprehenſus indicio igneæ columnæ, ad ſanctum Petrum conſecratur.

Gregorius 4. apprime eruditus, invitus & latebras quærens in Romana Sede collocatur.

Benedictus 3. diu reluctans, plorans, & Deum ac Sanctos teſtes faciens ſe nequaquam dignum eſſe qui tantæ Sedi præficeretur, Pontificium tandem munus ſuſcepit: ejuſque ſucceſſor

Nicolaus 1. quaſi alter Gregorius, Magnus merito vocatus, latebris extractus initiatur; ſucceſſorque ipſius

Adrianus 2. vir multarum virtutum, cum bis antehac ab omnibus ad Pontificatum expetitus, exquiſitis excuſationibus verecunde ſubterfugiſſet, tandem octogenarius, omnium votis perquiſitus conſecratur.

Gregorius 7. magno omnium conſenſu electus, invitus & reluctans, Henricum Germaniæ Regem per nuntios rogavit, ut electionem ſuam impediret: ejus ſucceſſor

Victor 3. ingenti deſiderio ab o-

mnibus expetitus; cum quaſi vi e-
lectus & conſecratus fuiſſet, poſt quatuor dies Roma egreſſus, Pontificatus inſignia dimiſit, & ad Monaſterium ſuum Caſſinum ſe recipiens, rigidus in propoſito, non potuit adduci, ut ea reciperet, niſi poſt annum.

Gelaſius 2. ſummo Cardinalium, & aliorum conſenſu, invitus & renitens creatur.

Honorius 2. cum ſuam electionem minus Canonicam ſuſpicaretur, poſt dies ſeptem in præſentia omnium Cardinalium ſponte Pontificatui renuntiavit: verum Cardinales perſpecta ejus humili ſinceritate, eum ut legitimum Papam adorantes, conſuetam obedientiam exhibuerunt.

Innocentius 3. Junicr Cardinalis Diaconus, ætatis anno tantum trigeſimo renitens & lacrymans creatur.

Cæleſtinus 5. Eremo extractus, ægerrime Pontificatum admiſit, & poſt quintum menſem omnino dimiſit, aliuſque ejus loco Pontifex electus fuit.

Nicolaus 5. Apoſtolico ſolio imponitur reluctans, & meliorem ſuadens electionem.

Pius 5. nolens & recuſans aſ-
ſum-

ſumptus, dixiſſe fertur: factus primum Religioſus, cœpi de ſalute mea ſperare, dein Cardinalis dubitare, tandem Papa deſperare.

Clemens XI. per tres integros dies delatum ſibi Pontificatus honorem conſtantiſſime recuſavit, donec tandem divino illo, qui ſemper Eccleſiæ Catholicæ præſto eſt, ſpiritu afflatus, totius Chriſtiani orbis bono in electionem ſuam conſenſit.

Qui ultro ambiverunt, & intruſi ſunt, vide in notæ non ita bonæ Pontificibus, & Pſeudopontificibus.

SECTIO VIII.

Qui Conſanguineos non reſpexerunt.

A*Drianus* 4. ſolus inter Pontifices Anglus, ne obolum quidem ſuis propinquis erogavit; Matremque pauperculam ali reliquit eleemoſynis ſuæ Parochiæ.

Clemens 4. Nepoti habenti tria Beneficia duo detraxit, duas Filias ex legitimo prius Matrimonio habitas, tenui dote, unam in Monaſterio, alteram ſuæ conditionis Marito elocavit, dicens ſe plus Deo, quam carni & ſanguini debere.

Mar-

Martinus 4. cum germanus frater ad eum acceſſiſſet ut de tanto munere gratularetur, ſimulque multa recipere ſperaret; fratrem paucis muneribus donatum confeſtim domum redire juſſit, affirmans bona Eccleſiæ, quæ ſua non eſſent, nolle ſe ſine ratione diſſipare.

Nicolaus 4. primus ex Ordine Minorum ad Papatum evectus, probos & eruditos tantum Cognatorum loco habuit.

Benedictus 12. indignos & conſanguineos a Beneficiis arcuit, dicens ſe nolle lutum exornare, & Papam non habere conſanguineos: & illis qui eos commendabant, reſpondere ſolebat illud Davidicum: *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero.*

Adrianus 6. ſolus Belga inter Pontifices, ædificare Sion in Sanguinibus nolebat: unum dumtaxat virum probum, eumque ſibi perſpectum, non conſanguineum, & præterea nullum, Cardinalem creavit.

Marcellus 2. pontifex factus, mox conſanguineis ſuis acceſſum ad Curiam interdixit, duorumque Nepotum Romæ exiſtentium viſitationes congratulatorias admittere,

tere, eoſque ab aliis adiri noluit.

Innocentius 12. ita animo fuit ſuis non addicto, ut edita conſtitutione Pontificum propinquos Eccleſiæ bonis ditari prohibuerit, eaque tantum in ſuos uti liberalitate Romanis Pontificibus indulſerit, quam erga alienos, & nulla cognatione, nulla affinitate, nulla amicitia conjunctos pauperes adhibere licitum eſt.

SECTIO IX.

Nobiliori inter antiquos Pontifices Proſapia orti.

C*Lemens* I. e genere Imperatorum, ſummo loco Romæ natus.

Urbanus I. nobilis Romanus magnam Romanæ Nobilitatis partem ad Chriſtum convertit.

Cajus Maximi, Diocletiani Imperatoris fratris filius.

Cæleſtinus I. Valentiniani Imperatoris, amitæ ſuæ filii cognatus Germanus.

Felix 3. ex illuſtri Aniciorum proſapia, S. Gregorii Magni atavus.

Vigilius ex nobiliſſimo genere ortus, Joannis Conſularis viri filius.

Joan-

Joannes 3. cognomento Catellinus, Anaſtaſii viri illuſtris filius.

Gregorius M. Anicius, uti Felix 3. atavus.

Honorius 1. filius Petronii viri inter Conſull. præcipui.

Adrianus 1. natus Romæ, Patre Theodoro ſummæ nobilitatis viro.

Sergius 3. Romanus ex Comitibus Tuſculanis.

Joannes 10. Ravennas ex familia Cynthia.

Joannes 11. Sergii 3. filius, ex Comitibus Tuſculanis.

Joannes 12. ex Comitibus Tuſc.

Benedictus 7. laudatiſſimus Pontif. filius Comit. Tuſcul.

Gregorius 5. Germanus, affinis Othonis Imperatoris.

Benedictus 8. ex Comitibus Tuſculanis, frater Pontificis ſequentis.

Joannes 20. frater præcedentis, ex iiſdem Comitibus,

Benedictus 9. Alberici Comitis Tuſculani, duorum præcedentium Pontificum fratris filius.

Leo 9. Nobilis Germanus, Comes d' Asbourgh.

Victor 2. Germano-Bavarus, Comes Calbenſis, Henrici Tertii Imperatoris propinquus, & Conſiliarius.

Stephanus 10. filius & hæres Gozelonis Ducis Lotharingiæ, factus Monachus, & Abbas Caſſinenſis.

Benedictus 10. ex Comitibus Tuſculanis, quæ familia ſeptem Pontifices numerat.

Gregorius 7. Tuſcus ex Comitibus Petilianis, & ipſe Comes Petiliani.

Victor 3. Beneventanus, & Principis Beneventi filius primogenitus; intacta nobili Sponſa, veluti alter Alexius, clam aufugiens, eremum petiit.

Calliſtus 2. Burgundus Guilielmi Burgundiæ Comitis filius, Imperialis & Regiæ celſitudinis derivata conſanguinitate generoſus.

Reliquorum Pontificum nobilitatis inſignia extant; ſequiturque Prophetia Malachiæ, ex cujus interpretatione colligi poteſt, quales reliqui fuerint.

SECTIO X.

Pontifices tenui parentela nati.

DE S. PETRO Apoſtolorum, ac Pontificum Principe, piſcatorio manuum labore quondam victitante, hic non eſt loquendum; ſatis cum Fratre ſuo Andrea,

drea, & filiis Zebedæi nobilitatus eſt, dum audirent a Chriſto: *Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum*. & ipſe Petrus præ reliquis: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claves Regni Cælorum*; quæ Claves totius Pontificiæ Nobilitatis ſunt inſignia.

S. Dionyſius origine obſcura, quam auctor libri de Romanis Pontificibus inveniri poſſe negat: Pontus Heuterus de libera hominis nativitate eum ſpurium & illegitime natum ſcribit.

Joannes 18. Romanus ſcribitur fuiſſe ignobiliſſimus, Sicco antea vocatus.

Damaſus 2. Popo Bagniarius dictus, ignobilis quidam Bavarus, vir alioquin ingenioſus & negotiis tractandis dexter.

Adrianus 4. Anglus, natus matre eleemoſynis Eccleſiæ ſuæ Parochialis ali ſolita.

Urbanus 4. Gallus, is qui inſtituit feſtum Corporis Chriſti, natus fuit patre Cerdone.

Nicolaus 4. Ordinis Minorum Generalis, humili genere Aſculi in Picentibus ortus.

Cæleſtinus 5. natus parentibus

piis, ſed arctis domi rebus, ipſe filiorum undecimus.

Benedictus 11. Italus Ordinis Prædicatorum Matrem habuit pannorum lotricem: quam ſericis ornatam veſtibus agnoſcere diſſimulavit, in pannoſis agnovit.

Joannes 22. Gallus natus patre ſcrutario; ejuſque immediatus ſucceſſor ex ſorore Nepos.

Benedictus 12. Gallus patre molitore natus, eumq, in aliis quam molitoris veſtibus agnoſcere noluit; nihilque ei præter certam pecuniæ ſummam, quæ ſufficeret ad molam coemendam, dediſſe dicitur.

Bonifacius 9. de paupere (nobili quondam) familia ortus, Clericus vagabundus, fortunam experturus, Romam ſe conferens, fit Papa.

Alexander 5. natus in Candia, origine non tantum aliis, ſed etiam ſibi ignota: nam ſuos ipſe parentes ignorans, nihil de ſua extractione noverat, niſi quod puer pauper emendicato pane vixiſſet.

Nicolaus 5. Italus Medici filius, natus matre ovorum & pullorum inſtitrice, ſive annonaria.

Xyſtus 4. ortus in pago mari vicino, patre piſcatore; cum quo

eam

eam artem aliquamdiu exercuit; deinde factus Minorita, fit tandem Papa.

Adrianus 6. Belga natus Ultrajecti, patre naupego, ſive navium fabricatore.

Pius 5. de quo Genebrardus ait: ex Opilione Dominicanus, inde Cardinalis, demum ſummus Pontifex, cui illud pſalmi 77. competebat: *Elegit David ſervum ſuum, & ſuſtulit eum de gregibus ovium, de poſt fœtantes accepit eum, paſcere Jacob ſervum ſuum, & Iſrael hæreditatem ſuam.*

Xyſtus 5. patrem habuit villicum, manuum labore victitantem, alii Bubulcum, ſive Porcarium dicunt, ex Ordine Franciſcano ſummus Pontifex.

SECTIO XI.

Pontifices notæ non ita bonæ.

PApa 67. *Sabinianus*, Magni Gregorii diſſimilis ſucceſſor, obſcuro loco natus, moribus obſcurior: licet bona nonnulla Eccleſiæ præſtiterit, peſſima tamen avaritiæ nota inſignitus fuit, anteceſſoris ſui in pauperes liberalitatem, ut ſuam tenacitatem excu-

ſaret, ſiniſtre interpretatus; ob annonæ caritatem ab ipſo adauctam, populo Romano inviſus, defunctus ſine funebri pompa ſepultus fuit.

116. *Stephanus* 7. ſacrilegus in deceſſorem Formoſum, cujus corpus exhumatum degradari, & in Tiberim projici juſſit, quod eum a Papatu prius obtinendo arcuiſſet, in carcere ſtrangulatus ambitionis & crudelitatis ſuæ pœnas dedit.

122. *Christophorus* ignota origine, doloſus Sedis invaſor, ejuſque ſucceſſor.

123. *Sergius* 3. etiam exiſtens Pontifex, famoſus ſcortator.

134. *Joannes* 12. electus decimoſeptimo ætatis anno nondum expleto, venationi magis, quam Dei venerationi vacavit; auditu indigna de illo narrantur.

140. *Bonifacius* 7. Pontificatum malis artibus adeptus male etiam amiſit: nam Urbem relinquere coactus, pretioſiſſima quæque ex Vaticana Baſilica ſubtrahens, Conſtantinopolim fugit fur ſacrilegus.

147. *Silveſter* 2. virulentis ante Papatum contra Sedem Apoſtolicam ſcriptis infamis, cum ob Simoniam dignitatibus Eccleſiaſticis legi-

legitime fuiſſet depoſitus, quibus neſcio deinde artibus, fit Pontifex, tanta Sede, ut Spondanus ait, indignus: quam tamen non ita male rexit.

153. *Benedictus 9.* decem annorum puer, in Sede Petri poſitus, Pontifex dein malæ vitæ & mortis: vide Notitiam in Damaſo 2.

201. *Bonifacius 8.* de eo refertur, quod Papatum ut vulpes intravit, ut lupus regnavit, ut canis expiravit. extant ipſius litteræ ad Philippum Pulchrum Regem Franciæ, Regiſque ad ipſum; unde qualis habitus fuerit, colligi poteſt.

215 *Joannes 23.* ultimus Joannum, armatura magis corporali, quam ſpirituali inſtructus, a Concilio Conſtantienſi deponitur.

223. *Innocentius 8.* Pontus Heuterus Tractatu de libera hominis nativitate, eum illegitimo toro natum profert: deque ejus incontinentia nonnulli nonnihil ſcribunt, uti de ſucceſſore ejus; qui fuit

224. *Alexander 6.* cujus vitia virtutes æquabant, vel etiam ſuperabant: quomodo in vita dominatus, & in fine defunctus fue-

rit, legatur Platina & reliqui hiſtoriæ Pontificiæ Scriptores.

SECTIO XII.

Minus literati notantur.

B*Enedictus Decimus* nullius plane ingenii, quem Baronius Tomo 11. ad annum 1058. num. 10. tanquam illegitime electum, ſeu intruſum, & intra annum Sede expulſum fuiſſe narrat.

Cæleſtinus 5. ad cujus coronationem ducenta hominum millia, propter rei novitatem confluxiſſe referuntur; quod homo Eremita, literarum rudis, & linguæ latinæ ignarus, uti ex Cardinali Sirleto Ciaconius narrat, ſed ſanctitate eximius, ad tantum dignitatis faſtigium eveheretur.

Bonifacius 9. Grammaticam tantum, & parum in Rhetorica audierat, Clericus vagabundus fortunam tentans, Romam venit, & fit Papa ætatis ſuæ tantum 30. aut ad ſummum 34. annorum. Notatur nimii erga propinquos affectus: commendatur, quod mori potius elegerit, quam caſtitatis, ex medicorum contra calculum conſilio, jacturam facere.

Pau-

Paulus 2. prius mercator, audiens Avunculum ſuum Eugenium 4. factum eſſe Papam, Romam ſe contulit, ubi adhibito præceptore, parum latine loqui didicit. factus ab Avunculo Cardinalis, tertius poſt illum fit Pontifex: mox literatos omnes ab aula ſua proſcripſit, eoſque ut hæreticos oderat; parentibus ſuadere ſolitus, ſatis eſſe liberos ſuos inſtruere, ut legere & ſcribere ſcirent, altiora ſtudia, quorum ipſemet ignarus erat, neceſſaria non eſſe.

Quia vero literatos, & qui ſcriptis claruerunt recenſere prolixum nimis foret: inſpici poterit *Bibliotheca Pontificia* edita a F. Ludovico a S. Carolo Carmelita.

SECTIO XIII.

Juvenes, & in ætate non provecta ad Papatum aſſumpti: quotq; annis ſederint.

ALexander 1. vir ætate juvenis (quot annorum, Auctores non narrant) ſed moribus, ſcientia, ac ſanctitate incomparabilis, ſedit annis 10. & menſibus fere ſex.

Joannes 11. Juvenis annorum

viginti cum aſſumeretur, ſedit tantum annis 4. menſibus 10.

Joannes 12. annorum tantum ſexdecim, inter annum Pontificatus nonum & decimum defunctus.

Benedictus 9. puer decem annorum, annis fere undecim, ſed interpolate, regnavit.

Innocentius 3. vir annorum tantum triginta, laudabiliter ſedit annos 18. menſes 6. dies 9.

Gregorius 11. annorum 35. cum aſſumeretur, præfuit annis 7. & menſibus fere 3.

Bonifacius 9. annorum 30. aut 34. cum eligeretur, cum moreretur, 45.

Leo 10. annorum 30. aut paulo plus; quadragenarius tantum cum moreretur.

Sint licet aſſumpti Juvenes ad Pontificatum,
Petri annos potuit nemo videre tamen.

SECTIO XIV.

Pontifices aliquot dierum, qui menſem in Papatu non impleverunt.

S*Iſinius* fuit Pontifex dierum viginti.

Ste-

Stephanus 2. dierum tantum trium.

Valentinus diebus triginta ſedit.

Bonifacius Sextus quindecim.

Theodorus Secundus diebus. viginti.

Damaſus Secundus viginti tribus

Cæleſtinus Quartus ſeptemdecim.

Vice-dominus Nepos Gregorii 10. dictus per aliquot horas Gregorius 11. ſed propter exiguitatem temporis vix pro Pontifice habitus, ipſo die electionis obiit.

Pius Tertius ſedit diebus viginti ſex.

Marcellus Secundus viginti duobus.

Urbanus ſeptimus diebus duodecim.

Leo Undecimus diebus viginti quinque.

SECTIO XV.

Pontifices aliquot menſium, qui annum in ea dignitate non viderunt.

X*Yſtus* 2. menſes 11. dies 12.

Marcus menſes 8.

Sabinianus menſes quinque, dies 19.

Bonifacius Tertius menſes octo, dies 23.
Leo 2. menſes 10. dies 17.
Benedictus 2. menſes 10. dies 27.
Conon menſes 11. dies 3.
Stephanus 5. menſes 5. dies 3.
Romanus menſes fere 4.
Leo 5. menſem 1. dies 10.
Chriſtophorus menſes 8.
Lando menſes 6. dies 21.
Leo 6. menſes 6. dies 15.
Benedictus 5. menſ. 6. dies 5.
Donus 2. menſes 3.
Bonifacius 7. menſes 7. dies 15.
Joannes 14. menſes 8.
Joannes 16. m. 4. & dies aliquot.
Joannes 18. menſes 5.
Silveſter 3. menſem 1. dies 19.
Clemens 2. menſ. 9. dies 15.
Stephanus 10. menſ. 7. dies 8.
Benedictus 10. menſ. 9. d. 20.
Cæleſtinus 2. m. 5. d. 13.
Lucius 2. m. 11. d. 14.
Gregorius 8. menſ. 1. dies 27.
Innocentius 5. menſ. 5. dies 5.
Adrianus 5. menſ. 1. d. 9.
Joannes 21. menſ. 8. dies 8.
Benedictus 11. menſ. 8. d. 6.
Alexander 5. menſ. 10. dies 8.
Gregorius 14. menſ. 10. d. 10.
Ejuſque ſucceſſor
Innocentius 9. menſes tantum duos ſedit.

SECTIO XVI.

Papæ eo Pontificatus anno, & interdum menſe mortui, quem numerus Nominis denotabat.

Anterus ſolus nominis hujus Papa primo Pontificatus anno Martyr occubuit.

Felix 2. illegitime primum ſedens; anno dein ſecundo legitimæ ſeſſionis, Martyrio vitam finivit.

Zoſimus unicus hujus nominis, unico anno Pontifex fuit.

Anaſtaſius 2. anno Pontificatus ſecundo obiit.

Felix 4. anni & nominis quarti Papa.

Bonifacius 2. uti nomine, ita Pontificatus anno ſecundo obiit.

Sabinianus primus & ſolus ita dictus, intra primum annum menſe ſexto mortuus eſt.

Severinus unici nominis & anni Pontifex.

Conon primi anni menſe duodecimo fere expleto deceſſit.

Siſinius unicus hoc nomine, primi menſis die vigeſimo arthritide conſtrictus e vivis exceſſit.

Stephanus 4. quarto Pontificatus anno defunctus.

Ste-

Stephanus 5. quinque dumtaxat menſium Pontifex.

Valentinus unus, unius menſis Papa.

Benedictus 3. tertii anni Pontifex.

Martinus 2. (alii Marinum vocant) anni ſecundi menſe ſecundo defunctus.

Stephanus 6. ſex annorum Papa.

Romanus primus & ſolus, anni primi menſe quarto interiit.

Benedictus 4. anno quarto.

Christophorus primus, anni primi menſe octavo: ejuſque ſucceſſor

Sergius 3. anno tertio.

Lando 1. anni primi menſe ſexto.

Victor 2. annis duobus præfuit.

Nicolaus 2. inter ſecundum & tertium annum, &

Adrianus 4. inter quartum & quintum mortui.

Clemens 3. annorum & menſium trium Pontifex.

Urbanus 4. & *Clemens* 4. immediati ſucceſſores quatuor prope annorum Pontifices.

Innocentius 5. menſium quinque ac totidem dierum Pontifex.

Nicolaus 3. triennio jam fere peracto ſublatus.

Martinus 4. & *Nicolaus* 4. quatuor annorum Pontifices.

Ca-

Cæleſtinus 5. poſt menſem quintum Pontificatu ſe abdicavit.

Bonifacius 8. ſedit annos octo, & aliquot menſes.

Calliſtus 3. trium annorum & trium menſium.

Innocentius 8. annorum octo, uti nominis, Pontifex.

Paulus 4. anni quarti, & menſis tertii Papa.

Gregorius 13. annorum totidem quoti nominis Pontifex, ejuſque Succeſſor

Xyſtus 5. annorum quinque & quatuor menſium.

Innocentius 10. decem annorum Pontifex.

SECTIO XVII.

Papatus præ reliquis diuturnus.

Vigeſimum excedere annum notantur ſeptem poſt Petrum Pontifices; qui primus Chriſti Vicarius annis fere 25. locum ejus Romæ tenuit; cujus annos nemo legitimorum Pontificum hactenus vidit: unus fuit Pſeudo-pontifex Petrus de Luna Hiſpanus Arragonenſis Benedictus 13. dici ſuſtinens qui in ſchiſmate ultra 30. annos obſtinatiſſimus vixit & mortuus eſt: ſed

ſed vel hoc ipſo ſuum Antipapatum ſatis probavit, quod annos Petri non tantum viderit, ſed exceſſerit. Diutiſſimus itaque poſt Petrum fuit

Adrianus Primus Pontifex annis viginti quatuor, ſeſquimenſe minus; cujus ſucceſſor

Leo Tertius per annos viginti, menſes 5. dies 17. Papa fuit: ita ut ſpatio annorum 45. Roma tantum duos Pontifices viderit.

Alexander Tertius ſedit annis 22. ſeptem diebus minus.

Silveſter Primus annis 21. menſibus 10. die uno.

Urbanus Octavus vixit in Pontificatu annos 21. menſem unum, dies 24.

Leo Primus, Magnus dictus, an. 20. menſ. 10. d. 28. Ad ſex iſtos, qui annum vigeſimum exceſſerunt proximè accedunt quatuor annorum octodecim Pontifices: *Innocentius* 3. qui annis 18. menſ. 8. *Paſchalis* 2. qui 18. annis, menſibus fere ſex; & *Joannes* 22. qui 18. annis & 4. menſibus, ac *Zephyrinus*, qui annis & diebus octodecim, in Pontificatu vixerunt.

Clemens XI. noſtro ſæculo Romanam Eccleſiam adminiſtravit annos 20. menſes 3. dies 24.

SE-

SECTIO XVIII.

Pontifices, qui Imperatores coronarunt, & Regibus ac Principibus Chriſtianis nomen aliquod decuſque addiderunt.

MOs coronandi Imperatorem Romanum a Carolo Magno conſuetudinem cœpit: ante quem nullus Imperator coronatus legitur, præter Juſtinum Thracem, Seniorem dictum, qui licet ab Epiſcopo Conſtantinopolitano diadema accepiſſet, a Joanne tamen Primo, cum Theodoricus Rex Arianus vexaret Italiam, Conſtantinopolim profecto, coronari expetiit, & coronatus fuit anno 525. diu itaque poſt

Leo Tertius imminente anno 801. octavo Kalendas Januarii, hoc eſt die Nativitatis Chriſti 800. coronavit Romæ Carolum Magnum Imperatorem.

Stephanus 5. Ludovicum Pium Caroli Magni filium Rhemis 4. kalendas Novembris, anno 816.

Paſchalis 1. feſto Paſchali Dominicæ Reſurrectionis anno 823. coronavit Lotharium, Ludovici filium.

Ser-

Sergius 2. Ludovicum 2. Lotharii filium, vivente patre Monaſterium Prumiacenſe ingreſſo coronavit Romæ anno 844.

Joannes 8. intra decem Pontificatus ſui annos coronavit tres Franciæ Reges Imperatores: Carolum 2. Calvum, anno 876. Ludovicum 3. Balbum, anno 878. & Carolum 3. Craſſum anno 881. quod nulli Rom. Pontificum contigit.

Formoſus coronavit Arnulphum Carolomanni filium, an. 895.

Joannes 10. Berengarium, contra Arnulphum ab Italis electum, coronavit anno 914. deinde ob diſſenſiones, Imperatores tres, Ludovicus Quartus, Conradus, & Henricus cognomento Auceps (hic ſibi ſatis eſſe ajebat: quod haberetur a ſuis pro Imperatore) a Pontificibus Romanis coronati non fuerunt; quibus ſucceſſit Otho Magnus, primus ex Germanis Imperator, ſub quo diſſidium componi cœpit; quem tandem

Joannes 12. anno 962. coronavit Romæ ipſo die Natalis Chriſti.

Joannes 13. Othonem juniorem præcedentis filium, cum uxore Theophania, Nicephori Græcorum Imperatoris filia, Romæ ipſo die Natalis Domini an. 968.

Gre-

Gregorius 5. Othonem 3. præcedentis filium, ibidem in Pentecoſtę anno 998.

Benedictus. 8. Henricum 2. ſanctum, cum uxore ſancta Cunegunde, Romæ die ſancto Paſchæ anno 1014.

Joannes 20. Benedicti præcedentis Papæ frater, & immediatus ſucceſſor coronavit anno 1027. ipſo die Paſchæ Conradum 2.

Clemens 2. anno 1047. Henricum 3. cum uxore Agnete, Romæ, in Nativitate Domini.

Nicolaus 2. coronavit ibidem in die Paſchæ Henricum 4. an. 1058.

Paſchalis 2. Henricum 5. idibus Aprilis anno 1111. Romæ.

Innocentius 2. Lotharium 2. qui Papam ob Schiſma Petri Leonis fugitivum cum exercitu magno Romam reduxit, ibique ab eo coronatus eſt pridie Nonas Julias anno 1134. eique, ceu legitimo Pontifici, Schiſmatis tempore fideliter adhæſit.

Eugenius 3. coronaſſet an. 1152. Conradum 3. niſi dum hic ad motus Italicos compeſcendos, & ad Coronam accipiendam, expeditionem in Italiam pararet, non ſine veneni ſuſpicione, extinctus fuiſſet.

Adria-

Adrianus 4. coronavit Romæ 14. Kalendas Julii anno 1155. Fredericum Primum, qui Ænobarbus, ſive Barbaroſſa dicebatur.

Cæleſtinus 3. Henricum 6. Barbaroſſæ filium, ibidem anno 1191. Feria ſecunda Paſchatis, cum ipſe pridie conſecratus fuiſſet.

Innocentius 3. Idibus Octobris anno 1209. coronavit Romæ Othonem 4. Philippus vero Pſeudo-Imperator Moguntiæ coronatus fuit.

Honorius 3. Decimo Kalendas Decembris anno 1220. coronavit Romæ Fredericum 2. Hic male ſe contra Eccleſiam gerens, Imperio privatus eſt ab Innocentio Quarto in Concilio Lugdunenſi anno 1245. cui ſubſtitutus fuit Henricus Thuringus D. Eliſabethæ filius, dein Guilielmus Hollandus, hinc Richardus Anglus, ac demum Alphonſus Caſtellæ Rex; qui coronati non fuerunt; ſed tenetur poſt depoſitionem Frederici Imperium vacaſſe per annos 34. uſque ad Rudolphum Hasburgicum.

Gregorius 10. cum Rudolphus Hasburgicus electus Imperator Aquiſgrani coronatus fuiſſet, dein Loſannam Helvetiorum ad Gregorium hunc ſe conferens, ab illo confir-

ma-

matus, ac Imperii inſignibus decoratus fuit anno 1273. ſecundum antiquum hoc ibidem diſtichum:

Bis ſexcenti, ſeptuaginta treſque ſtetere
Anni, Loſannæ cum Rex & Papa fuere.

In Italiam vero numquam venit ob factiones Guelphorum & Gibellinorum; uti duo ſequentes Imperatores Adolphus Naſſavius, & Albertus Auſtriacus, qui a Papa coronati non fuerunt. cumque Albertus Rudolphi Hasburgici filius contra Adolphum prætenderet Imperium, eſſetque inter illos ſumma contentio, *Bonifacius* 8. illud ſibi aſcribens ſtitit ſe in publico Romæ, primo die in habitu Pontificali Benedictionem populo impertiens, poſtridie in habitu Imperiali, Coronam Imperatoriam in capite geſtans, prælatis ſibi per Spatharium gladiis duobus; cumque ſediſſet in throno, alta voce clamavit: *Ecce duo gladii hic*; Pontificiæ nimirum & Imperatoriæ poteſtatis: ſequenti vero anno cedens confirmavit electionem Alberti ea conditione, ut Imperator Regi Franciæ Philippo Pulchro, quem ob redditus Eccleſiaſticos ſibi negatos excommunicaverat, ar-

mis

mis ſe opponeret, eoque Regno privato, Regni titulum ipſe Papa geſtaret: unde maximæ diſſenſiones inter Bonifacium Papam, & Philippum Regem ortæ ſunt.

Clemens 5. ea conditione Henrico 7. ratum fecit Imperium, uti primo quoque tempore in Italiam ſe conferret: quo cum tenderet, coronatus eſt primum Mediolani corona ferrea, deinde Romæ aurea per Cardinales eo deſtinatos a Pontifice Avenione ſe tenente anno 1312. tertio Kalendas Julii.

Nicolaus 5. Antipapa, alias Petrus de Corbario, procurante Ludovico 5. contra Joannem 22. Avenione reſidentem, Romæ electus, coronavit ibidem hunc Ludovicum, cum uxore anno 1327. Kalendis Junii feſto Pentecoſtes; cujus depoſitionem Clemens Sextus fieri mandat ab Electoribus, niſi jus electionis velint amittere, itaque Joannis Bohemiæ Regis primogenitus eligitur, Carolus Quartus dictus.

Innocentius 6. Avenione reſidens Carolum Quartum per duos Cardinales Romæ coronari fecit die Paſchatis anno 1355. cumque Papa ipſe dein ſemel Romam veniſſet, Carolus Imperator eo mox

ad-

advolavit, exhibuitque Papæ ſtratoris officium, ac in ejus Miſſa ſolemni Diaconus cantavit Euangelium: hujus filius Vvenceslaus patri vita & moribus diſpar, Cæſarum ignaviſſimus Imperator electus, coronatus numquam fuit, ſed depoſitus, & ejus loco ſubſtitutus eſt Rupertus Bavarus, & confirmatus a *Bonifacio Nono*; qui Romam pro coronatione contendens a Vvenceslai factionariis in via impeditus fuit: ſuffectus deinde Judocus Moravię & Brandemburgi Dominus per medium tantum annum, etiam coronatus non fuit.

Eugenius 4. anno 1432. 15. Kalend. Junii, in Pentecoſte coronavit Romæ Sigiſmundum juniorem, Caroli 4. filium, Vvenceslai fratrem: dein Albertus Sigiſmundi gener, uno dumtaxat anno & decem menſibus Cæſar, coronatus non fuit.

Nicolaus 5. Fredericum 3. cum Uxore Eleonora Luſitana, recèns Senis in Bacchanalibus in uxorem ducta, in Quadrageſima 16. Kalendas Aprilis, ſive 27. Martii anno 1451. Romæ coronavit: qui abſtemius vinum non bibens, annos prope 54. imperavit.

Julius 2. anno 1590. Maximilia-

num

num Frederici filium in Italiam invitavit, eum poſtea coronaturus, ad opem ſibi contra Venetos ferendam; cum quibus dein alternante belli fortuna, Julius fœdus iniens, Maximiliano ipſi bellum indixit; ita ut coronatus non fuerit.

Clemens 7. coronavit Carolum 5. Imperatorem, Bononiæ anno 1529. die feſto S. Mathiæ, Carolo Natali: poſt quem nulli Imperatores a Pontificibus Romanis coronati fuerunt.

Nomen aliquod decuſque ſequentes Pontifices Chriſtianis Principibus addiderunt.

Honorius 1. Suintillam Hiſpaniæ Regem *Catholicum* nominavit; quod nomen occupata per Mauros Hiſpania, per annos prope octingentos intermiſſum, *Innocentius* 8. Ferdinando Caſtellæ Regi retribuit: ejuſque ſucceſſor *Alexander* 6. decrevit, ut *Catholicus* proprius & hæreditarius Hiſpaniæ Regum eſſet Titulus.

Gregorius 3. Carolum Martellum Brabantiæ Ducem a Francis in Regem electum, *Chriſtianiſſimum* appellavit.

Stephanus 3. Imperium Romanum a Græcis ad Latinos tranſtulit

lit

lit in Pipinum Brevem Galliæ Regem.

Leo 3. Inſtituit morem quod Pontifex Romanus coronet Romanorum Imperatorem.

Silveſter 2. Sanctum Stephanum Hungarorum Ducem, qui Pannoniam ad Chriſti fidem perduxerat, Regis nomine, regioque diademate donavit, & non ſolum ipſi, quod virum Apoſtolicum decebat, ſed etiam ejus ſucceſſoribus Crucis præferendæ poteſtatem fecit.

Benedictus 8. Pomum Aureum inſerta Cruce dedit S. Henrico Imperatori; qui Advocatus & Patronus, ac Defenſor S. R. Eccleſiæ nominatus fuit: quod Imperii inſigne & hodie geſtant Imperatores.

Innocentius 4. Conſtituit ſeptem Imperii Electores, tres Eccleſiaſticos Præſules: Moguntinenſem, Trevirenſem, Colonienſem; quatuor Sæculares: Regem Bohemiæ, Ducem Saxoniæ, Marchionem Brandenburgicum, & Comitem Palatinum.

Clemens 5. indulſit Regibus Franciæ Communionem ſumere ſub utraque ſpecie; quo privilegio adhuc utuntur in die quo ſacrantur, & quo moriuntur.

Leo 10. Henricum 8. Angliæ Regem, Fidei Defenſorem appellavit.

Paulus 3. Carolum 5. Imperatorem, Carolum Maximum dixit.

Pius 5. Coſmam Mediceum, Ducem Florentiæ, Senarum & Piſarum, Magni Ducis Etruriæ titulo cohoneſtavit, non ſine aliqua aliorum Principum obtrectatione.

SECTIO XIX.

Pontifices qui primi leguntur Sanctum aliquem in Divorum Canonem retuliſſe, uſque ad annum Chriſti 1000.

LEo 3. S. Suibertum Vveſtphalorum Apoſtolum primus, ſolemni ritu, præſente Carolo Magno, canonizaſſe legitur anno Chriſti 800.

Joannes 15. anno 993. Synodum Romæ celebravit, in qua Udalricum Auguſtanum Epiſcopum in Sanctorum numerum retulit, ut conſtat ex diplomate canonizationis, quod extat apud Baronium ad annum citatum §. 2.

Leo 9. SS. Gerardum Tullenſem in Lotharingia, & Vvolfangum Ratis-

Ratisbonenſem in Germania Epiſcopos Divis aſcripſit.

Benedictus 9. S. Simeonem Monachum Trevirenſem; de quo Martyrologium Rom. Kalendis Junii.

Urbanus 2. S. Attillanum Epiſcopum Zamorenſem; de quo idem 5. Octobris.

Antea moris erat, cum aliquis Martyrio occubuiſſet, ut Epiſcopus, ſub cujus ditione id accidiſſet, rem geſtam ſcriberet ad Primatem; a quo mature adhibitis in conſilium Collegis Epiſcopis, an inter Martyres eſſet recipiendus, decernebatur: nam antiquitus tantum Martyres colendi proponebantur. vide Onomaſticon in voce *Martyrologium*.

SECTIO XX.

Pontifices, qui annum Jubilæum celebrarunt.

B*Onifacius Octavus* Jubilæum primus inſtituit, centeſimo quoque anno celebrandum: quod anno ſæculari 1300. magno populi concurſu Romæ celebravit.

Clemens 6. conſiderans pauciſſimos ad annum centeſimum perve-

nire, Jubilæum, veteris legis exemplo, ad annum quinquageſimum reduxit, & anno 1350. Avenione celebravit.

Urbanus 6. Jubilæum anno trigeſimotertio Romæ celebrandum indixit, intuitu paris numeri annorum vitæ Chriſti; ex quo omnes Indulgentiæ promanant: conceſſitque anno 1383.

Bonifacius 9. anno ſæculari 1400. illud more ordinario celebravit.

Nicolaus 5. anno 1450. quintum Jubilæum promulgavit: quod Mechliniæ anno ſequenti 1451. cum maximo Belgarum concurſu celebratum fuit; uti patet ex inſcriptione Flandrica in abſide Chori S. Rumoldi.

In't Iaer M.CCCC. *vyftigh een, vvas d'Iaer van Jubileen hier ghemeen, doen vvert gesloten deſen ſteen.*

Paulus II. ſtatuit Jubilæum (a Bonifacio 8. centeſimo quoque anno celebrari primo inſtitutum, a Clemente 6. ad annum quinquageſimum, ab Urbano 5. ad trigeſimumtertium reductum; a Nicolao 5. juxta Clementis conſtitutionem, quinquageſimo iterum anno celebratum) deinceps ſingulis vicenis quinis annis in perpetuum celebrari, incipiendo ab anno proximo

ximo 1475. quod morte præventus celebrare non potuit; ſed ſucceſſor ejus

Xyſtus 4. celebravit primum Jubilæum viginti quinque annorum anno 1475.

Alexander 6. ſecundum viginti quinque annorum anno 1500. & ſic deinceps.

Clemens 7. anno 1525. *Julius* 3. anno 1550.

Gregorius 13. anno 1575. *Clemens* 8. an. ſæculari 1600.

Urbanus 8. anno 1625. *Innocentius* 10. anno 1650.

Clemens 10. anno 1675. *Innocentius* 12. anno 1700.

Etiam extra conſuetum 25. annorum terminum, pro publica Eccleſiæ neceſſitate Pontifices ſubinde Jubilæa concedunt, præſertim ubi primum ſunt conſecrati: uti *Clemens* 9. tempore obſidionis Candiæ, an. 1668. & *Clemens* 10. dum anno 1670. Pontificatum iniret, & ſub finem anni 1672. contra Turcas Poloniam invadentes.

SECTIO XXI.

Avenione in Gallia Sedem tenuerunt ſeptem Pontifices conſequentes Galli.

C*Lemens* 5. Vaſco Burdigalenſis, Sedem Apoſtolicam Roma Avenionem tranſtulit, anno 1305. ubi illa manſit ultra ſeptuaginta annos; quam reſidentiam Gallicam Romani Judæorum captivitati Babylonicæ comparant. Secuti ſunt ibi Clementem *Joannes* 22. Cadurcenſis. *Benedictus* 12. Toloſanus. *Clemens* 6. Lemovix. *Innocentius* 6. Lemovix. *Urbanus* 5. Lemovix. *Gregorius* 11. etiam Lemovix; hic Sedem Petri Romam reduxit, Avenione diſcedens 13. Septembris anno 1376. & poſt varias in mari jactationes, tandem 17. Januarii 1377. Urbem ingreſſus eſt; unde paulo poſt Schiſma omnium in Eccleſia longiſſimum, quinquaginta nempe annorum exortum eſt: nam eo defuncto, contra Urbanum 6. legitimum ſucceſſorem Romæ electum, Avenione electus fuit Cardinalis Gebennenſis, Clemens 7. vocatus, qui cum aliquot Cardinalibus ibi dominatus eſt; cui in Schiſ-

Schiſmate mortuo, ſuffectus fuit Petrus de Luna Hiſpanus, qui Benedictus 13. dici voluit: eoque poſt triginta annos in Schiſmate continuatos, obſtinatiſſime defuncto, a Schiſmaticis electus fuit Ægidius de Munio, Clemens 8. dictus; qui tandem perſuaſu Petri Cardinalis de Fuxo, ex Ordine Minorum, Antipapatu ſe abdicavit; ſicque ceſſavit longiſſimum illud Schiſma.

SECTIO XXII.

Pſeudo-Pontifices & Schiſmatici.

	Anno Christi.
Primum in Eccleſia Schiſma excitatum fuit adverſus Cornelium a Novatiano.	254.
Secundum contra Liberium a Felice Secundo, qui defuncto Liberio legitime ſedit.	354.
Tertium contra Damaſum ab Urſicino.	367.
Quartum excitavit Eulalius contra Bonifacium.	420.
Quintum Laurentius contra Symmachum.	498.
Sextum Dioſcorus contra Bonifacium Secundum.	530.
Septimum Vigilius contra Silverium, qui defuncto Silverio legitime electus fuit.	537.

687. Octavum Theodorus & Paſchalis contra Sergium.

768. Nonum quidam Laicus Conſtantinus 2. dici volens, intruſus a fratre ſuo Totone Principe potenti, dum vacaret Sedes menſibus tredecim inter Paulum 1. & Stephanum 4.

824. Decimum Zinzinius contra Eugenium 2.

855. Undecimum Anaſtaſius Presbyter contra Benedictum Tertium.

891. Duodecimum Sergius Diaconus contra Formoſum.

907. Decimumtertium inter hos tres: Leonem 5. Chriſtophorum, & Sergium 3.

964. Decimumquartum Leo Protoſcriniarius contra Benedictum 5.

974. Decimumquintum Bonifacius 7. prius expulſus, denuo reverſus contra Joannem 14.

996. Decimumſextum Joannes Epiſcopus Placentinus contra Gregorium 5.

1045. Decimumſeptimum Silveſter 3. & Gregorius 6. contra Benedictum 9. & ſic tres ſimul Papæ Romæ reſidebant, contra quos quartus, Clemens 2. ſuffectus fuit.

1061. Decimum octavum Cadolus Epiſcopus Parmæ contra Alexand. 2.

1080. Decimumnonum Guibertus Epiſco-

ſcopus Ravennas, dictus Clemens 3. contra Gregorium 7.

Vigeſimum Albertus, Theodorus, & Silveſter conſequenter intruſi contra Paſchalem 2. 1101.

Vigeſimum primum Mauritius Burdinus contra Gelaſium 2. 1118.

Vigeſimumſecundum Petrus Leonis, dictus Anacletus 2. contra Innocentium 2. 1130.

Vigeſimumtertium quatuor ſchiſmatici: Octavianus de Monticello, dictus Victor 4. Guido Cremonenſis, Paſchalis 3. Joannes Strumenſis, Calliſtus 3. & Lando Innocentius 3. dici volentes; contra ſolum & verum Pontificem Alexandrum 3. poſt quas turbas per duo fere ſæcula ceſſarunt ſchiſmata. 1159.

Vigeſimumquartum, Petrus de Corbario Franciſcanus, dictus Nicolaus 5. contra Joannem 22. 1325.

Vigeſimumquintum omnium longiſſimum incœpit Robertus Cardinalis Gebennenſis contra Urbanum 6. dictus Clemens 7. decimoſexto Schiſmatis hujus anno mortuus: & conſequenter Petrus de Luna, Benedictus 13. dici volens; hocque Hiſpano in Hiſpania, trigeſimo Antipapatus ſui, ac quadrageſimoſexto ſchiſmatis incœpti anno obſtinatiſſime defuncto, ſuc- 1378.

ceſſit in ſchiſmate Ægidius de Munio, Clemens 8. vocatus, qui poſt annum ſui Antipapatus quintum abdicavit: & ſic Schiſma quod per duos & quinquaginta annos duravit, extinctum fuit.

1439. Vigeſimumſextum & ultimum Amadeus Sabaudiæ Dux, electus a Concilio Baſileenſi contra Eugenium 4. Felix 5. nominatus: qui poſt annos Schiſmatis fere decem, cognito errore non ſua culpa commiſſo, conceſſit Nicolao 5. Eugenii ſucceſſori; ſicque ultimo extincto Schiſmate dicebatur:

Lux fulſit m... o, ceſſit Felix Nicolao.

A quo malorum omnium peſſimo Deus Eccleſiam jam per annos ducentos & fere octogintaquatuor liberavit, & impoſterum, uti rogamus & ſperamus, eſt liberaturus.

SECTIO XXIII.

Diuturnæ Sedis Apoſtolicæ vacationes.

Omnium longiſſima fuit circa annum 1270. poſt Clementem 4. dum Sedes vacavit per annos fere 3.

Huic diuturnitate proxima fuit anno

anno 1414. poſt depoſitionem Joannis 23. quando vacavit annis duobus, & fere dimidio.

Tertia, anno 1314. poſt Clementem Quintum annis duobus, & fere 4. menſibus.

Quarta, anno 1292. poſt Nicolaum Quartum annis duobus, menſibus 3. diebus 2.

Sic quatuor notabiliores fuere Sedis vacationes, ſingulæ ultra 2. annos: ut autem per ſeriem annorum referantur, notandum eſt, quod uſque ad annum Chriſti 250. Sedes Apoſtolica nunquam per menſem integrum vacaverit: quum poſt Fabianum Papam 21. vacavit per medium fere annum; poſt quem tandem electus fuit Cornelius, ſub quo primum in Eccleſia ſchiſma exortum eſt: deinde fuere ſucceſſores Lucius, & Julius, & poſt ſingulos ultra menſem vacavit: tandem poſt horum duorum ſucceſſorem Xyſtum 2. propter immaniſſimam perſecutionem, ſine Paſtore fuit Romana Eccleſia per integrum fere annum; quum anno 260. electus eſt Dionyſius. hinc per tria fere ſæcula nullæ notabiles fuere vacationes.

Anno 530. poſt Bonifacium 2. vacavit Sedes ultra menſes tres.

An. 535. poſt Agapetum uſque ad electionem Silverii per duos, deinde uſque ad ejus ordinationem per ſeptem fere menſes, quo mortuo vacavit menſibus tribus, diebus quinque, hocque mortuo uſque ad electionem Joannis Tertii menſibus fere tribus; uſque ad ordinationem fere quinque: poſtque hunc Joannem 3. ultra menſes decem.

Circa annum 595. Poſt Pelagium 2. menſes 7. deinde poſt ejus ſucceſſorem Gregorium Magnum m. 6.

605. Poſt Bonifacium 4. Tertii ſucceſſorem ultra menſes quinque.

637. Poſt Honorium 1. per annum & 8. fere menſ. poſt ejus ſucceſſorem Severinum menſes fere 5.

654. Poſt Martinum primum per menſes fere 9.

Poſt Agathonem menſibus ſeptem.

684. poſt Leonem 2. per annum.

757. poſt Paulum 1. per annum & menſem, deinde duobus ſæculis tranſactis.

964. Poſt Leonem 8. per octo menſes & 22. dies.

965. Poſt Gregorium 5. per 8. menſes & 13. dies.

1047. Poſt Clementem 2. menſes 9. & 7. dies.

1054. Poſt Leonem 9. menſes 11. dies 24.

1085. Poſt Gregorium 7. per integrum annum.

Poſt Victorem 3. Gregorii ſucceſſorem per medium annum. dein poſt duo fere ſæcula.

1261. Poſt Alexandrum 4. menſes & dies tres.

Poſt Urbanum 3. Alexandri ſucceſſorem menſes quatuor, dies 2.

1270. Poſt Clementem 4. Urbani 4. ſucceſſorem fuit longiſſima omnium vacatio per annos ferme tres; nempe annis duobus, menſibus 9. diebus 2.

Poſt Joannem 21. per medium annum.

Poſt Honorium 4. menſes 10. dies 18.

1292. Poſt Nicolaum 4. Honorii ſucceſſorem longa vacatio annorum duorum, menſium trium, & duorum dierum.

1304. Poſt Benedictum undecimum vacavit Sedes fere per annum.

1314. Poſt Clementem 5. Benedicti ſucceſſorem, qui Sedem Avenionem tranſtulit, longa etiam fuit vacatio annorum duorum, menſium trium, dierum 17.

1415. Poſt Joannis 23. depoſitio-

tionem vacavit iterum Sedes per annos duos, menſes 5. dies decem.

Poſtmodum nullæ fuere notabiles Sedis Apoſtolicæ vacationes, niſi forte anno 1559. poſt Paulum 4. per menſes 4. dieſque 7. & ſuperiori ſæculo, anno 1655. poſt Innocentium decimum per menſes ipſos tres, a 7. Januarii uſque ad 7. Aprilis, quum electus fuit Alexander Septimus, & anno 1670. poſt Clementem Nonum per menſes quinque, & dies viginti, cum in Petri Sede collocatus eſt Clemens Decimus.

SECTIO XXIV.

Pontifices non ex Cardinalibus aſſumpti.

QUamquam decretum fuerit in Concilio Romano ſub Stephano 4. anno 769. ut unus tantum de Cardinalibus Presbyteris, vel Diaconis ad ſummum Pontificatus culmen promoveretur; tamen nonnullos Cardinalatu non inſignitos D. Petri ſolium aſcendiſſe conſtat; quales fuerunt Germani plerique, cum inter Romanos eſſent diſſenſiones, ab Imperato-

ribus

ribus adducti. Gregorius Quintus Saxo, qui erat Capellanus Imperatoris Othonis 3. anno 996. Silveſter 2. Gallus Aquitanus, Archiepiſcopus Rhemenſis anno 999. Clemens 2. Saxo Epiſcopus Bambergenſis anno 1046. Damaſus 2. Bavarus, Epiſcopus Brixienſis anno 1048. Leo Nonus Franco germanus, Tulli Leucorum Epiſcopus anno 1049. Victor 2. item Germanus Epiſcopus Eiſtatenſis an. 1054. Nicolaus 2. Allobrox, Epiſcopus Florentinus, anno 1058. Alexander 2. Mediolanenſis, Epiſcopus Lucenſis anno 1061. Calliſtus 2. Burgundus, Archiepiſcopus Viennenſis anno 1119. Urbanus 4. Gallus, Patriarcha Hieroſolymitanus anno 1261. Gregorius 10. Italus, Archidiaconus Leodienſis, exiſtens in Syria, abſens creatus anno 1271. Cœleſtinus 5. Italus Eremita anno 1294. Clemens 5. Gallus, Archiepiſcopus Burdigalenſis anno 1305. Urbanus 5. Gallus, Abbas S. Victoris Maſſiliæ anno 1362. Urbanus 6. Neapolitanus, Archiepiſcopus Barenſis, anno 1378. Omitto Amadeum Sabaudiæ Ducem in Schiſmate contra Eugenium 4. electum Antipapam, Felicem 5. nuncupatum, anno 1440. quorum nulli fuere Cardin.

SE-

SECTIO XXV.

Differentia in numero Pontificum plerumque oritur ex computatione Nominum, quoti quique fuerint.

PRima *Differentia* in computatione nominis occurrit inter Felices, propter Felicem Secundum, qui, quod vivente Liberio, Sedem occupaſſet, ab aliquibus prætermittitur: ſed defuncto Liberio confirmatus legitime ſedit, imo pro defenſione Fidei Catholicæ fuit Martyrio coronatus, uti 29. Julii in Martyrologio ponitur; vide notas Baronii: ita ut poſt hunc Secundum, Tertius, & Quartus fuerint; ac diu poſt Felix Quintus dictus, qui non ſua culpa ſchiſmaticus, Pontificatu ſe tandem abdicavit.

Secunda Differentia eſt in Stephanis, propter Stephanum Secundum, qui tertio Pontificatus die apoplexia ſublatus, omittitur a pluribus in ſerie Pontificum; cum tamen, ut Baronius ait, vere ſit numerandus: atque ita univerſim Stephani decem fuerunt.

Tertia Differentia eſt inter Martinos, propter duos Primum ſequentes, qui Marini, una litera o-

miſſ.

miſſa, vocabantur: ſed differentiam hanc parvam ſuſtulit Martinus 5. qui poſitis duobus his Marinis inter Martinos, feſto die S. Martini 11. Novembris anno 1419. Pontifex creatus, ſe Martinum Quintum vocavit (cum alioquin tantum tres Martini, & duo Marini eſſent) ſicque fecit duos ex Marinis Martinos.

Quarta eaque maxima differentia eſt inter tot Joannes: aliqui enim viginti quatuor, imo viginti quinque numerant, cum tantum vigintiduo, aut ad ſummum vigintitres numerandi ſint. a Joanne autem octavo numerus diſcrepare incipit; quod, qui hunc Papiſſam volunt, perperam ponunt poſt Leonem Quartum, cum tantum poſt tres Pontifices, nempe poſt Adrianum 2. verus Joannes Octavus ponendus ſit; & quem illi Nonum vocant, Octavus dici debeat. Alius item Joannes ponitur ab aliquibus circa annum 930. inter Joannem 10. & Leonem 6. & ſic vigintiquinque forent; ſed quia hic male intraverat, ſtatim ejectus fuit; ideoque in numero Pontificum ab omnibus prætermiſſus. propter iſtos duos vel tres, numerus in duobus vel tribus Joannibus differt:

fert: & ut computatio certior ineatur, obſervandum eſt, quod notat ad Platinam Onuphrius Panvinius hiſce verbis: *Joannes 19. quem Platina 21. vocat, ſe ipſe decimumnonum appellat in ſuis quæ apud me extant Diplomatibus; quare Joannes illi qui poſtea 21. 22. & 23. vocantur, 20. 21. & 22. vocandi ſunt*. Poſt quos adhuc ſucceſſit unus, qui rite 23. vocatur: ſed duo illi poſt Leonem Quartum, & ante Leonem 6. omnino rejiciendi ſunt; & ſic tantum 23. numerantur.

Quinta Differentia eſt inter Benedictos, ob Benedictum Quintum, qui vivente Joanne 12. Pontifex ſuffectus fuit, idque ob praviſſimos Joannis mores; utpote juvenis ſeptemdecim dumtaxat annorum, per factionem Patris ſui Alberici intruſi; qui Benedictus in Germaniam traductus, Hamburgi ſancto fine quievit, atque e numero Pontificum ab aliquibus, ſed immerito expungitur: & ob Benedictum 10. qui nefarie intruſus fuit, & aliquot menſes Sedem Apoſtolicam per vim tenuit, ita ut duodecim Benedicti legitimi fuerint: & unus Schiſmaticus, Decimustertius vocatus, nomine proprio Petrus de Luna, inter Pontifices

mi-

minime numerandus.

Sexta Differentia, ſed parva eſt inter Silveſtros, an tres, an vero tantum duo fuerint: quia Silveſter Tertius Benedicto Nono, decem annorum puero, tanta Sede indigno, ſubſtitutus fuerat, quem Silveſtrum poſt duos fere menſes Benedictus excuſſit; qui ſe omnibus inviſum cernens, Pontificatum ceſſit Gregorio Sexto; cujus ceſſionis illum paulo poſt pœnituit, & Pontificatum repetiit, anniſque decem, ſed interpolatis vicibus eum tenuit.

Septima Differentia eſt inter Bonifacios, an ſex, an vero 8. fuerint. Bonifacius quidem poſt Cœleſtinum 5. ab omnibus vocatur Octavus; ſed an Sextus, & Septimus Bonifacii, inter veros Pontifices numerandi ſint, videat ante in Notitia ſingulorum Pontificum curioſus Lector.

Itaque Papæ ejuſdem Nominis fuerunt.

Joannes	23.
Gregorii	15.
Benedicti }	13.
Innocentii }	13.

Cle-

Clementes Leones	11.
Stephani	10.
Bonifacii	9.
Alexandri Urbani	8.
Adriani	6.
Cœleſtini Martini Nicolai Pauli Xyſti	5.
Anaſtaſii Eugenii Felices Honorii Sergii	4.
Calliſti Julii Lucii Silveſtri Victores	3.
Agapeti Doni	2.

Damaſi Marcelli Paſchales	2.
Gelaſii Pelagii Theodori	2.

Reliqui ſunt unici nominis Pontifices.

SECTIO XXVI.

Pontifices qui primi nomen mutarunt.

REfert Platina ex Martino Polono, quod *Sergius* 2. primo nominatus Os Porci, ſive Bucca Porcina, ob turpitudinem hujus nominis, electus Pontifex nomen Sergii aſſumpſerit; adeoque primus fuerit qui nomen mutavit: ad quem locum notat Onuphrius Panvinius, ſe apud neminem veterum Auctorum hoc inveniſſe; imo ex Anaſtaſio Bibliothecario, qui Sergii hujus tempore vixit, & vitas Pontificum edidit, contrarium magis elici: Papam hunc, ſcilicet, ante Pontificatum etiam Sergium vocatum fuiſſe, *Os* vero *Porci* cognomen habuiſſe; & Pontificem, prænomine retento, cognomen omiſiſſe: putatque idem

Onu-

Onuphrius Joannem 12. primum fuiſſe qui nativum nomen Papa creatus mutarit: rationem vide in Notitia. ſed a Ciaconio ante hunc Joannem, & poſt Sergium 3. interſeruntur alii duo, *Adrianus* 3. qui Agapetus, & ſucceſſor ejus *Stephanus* 6. qui Baſilius, ac poſtmodum *Joannes* 12. qui Octavianus ante vocati fuerint. quam nominis mutationem hincinde a paucis uſitatam, Pontifices circa annum milleſimum e Germanis aſſumpti, præ aliis uſurpare cœperunt; idque fere propter nominum Germanorum quamdam barbariem: uti *Bonifacius* 7. Franco ante dictus, *Gregorius* 5. Bruno, *Silveſter* 2. Gerebertus, *Clemens* 2. Suidegerus, *Damaſus* 2. Popo, *Victor* 2. Berardus, *Joannes* 18. Sicco, ac demum *Sergius* 4. Petrus antea vocatus, ob reſpectum erga primum Chriſti Vicarium, ſe ipſius nomine indignum reputans, nomen Sergii aſſumpſit; poſt quem nomina ſua mutare Pontificibus Romanis in conſuetudinem, non in obligationem tranſiit: Nam Joannes 21. Luſitanus, Adrianus 6. Belga, & Marcellus 2. Italus, nomina in Baptiſmo indita in Pontificatu retinuiſſe leguntur. & mutatio hæc

non

non fit ſine exemplo & imitatione ipſius Chriſti Domini, qui Petro ad Pontificatum deſignato nomen novum impoſuit, dicens Joan. 1. *Tu es Simon filius Jona, tu vocaberis Cephas; quod interpretatur Petrus*. Nec iſtud eſt abrenuntiare Baptiſmo, in quo nomen ſolet Baptizato imponi, ut cavillantur Lutherani Centuriatores. nam nec Petrus Circumciſioni renuntiavit, quando loco Simonis nomen Petri, ſive Cephæ ſibi imponi paſſus eſt: nec Doctor Gentium Baptiſmo, quando neglecto veteri Sauli nomine, ſe Paulum dixit: quinimo S. Memoriæ Pius Quintus tertio nomen mutavit, in Baptiſmate vocatus Antonius, in Regulari Profeſſione, Michael, in Papatu Pius dictus.

SECTIO XXVII.

Ante Pontificatum legitimo juncti Matrimonio.

S*Anctus Petrus*, cujus Socrus ante Pontificatum, cum teneretur magnis febribus, a Chriſto D. ſanata fuit.

Fabianus, coronata per Martyrium Uxore, Pontifex deſignatus in-

indicio Columbæ e ſublimi devolantis, ejuſque capiti inſidentis.

Hormiſda reliquit ex legitimo ante Papatum matrimonio filium Silverium nomine, qui dein ad Papatum, imo Martyrium pervenit.

Felix 3. S. Gregorii Atavus, dein Canonicus Auguſtinianus, ac per novem annos ſummus Pontifex.

Clemens 4. Regis Franciæ S. Ludovici Conſiliarius, duas ex legitimo matrimonio filias habuit; ejus ſanctitatem vide in Notitia.

Petrus de Corbario, Pſeudopontifex, qui relicta Uxore, Ordinem Minorum profeſſus, Nicolaus 5. per conventum ſchiſmaticorum a Ludovico Bavaro excitatum, vocatus fuit.

SECTIO XXVIII.

Pontificum Nepotes ad Pontificatum evecti.

S*anctus Gregorius* Magnus refert, Felicem Tertium atavum ſuum fuiſſe.

Romanus Marini Primi, ſeu potius Martini Secundi ex fratre nepos.

Benedictus Nonus, puer decem an-

annorum dum Pontifex crearetur, duorum immediate præcedentium Pontificum Benedicti 8. & Joannis 20. nepos, Alberici utriuſque fratris filius.

Gregorius Nonus Innocentii Tertii nepos, Franciſcanis addictiſſimus, in eorum habitu ſepultus.

Alexander Quartus, Innocentii Tertii, & Gregorii Noni conſanguineus.

Adrianus Quintus, Nepos Innocentii Quarti.

Vicedominus, dictus per aliquot horas Gregorius Undecimus, ipſo electionis die mortuus, Gregorii Decimi ſororis filius, a pluribus in Pontificum Catalogo prætermiſſus.

Gregorius Undecimus Clementis Sexti fratris filius, annorum tantum 35. cum Pontifex crearetur.

Nota quod in Concilio Baſileenſi cautum fuerit, ne Cardinalium numerus 24. excederet, ac ne Pontificum, aut Cardinalium Nepotes ad Cardinalatum admitterentur: quæ cautio obſervata deinde non fuit: nam paulo poſt

Paulus Secundus, Eugenii Quarti ſororis filius, prius mercator, quod in Italia Nobilitati non de-

rogat, fit Cardinalis, ac dein Pontifex.

Pius Tertius, Pii Secundi ex ſorore Laodamia nepos.

Julius Secundus Xyſti Quarti ex fratre nepos.

Clemens Septimus, Leonis Decimi Patruelis; ſive cognatus Germanus: poſt quem, nulli Pontificum nepotes ad hæc uſque tempora ad Pontificatum pervenerunt.

SECTIO XXIX.

Pontifices Muſici fuere

GElaſius 1. Gregorius Magnus, Vitalianus, duo Leones, Secundus, & Nonus. Leo Oſtienſis lib. 3. cap. 7. Hiſt. Caſin. narrat Victorem 3. fuiſſe muſicæ & medicæ artis peritiſſimum.

Medici, aut Medicorum Filii.

SAnctus Euſebius, Medici filius, & ipſe Medicus: S. Leo 2. Pauli Menii Medici, uti Bonifacius 4. Joannis Medici filius: Joannes 21. Medicus ſcriptis clarus: Nicolaus 5. Patris Medici, & Matris Annonariæ filius.

Fra-

Fratres ſibi in Pontificatu ſuccedentes.

Rariſſimo exemplo bis tantum viſi fuerunt: ſemel Stephanus 3. & Paulus 1., ſemel Benedictus 8. & Joannes 20. Pontus Heuterus Auctor probatus, Tractatu de Libera hominis nativitate, narrat fuiſſe hos quinque Pontifices illegitime natos: Sanctum Dionyſium, Joannem 11. Leonem 5. Innocentium 8. & Clementem 7.

SECTIO XXX.

Romani Pontifices Verſibus 157. technicis deſcripti; in quibus non tantum uniuſcujuſque nomen, ſed etiam numerus nominis exprimitur.

Anno Christi.

SI vis Pontifices Romanæ noſcere Sedis,
Quiſque quotus fuerit, metris his ſcire valebis.
34. *Primo Papatus* (1) Petrus *eſt in Sede locatus,*
Qui conſederunt (2) Linus, (3) Cletuſque *fuerunt;*
His (4) Clemens *junctus papali eſt munere functus:*
Diſputat, hic, mundus ſit quartus ſitne ſecundus.
100. *Sedit* (5) Anacletus *poſt illum, mox* (6) Euariſtus,
Prodit (7) Alexander, *ſuccedit in ordine* (8) Xyſtus,
Non reſidetque minus (9) Teleſphorus, *hinc ſtat* (10) Hyginus,
Inde ſacri cætus (11) Pius *eſt dux, tunc* (12) Anicetus,
(13) Soter, (14) Eleutherus; *quibus eſt* (15) Victor *quoque mixtus;*
200. *Tum* (16) Zephyrinus *adeſt, comitatur Papa* (17) Caliſtus.
(18.) Urbanus *turbæ Chriſti præfertur in Urbe;*

En

En (19) Pontianus, *&* (20) Anterus; *poſt hos* (21) Fabianus,
(22) Cornelius, (23) Lucius, (24) Stephanus, (25) Xyſtuſq; *Secūdus.*
Eminet in ſcriptis (26) Dionyſius *inde profundus,*
(27) Felix *ſtat planus, conjungitur* (28) Eutychianus,
Præſul adeſt (29) Cajus, *tum* (30) Marcellinus *amatur,*
(31) Marcellus, *necnon* (32) Euſebius *aſſociatur,* 300.
(33) Melchiades *etiam; poſt quem* (34) Silveſter *haberi*
Primatem voluit te Chriſtus in ordine Cleri.
(35) Marcus *ovat,* (36) Julius *ſtat,* (37) Liberiuſque *triumphat,*
Tuque Secunde ſede (38) Felix, (39) Damaſoque *recede.*
Poſtea (40) Siricium *ſpectemus,* (41) Anaſtaſiumque;
(42) In-*que*-nocentius *Albanus comitetur utrumque.* 400.
Tum (43) Zoſimus *detur,* (44) Bonifacius *hinc numeretur:*
Mox (45) Cœleſtinus, (46) Xyſto *cum Tertio habetur.*
Papa (47) Leo *præſtans quaſi ſidus ſe manifeſtans.*
(48) Hilarius, *dein* (49) Simplicius, *poſt Tertius extans*
(50) Felix, (51) Gelaſiuſq;, (52)

Anaſtaſiuſque *Secundus;*
500. (53) Symmachus *hinc*, (54) Hormiſda *illinc*, *Primuſque* (55) Joannes,
Tum (56) Felix *Quartus*: (57) Bonifacius *atque* (58) Joannes
Alter uterque; *&* (59) Agapetus,
(60) Silverius *unus*,
(61) Vigilius *cum* (62) Pelagio *ſequiturque* (63) Joannes
Tertius, *&* *Primus* (64) Benedictus
Nominis hujus:
Illi (65) Pelagius *ſucceſſit rite Secundus*.
Tandem majori fulges virtute (66) Gregori;
600. *En Volaterranum*, *aut Bleranum*, (67) Sabinianum.
(68) *Tertie cum Quarto* (69) Bonifaci *deinde notaris*,
Atque (70) Deuſdedit, *&* (71) Bonifaci *Quinte vocaris*.
Prodit (72) Honorius, *hinc* (73) Severinus, & *inde* (74) Joannes
Quartus, *tum* (75) Theodorus *adeſſe re & nomine Græcus*.
Ecce Tudertinus (76) Martinus *in ordine Primus*.
(77) Eugenium *explano*, *cum Præſule* (78) Vitaliano,
Teque (79) Adeodate, *cum* (80) Dono, *atque* (81) Agathone *patrono*.

Muſi-

Muſicus hinc facundus adeſt (82) Leo
Papa ſecundus,
Quem (83) Benedicte *Secunde ſubis*,
& *Quinte* (84) Joannes.
Tuque (85) Conon, (86) SergIque 700.
venis, *&* *Sexte* (87) Joannes,
(88) Septime *tuque etiam*. (89) Si-
ſinius *inde videtur*.
Poſt (90) Conſtantinum, (91) Gre-
gorius *alter habetur*,
Tertius huic etiam (92) Gregorius *aſ-
ſocietur*;
(93) Zacharias, *alter* (94) Stepha-
nus, (95) Stephanuſque *notetur*
Tertius, *en* (96) Paulus, (97) Ste-
phanus *tum Quartus ametur*.
Hinc (98) Adrianus *adeſt*, (99) Leo
Tertius inde feretur,
Poſt (100) Stephanum *Quintum* (101) 800.
Paſchalis *Papa tenetur*:
Alter & (102) Eugenius *Papæ ſub-
ſcribitur iſti*,
Cui tu ſucceſſor vix (103) Valentine
fuiſti.
(104) Gregori *tum Quarte ſedes*, (105)
Sergique *Secunde*.
Quarte (106) Leo, (107) Benedicte
locum quoque Tertie ſponde.
Mox (108) Nicolae *tuo tua gaudet Ro-
ma decore*,
Junior emicuit te poſt (109) Adrianus
honore.
(110) Joannem *Octavum affecit malæ*

turba pudore:
Marine *hunc ſequeris*, *potius* (111)
Martine *Secunde*.
Tertius huic (112) Adrianus *adeſt*,
Sextuſque deinde
Stat (113) Stephanus, *tum* (114)
Formoſus, (115) Bonifacius *inde*
900. *Sextus*, *Septimus &* (116) Stephanus.
(117) Romane *ſubinde*
Unice ſtas, (118) Theodore, *Secunde*,
& None (119) Joannes:
Quarte ſubi (120) Benedicte, (121)
Leo *poſt Quinte vocaris*,
Unice (122) Chriſtophore, *& mox*
(123) Sergi *Tertie faris*,
Tertie (124) Anaſtaſi, (125) Lando,
bis quinte (126) Joannes;
Sexte (127) Leo *propera*, (128) Stephanus *bis Quartus adhæret:*
(129) Joanni *Undecimo propius* (130)
Leo *ſeptimus hæret*.
Hinc (131) Stephanus *Nonus*, (132)
Martinus *Tertius illinc*,
Alter (133) Agapetus, *Duodecimus*
inde (134) Joannes;
Sufficitur Quintus nimis huic juveni (135)
Benedictus,
Octavuſque (136) Leo, *Decimus tum*
tertius exit
(137) Joannes, (138) Donus *quem*
Junior, *&* (139) Benedictus
Subſequitur Sextus, (140) Bonifacius,
& (141) Benedictus

Se-

Septimus. Hinc multi cernuntur adeſſe
Joannes,
Nam (142) *Decimuſquartus*, (143) *Quintus*, (144) *Sextuſque ſequuntur;*
Tum poſt (145) Gregorium *Quintum*, *rurſum ecce* (146) Joannem:
Alter adeſt (147) Silveſter, *adeſt iterumque* (148) Joannes; 1000.
Huic etiam Decimum nonum ſubſcribe (149) Joannem;
(150) Sergius *huic Quartus connectitur*, *&* (151) Benedictus
Octavus; prodit Vigeſimus inde (152) Joannes,
Hinc (153) Benedictus *adeſt Nonus*, *puer ipſe decennis;*
Tertius hunc (154) Silveſter *agit: tu Sexte retunde*
(155) Gregori; (156) Clemens *ubi præſtolare Secunde?*
Alter adeſt (157) Damaſus, *Nonus* (158) Leo, (159) Victor *& alter*,
Stat (160) Stephanus *Decimus*, *nec non Decimus* (161) Benedictus.
Poſt (162) Nicolae *Secunde venis; poſt teque Secundus*
Surgit (163) Alexander: *tum Septimus eſt repetundus*
(164) Gregorius, (165) Victor *dein Tertius*, *inde Secundus*
Præſidet (166) Urbanus, (167) Paſchalis *& ipſe Secundus*, 1100.
(168) Gelaſius, (169) Calliſtus,

(170) Honorius, *ecce Secundi*;
(171) In-*que*-nocenti *adſtas*, *&* (172)
Cœleſtine *Secundi*,
Atque Secunde venis (173) Luci: *ſuntque octo Secundi*.
Tertius (174) Eugenius *poſt hos in honore tenetur*,
Quartus (175) Anaſtaſius, *Quartuſque* (176) Adrianus *habetur*,
Præſul (177) Alexander *tum Tertius eſſe videtur*,
(178) Lucius, (179) Urbanus *quoque Tertii adeſſe leguntur*:
Octavus poſt hos (180) Gregorius; *atque ſequuntur*
Pontifices quatuor, qui terni rurſus aguntur
1200. (181) Clemens, (182) Cœleſtine *venis*, *&* *Terne* (183) Nocenti,
Ternus (184) Honorius; *hinc* (185) Gregorius *ordine Nonus*.
Pontifices quini ſuccedunt nomine Quarti,
Sic (186) Cœleſtinus, *ſic* (187) In-*que*-nocentius *audit*,
Quartus (188) Alexander, *Quartuſque* (189) Urbanus *obaudit*,
Et (190) Clemens *Quartus*: *Decimus* (191) Gregorius *intus*,
(192) In-*que*-nocentius *eſt Quintus*, *Quintuſque* (193) Adrianus.
Unius ſequitur (194) Vicedominus *Papa diei*,
Gregori iſte Nepos Decimi, *Undecimuſque vocatus*,

De-

Defunctuſque die prima, vix eſt numeratus.
(195) Joannes *Primus-vigeſimus*, *&* (196) Nicolaus
Tertius; hinc (197) Martinus, (198) Honorius, *&* (199) Nicolaus
Tres Quarti; Quintus dein (200) Cœleſtinus *habetur*,
Poſt (201) Bonifacius *Octavus*, *Nonus* (202) Benedictus, 1300.
Qui tamen Undecimus dici ratione meretur.
Septem Pontifices ſtant Avenione ſequentes:
Quintus ibi (203) Clemens, *Vigeſimus atque ſecundus*
(204) Joannes, *poſt quem Duodecimus eſt* (205) Benedictus,
Cui (206) Clemens *Sextus*, *Sextuſque* (207) Nocentius *adſtant*,
(208) Urbanus *Quintus*, (209) Gregorius *Undecimuſque*,
Qui Romam rediit: tu Sexte (210) Urbane *maneto*,
None (211) Bonifaci, *tu Septime ibique* (212) Nocenti, 1400.
(213) Gregori *bis Sexte ſede. Sedem ecce prehendit*
Quintus (214) Alexander; *Vigeſimus inde* (215) Joannes
Tertius, ex multis Joannibus ultimus hic eſt,
Nonnullis Quartus Vigeſimus iſte vocatur,

(216) Martinum *Papam Quintum*
Quartus comitatur
(217) Eugenius, *Quintus poſt hunc*
(218) Nicolaus *amatur*.
Tertius hinc (219) Calliſtus *adeſt*;
(220) Pius *inde Secundus*,
Atque Secundus ovat (221) Paulus,
(222) Xyſtus *quoque Quartus*,
(223) In-*que*-nocentius *Octavus*: *Dominatur in Urbe*
1500. *Sextus* (224) Alexander, (225) Pius
hinc ſe Tertius offert,
(226) Julius *inde Secundus adeſt*, *Decimuſque* (227) Leonum,
Sexte ſubis (228) Adriane, *venis dein*
Septime (229) Clemens,
Tertius huic (230) Paulus, *quoque Tertius adſtat* (231) Julus.
Tum (232) Marcelle *Secunde ſedes*,
breve tempus at hæres.
(233) Paule *veni Quarte*, & (234)
Pie *Quarte*, *adſis* (235) Pie *Quinte*.
(236) Gregorius *Decimus-ſtat-Tertius*,
hunc prope (237) Xyſtus
Quintus, & (238) Urbanus *ſpatio vix*
ſeptimus ullo.
(239) Gregorio *Decimo quarto inſtas*
None (240) Nocenti:
1600. (241) Clemens *Octavus ſubit*, *Undecimuſque* (242) Leonum;
Poſt (243) Paulum *Quintum*, & *Quintum decimumque Patronum*
(244) Gregorium, *longo* (245) Ur-
banus

banus nos tempore rexit
Octavus, Decimus poſt (246) In-*que*-nocentius *exit*:
Prodit (247) Alexander *tum Septimus; inde notati*
Sunt duo Clementes, (248) *Nonus* (249) *Decimuſque vocati.*
Clavibus aſſumptis regnat Venerabilis (250) Innocentius *undecimus: poſt hunc octavus ovile*
Paſcit (251) Alexander, *regnare* (252) Nocentius *inde*
Duodecimus cœpit, claveſque aſſumere (253) Clemens 1700.
Cogitur undecimus: *ſurgit dein Tertius* (254) Innocentius *a decimo, ſed nunc* (255) Benedictus *habenas*
Tertius a decimo ſacro moderatur in Orbe.
Papa ſequuturus metris finem hiſce daturus.

ONO-

ONOMASTICON
ETYMOLOGICUM
VOCUM OBSCURIORUM

Quæ in Miſſali, Breviario, ac Martyrologio Romano continentur.

A.

ABSOLUTIO (prout ea voce in Breviario Romano ad Matutinum utimur) dicta eſt, vel quia Nocturnum abſolvitur, vel quia ſimul cum Oratione Dominica immediatè præcedente petimus abſolvi, & mundari corda, & corpora noſtra, ad audiendum verbum Dei in Lectionibus quæ ſequuntur. Gavantus putat Abſolutiones denominari ab ultima & nobiliore tertii nocturni abſolutione, quæ habet: *A vinculis peccatorum noſtrorum abſolvat nos omnipotens & miſericors Dominus.* aliter hac voce utimur in fine Primæ *ad abſolutionem Capituli*: de quo vide infra in voce *Capitulum*.

ABBYSSUS, latine ſine fundo, ab

ab α privativo, & ὁ βυϑὸς fundus.

ACEDIA vitium eſt pigritiæ, ab α privat. & τὸ κῆδος cura, labor; quaſi ſine labore, & curæ. ſic

ACEPHALOS ſine capite, Autocephalos ſui capitis; ἡ κεφαλὴ caput. Liber acephalus ſine principio, atelos ſine fine; τὸ τέλος finis, τελέω finio.

ACERRA fuit quondam parva ara, ut Feſtus docet, quæ ante mortuum poni ſolebat, in qua odores boni accendebantur. Arculam thurariam, quam hodie Naviculam dicimus, Tertullianus Acerram vocat: penſilis autem acerra ipſum eſt thuribulum; quod Thymiaterion græce dicitur a ϑυμιάζω ſuffio, ſive ſuffitum excito, unde thymiama ſuffimentum. τὸ ϑύμα eſt herba optimi odoris, latine thymus; qui alios in choro incenſat, *ſuffitor* ſive *fumigator* dicitur: & Teutonicum *Vvieroock* potius *Vreyroock* dici deberet, quia thus ad ſervitium divinum a Sacerdote benedicitur, quaſi *gevvreyden roock*; uti *vvey-vvater*, *gevveydt-vvater*. plena acerra, liberali manu ſacrificare, proverbium eſt apud Martialem lib. 4. Epigr. 45.

Hac tibi pro nato plena dat lætus acerra

Phœbe

Phœbe Palatinus munera Parthenius.

ACOLYTUS a Græcis dicebatur qui nullis minis ab inſtituto poterat revocari: ita Stoici acolyti dicti ſunt, quod impium putarent mutare ſententiam. antiquitus a Chriſtianis hoc nomine vocabantur ii ſacrorum miniſtri, qui cum ipſi ſacris non operarentur, ab illis tamen non excludebantur: dicti Acolyti, quaſi non prohibiti, ſive admiſſi; ab α privativo, & κωλύω, prohibeo: eorum miniſterium erat diverſum a Diaconorum, & Subdiaconorum, qui ſacris communicabant: Acolyti miniſtrabant Epiſcopis & Presbyteris in his quæ ad ſacra facienda pertinent, in parandis mappis, & altaribus, luminibuſque accendendis, & in iis ferendis, quibus in ſacris faciendis uſus eſt. Acolyti hodie cum Ceroferariis confunduntur; cum tamen Acolyti vocandi ſint qui præparant altaria ad ſacrificium, uti in Choro Mechlinienſi alumni Seminarii Theologi diebus feſtivis: Ceroferarii, qui cum cereis accenſis celebrantem præcedunt; uti ejuſdem Seminarii humanitatis ſtudioſi faciunt. nota, quod *Ceroferarium* in neutro ge-

genere ſit ipſum Candelabrum: vide Pontificale Rom.

ADONAI vox trium, non quatuor ſyllabarum, uti paſſim non bene Adonai pronuntiatur: Hebraicum hoc Latine Dominus ſonat, quia Deus ſolus per excellentiam Dominus dicitur; quæ vox non ſine Myſterio SS. Trinitatis triſyllaba eſt, non tetraſyllaba.

ACTIO (infra Actionem, prout habetur in Canone Miſſæ) vide in voce *Canon*.

ADVENTUS eſt principium anni Eccleſiaſtici. G. Durandus in Rationali l. 6. cap. 2. ait, quod S. Petrus inſtituit tempus Adventus Chriſti per tres hebdomadas integras & unam non integram annue obſervandum: quando autem incipiat, collige ex hoc verſiculo:

Incipit Adventus Chriſti Sabb. poſt Catharinæ.

nam ſi feſtum S. Catharinæ in feriam ſextam incidat, ſequenti Sabbato in Veſperis; ſi vero in Sabbatum, octiduo poſt incipit Adventus.

ADVOCATUS ALICUJUS ECCLESIÆ. a multis retro ſæculis magna atque eximia dignitas cenſetur eſſe advocatorum vel ſubadvoca-

vocatorum, hoc eſt protectorum alicujus Eccleſiæ; ita olim a Benedicto Octavo coronatus fuit Henricus Pius Imperator, prævia data reſponſione, in atrio Baſilicæ Vaticanæ, quod advocatus, patronus & defenſor foret Eccleſiæ Romanæ. ſic Comites Lovanienſes Eccleſiæ Nivellenſis, Bertholdi Eccleſiæ Mechlinienſis, Comites Durachenſes Monaſterii Trudonenſis Advocati fuerunt, & Lipſius L. 2. Lovanii Cap. 6. *Comites Lovanienſes ſcribebant ſe (& reipſa exhibebant, ac ſuperbiebant in hoc titulo) advocatos aut defenſores Eccleſiarum ac Cænobiorum.*

ADYTUM. ἄδυτον ab α privat. & δύω ingredior: locus eſt templi ſecretior, ad quem nullis eſt aditus niſi Sacerdotibus. nota quod adyton ſcribatur per *ypſilon*, aditus vero per jota; & hæc vox Latina eſt ab adeo.

ÆDITUUS, (Magiſter Fabricæ hodie) dicitur ab ædibus tuendis. Lipſius *Æditimus* dici mavult, quaſi ædi intimus. vide A. Gellium L. 12. Cap. 10.

ÆGYPTUS nomen habet ab αἰγυπιάζω, quod eſt callide & aſtute ago; juxta Adagium antiquum *Nectunt ſtupēdas Machinas Ægyptii.*

uti

uti teſtantur eorum hieroglyphica.

ÆRA HISPANICA. modus computandi annos apud antiquos Hiſpanos cæpit trigeſimo octavo circiter anno ante Chriſti Nativitatem; cum, regiminis Romani facta diviſione, Hiſpania regenda ceſſit Cæſari Auguſto; a quo optime gubernati Hiſpani, annos ſuos ab ejus regimine computare cæperunt: & duravit hic annorum computus uſque ad annum Chriſti 1383. quando juſſum eſt, ut more Chriſtiano a Nativitate Domini annos numerarent. Nomen *Æra* ex eo venit, quod a Notariis, Tabellionibus, aliiſque Scriptoribus voces ſint abbreviatæ; ut quod ſcribendum eſſet ad longum: *Annus erat Auguſti Cæſaris*, illi brevitatis cauſa ſic exararent; *A. ER. A. CÆS.* paulatimque omiſſis punctis, & ultima ſyllaba, remanſerunt ſolæ iſtæ litteræ conjunctæ Æ R A; quod ſignificat *Annus erat*. Modus computandi Græcorum *Epocha* dicitur ab ἐποχέω ineo: Latinorum *Æra*, uti dictum eſt.

ANNUS nomen habet a Græco νέος, quod derivatur ad ἀνανεόω, renovo, reſtauro. Servius ab annulo deducit (imo annulus ab anno di-

mi-

minutivum potius eſt) quod quaſi annulus in ſe redeat, ſecundum illud Virgilii:

In ſeſe ſua per veſtigia volvitur annus.

ANNIVERSARIUM, ſubintelligе Officium: quod tantum fieri debet ſemel, elapſo primo anno, ritu duplici: reliquis annis non item, quamvis ſit Anniverſaria dies: ſed Officium fit ſimplex, & Miſſa ut in quotidianis Defunctorum; Oratio autem *Deus Indulgentiarum* tantum dicitur ſemel, idque elapſo primo anno, quia Rubrica miſſalis habet in Anniverſario, non in Anniverſariis Defunctorum, & Rubr. Breviarii in Anniverſario die, non diebus.

MENSIS a metior, menſus ſum deducitur, quaſi menſus dierum numerus. Cicero l. 2. de natura Deorum ait: *quia menſa dierum ſpatia conficiunt, menſes nominantur.* Macrobius a Græco μλώη deducit, quod eſt Luna; nam Lunæ circulo Menſis conficitur: & quadrat vox Teutonica *Maent* quaſi *Maentydt*, tempus ſive ſpatium Lunæ.

SEPTIMANA Latine dicitur quaſi per ſeptem manans:

HEBDOMAS Græce ἑβδομάς eſt ſpatium ſeptem dierum; quamvis

etiam

etiam dicatur de annis, uti Hebdomades Danielis de Chriſto venturo. A. Gellius ſcribit ſe duodecimam annorum Hebdomadam ingreſſum, ſeptuaginta quinque Librorum Hebdomadas ſcripſiſſe. Septem Miracula mundi vocantur Operum mirabilium Hebdomas. ita dicitur *Ogdoas* numerus octonarius, *Enneas* novenarius, *Decas* denarius: *Hendecas* undenarius, *Dodecas* duodenarius, & *Monas* numerus unicus, *Dias*, *Trias*, *Tetras*, *Pentas*, *Hexas*, *Heptas*; unde Hebdomas, & Hebdomada. *Hecatontas* eſt centuria, *Chilias* numerus millenarius, & *Myrias* ſunt decem millia. Priſci Romani non utebantur ſeptimanis, ſed ſicut annos in menſes, ita menſes in Kalendas, Nonas, & Idus dividebant: de quibus vide infra in voce Kalendæ. Judæi autem Hebdomadibus utebantur, quarum diem primam, quam nos Dominicam dicimus, Primam Sabbati vocabant, & ſic ſecundam, tertiam, quartam, quintam, ſextam Sabbati (quæ ſexta Paraſceve dicebatur) & ultimam ſive ſeptimam Sabbatum appellabant: Septimanam itaque Judæi a prima Sabbati, Ethnici a Die Solis, Chriſtiani

habent enim in annulo Piſcatoris effigiem in navicula poſiti, & retia laxantis, id eſt Petri: nam is prius Piſcator quam Epiſcopus fuit; imo Pontifex factus piſcari non deſiit errantes mortalium animos. P. F. Michael Gorgeu ex Ordine Minimorum, qui edidit *Remarques au ſujet de la Prophetie de S. Malachie ſur les Papes*, ait: *L'egliſe a ſi particulierement affectè le nom de Peſcheur, que toutes les lettres privees des Papes addreſſees à qui que ſoit, & les graces concedees en forme de Bref, qui portent pour ſeel l'image de S. Pierre jettant de ſa nacelle ſon retz en la mer, s'apellent expediees ſub Annullo Piſcatoris; qui veult autant dire, que de S. Pierre, ou de ſon image en tel figure*. habet autem Chriſtiana Pietas, ſecundum Pierium in Hieroglyphicis, feliciſſimi ſucceſſus ſui ſignum navem cum Piſcatore Petro in familiari ſummi Pontificis Annulo expreſſam. itaque Annulus Piſcatoris eſt Annulus Pontificius, habens in pala expreſſam imaginem Petri Piſcantis.

AGAPE dicebatur ſacrum Chriſtianorum Epulum, quod in Sanctorum Natalitiis mutua inter ſe charitate ſolebant celebrare, cum pri-

pridie in eorum pervigiliis jejunia & vigilias ſervaſſent. ἀγάπη charitas, dilectio, benevolentia: hinc ἀγαπητὸς dilectus. Agape nunc vocari poſſet epulum quod datur ex pietate alicui Cænobio, quod Itali *Pietanza* dicunt, nos corrupte *Pitance*.

AGATHA, ἀγαθὴ latine bona, *Pantagathus* totus bonus.

AGIOS, ἅγιος ſanctus: in hymno antiquo Adventus *Te deprecamur Agie*, id eſt Sancte. ita in Officio Paraſceves; *Agios o Theos, Agios iſchyros, Agios athanatos, eleiſon imas*. quod eſt: *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miſerere nobis*. quod non dicatur Sancte Deus, Sancte fortis &c. uti apud Latinos in vocativo, ratio eſt, quod ſecundum Dialectum Atticam, quæ apud Græcos præcipua eſt, nominandi & vocandi caſus ſint ſimiles.

AGNOITÆ erant hæretici, latine Ignorantes dicti, quia noviſſimum mundi diem Judicii Chriſto ignotum putabant ſecundum illud Marci 13. *Nemo ſcit, neque Angeli in Cælo, neque Filius, niſi Pater*. Quem negat ſe ſcire Chriſtus ut homo, & ut Dei ad nos legatus: quia non ita ſciebat, ut re-

ve-

velare hominibus poſſet; ſive illum revelare non habebat a Patre in mandatis. γνόω noſco, ἀγνόω non noſco, ἀγνοῶντης ignorans, non noſcens.

ALBA ſubintelligitur veſtis; Græce ποδήρης dicitur Apocalypſis 1. *veſtitus Podère*, ſecunda producta, dicta Poderis, quaſi pedalis ſive talaris veſtis, quia pedes tangit, πȣ̃ς, ποδὸς, pes pedis.

ALMUS Epithetum Dei, quod omnes alat; ſicque ſalutatur D. Virgo: *O Mater alma Chriſti chariſſima*; quod Chriſtum aluerit. ſic dicitur alma parens Tellus, & alma Ceres, quod omnibus alimentum præbeat.

ALMUTIA & ALMUTIUM, Iſidoro Armilauſa dicitur, quaſi in armis ſeu humeris clauſa; quia Canonici quondam Almutias ſuper armos ſive humeros ferebant, ſicut etiamnum faciunt Canonici qui ſe Regulares dicunt: imo etiam in capite portabant, uti adhuc fit in antiquis Gallicanis Eccleſiis, dum ad Miſſam ſolemnem Canonicus celebrans procedit: apud nos Apparitor, Virgarius dictus, Almutiam præferre ſolebat; quod jam deſiit. Francis dicitur *Amucia*, & ſecundum Bayſium de re veſtiaria

Amicium, ab amicio, quod eſt tego. Vox autem Almutia a Teutonibus orta videtur, quaſi *alde Mutſe*, antiquum caputium; quia caput quondam tegebat: & ita Decanus S. Petri Lovanii, Radulphus Corsbaut anno 1380. legabat cuidam *duo Almutia*, *dicta Bonte Mutſen*; ea ſunt verba Teſtamenti. Aliqui derivare volunt a voce Flandris uſitata *Almoeſſe*, quia Clerici quondam ſtipe & eleemoſynis piorum Fidelium alebantur, quas accipiebant in peris ſive ſaccis, cujuſmodi formam almutium in ſuperiore parte refert; ſed derivatio hæc peritioribus improbatur.

ALLELUJA vox hebraica eſt, ſignificatque *laudate Dominum*. Loco *alleluja* a Septuageſima uſque ad Paſcha, ex decreto ſancti Gregorii, dicitur latinum: *Laus tibi Domine Rex æternæ Gloriæ*; quod licet fere idem ſonet, tamen idioma mutatur; quia tunc humiliori lingua uti convenit, qualis eſt latina reſpectu hebraicæ; neque decet vox lætitiæ, quando recolitur primi hominis lapſus in Officio Eccleſiaſtico; nam liber Geneſis Dominica Septuageſimæ prælegi incipit. Hilarius ait, quod eo vocis ſigno *Alleluja* antiqui vocabantur

ad

ad collectam, id eſt ad congregationem pro oratione facienda.

ALTARE dicitur quaſi altum aræ, ſive alta ara, ἀράομαι oro, ἀρὰ oratio. itaque ara eſt ſupra quam oratur & ſacrificatur, altare poſterior elevata pars, pictura, vel imagine adornata.

AMBROSIUS latine immortalis reddi poteſt, ab alpha privativo, addito μ Euphoniæ gratia, & Βροτὸς mortalis. Ambroſia eſt cibus Deorum, quo qui veſcuntur, immortales fiunt. Martialis lib. XI. ep. 58.

Jupiter Ambroſia ſatur eſt, & Nectare vivit.

Nectar eſt potus Deorum immortalium. Secunda ſyllaba in Ambroſius eſt natura brevis, quia per omicron ſcribitur; ita ut dicendum ſit in vocativo: *O Doctor optime Eccleſiæ ſanctæ Lumen Beate Ambroſi* (ſicut Hilari, Gregori, Baſili, Mercuri) non Ambròſi, Gregòri, Basìli, Mercùri.

AMA, & per aſpirationem *hama*, genus eſt vaſis, unde profluxit vox noſtra teutonica *een aem bier oſt vvyn:* hinc amulam deduxit Columella de cultu hortorum.

Aut habilem lymphis amulam, Bacchire lagenam.

Amulæ vocantur vaſcula, de quibus in geſtis Pontificum legitur: Religioſos quoſque Imperatores atque Principes tantum numerum de amulis atque patinis, ſeu aliis vaſis, atque ornamentis eccleſiaſticis ad honorem Dei obtuliſſe illi, atque illi Eccleſiæ, quanta poſſibilitas fuit unicuique pro ſua devotione. & in vitis Pontificum per Bibliothecarium ſcriptis legitur frequenter, hamas argenteas, atq; aureas donatas eſſe miniſterio divino. Hamulæ vocantur ab Italis vaſcula vitrea ad uſum vini & aquæ in ſacrificio Miſſæ, quæ & *Ampullæ* dicuntur, quaſi parvæ amphoræ, & *Gemelliones*, quod geminæ adhibeantur, etiam *Urceoli*, quaſi parvi urcei.

AMBO, ab Eccleſiaſticis uſurpatur pro loco edito, in quo alta voce ſacra Lectio recitatur, uti Euangelium. ambonem aſcendere, idem eſt quod pulpitum ad concionandum: inde dictum, quod ambiat vel cingat declamantem. verius græca vox eſt ἄμβων genitivo ἄμβωνος, ſignificans locum editum, ab ἀμβαίνω, quod eſt aſcendo; quemadmodum in antiquis Eccleſiis adhuc fit, quod cantaturus Euangelium in feſtis ſolemnibus

bus aſcendat odæum: unde *Graduale* dictum eſt canticum, quod cantabatur dum Diaconus aſcenderet gradus Ambonis, ſive pulpiti: *Pulpitum* autem dicitur quaſi in publico ſtatutum. Græci *Dicaſterion* vocant, quod eſt locus, ubi ſtando aliquid recitatur: ϛήειον enim eſt ſtatio, unde Monaſterium, & de Regularibus flandrice dicitur: *Hy ſtaet te Bruſſel, te Mechelen, &c.* *Acroaterion* ab ἀκροάομαι auſculto, eſt locus ubi ſtando auſcultatur: ἀκρόαμα auditio ſive auſcultatio.

AMICTUS ab amiciendo dicitur, aliter *Superhumerale*: græce *Anabollagium*, ab ἀναβάλλω ſuperinjicio.

ANATHEMA penultima longa per η, latine ſepoſitum, ſubintellige donarium, quod ad Dei honorem ſeponitur, & quod nefas inde amovere; ſicut Papa Alexander 7. miſit Tapetem inſignibus ſuis contextum ad D. Virginem Aſpricollenſem, quod anathèma inde quocumque modo amoveri vetuit. *Anathema* penultima brevi per ε ſignificat devotum, uti dicunt Poetæ: devotum diris caput, teutonice *vervloeckt*, hebraice *horma*. Anathema derivatur ab ἀναθεματίζω devoveo, deteſtor: Anathèma

ἀνάθημα, ab ἀνατίθημι ſepono, ſuſpendo: ſic Thema (a τίθημι pono) poſitum, poſitio.

ANICIUS: Sanctus Gregorius, & atavus ejus Felix 3. dicuntur fuiſſe Anicii: Nomen hoc Aniciorum celebre fuit ob Anicium Julianum; qui, quemadmodum Flavius Conſtantinus primus Imperatorum, ita Anicius primus Conſulum Romanorum, & Pudens pater SS. Pudentianæ & Praxedis primus Senatorum, Chriſtianus factus fuit. de quo vide Baronium in notis ad Martyrologium 31. Maii, & Commentatores Boetii de conſolatione Philoſophiæ, qui vocabatur Anicius Manlius Severinus Boetius.

ANTICHRISTUS (non *Antechriſtus*) id eſt contrarius Chriſto ab ἀντὶ contra; in fine enim mundi quidam Pſeudopropheta Chriſtum ſe mentietur, veroque Chriſto adverſabitur: poſſet etiam dici ante Chriſtus; quod paulo ante, quam Chriſtus ad judicandum veniet, ipſe venturus ſit, ſed plane erit contra Chriſtum. ſic

ANTIPAS contra omnes, *Antiphraſis* contraria locutio.

ANTIPHONA, penultima brevi, latine ſonus oppoſitus, ſive reciprocus: quia Antiphonæ in Cho-

Choro nunc ab uno, nunc ab altero latere reciproce, & ex oppoſito decantantur finitis Pſalmis, quaſi Pſalmorum reſonantia; quia conſtant verſiculis ex ipſis Pſalmis, quibus interſeruntur, deſumptis; & vocantur ab Aſceticis Pſalmorum accenſoria, *Les allumettes des Pſaumes*.

ANGARIARE. Angaria, dictio Perſica, proprie ſervitus coacta. Perſis moris erat, obvios homines, & equos ad curſum & onera portanda rapere perſoluta mercede; unde angariare eſt cogere ad currendum vel ferendum, & *Angari* nuntii erant Regii apud Perſas; apud nos *Poſti* vocantur, quaſi poſiti ſive poſti, collocatique in certis locis, & Angaria ſumitur pro *Poſterye*.

APORIARI. aporia, indigentia, facultatis inopia: ab α privativo, & ποεία facultas, potentia. ποείζομαι rem facio, facultates augeo: ἀπορέω indigeo, impotens ſum, conſilii inops, & perplexus.

APOCRISIARIUS (latine Reſponſalis) ita vocabatur antiquitus ſummi Pontificis Legatus, quem hodie Nuntium Apoſtolicum dicimus: ab ἀποκείνομαι, quod eſt

cum judicio reſpondeo : quia Legatus Pontificis pro ipſo judicioſe reſpondet : ita legitur de Sabiniano Papa , quod ex more Apocriſiarios ſeu Reſponſales ſuos miſit ad Imperatorem, cum Synodica fidei confeſſione , quos Imperator benigne ſuſcepit , confirmatiſque privilegiis Eccleſiæ. Romanæ per eoſdem miſit ad Papam Euangeliorum Codicem miræ magnitudinis gemmis exornatum. item ſanctus Gregorius Sabinianum Diaconen ſuum , qui ipſi in Papatu ſucceſſit, appellat Reſponſalem ſuum , quo munere ſe idem Gregorius functum fatetur lib. 3. Dialogorum: & Joannes Diaconus in vita ipſius narrat, quod Gregorius pro reſponſis Eccleſiaſticis ad urbem Conſtantinopolim a Pelagio Præſule deſtinatus fuerit: qui quanta auctoritate miniſterium ſui Apocriſiariatus impleverit, quantæque reverentiæ apud Auguſtos extiterit, vel quanta ſollicitudine afflictæ per Longobardos Italiæ ſuccurri ſæpius fecerit, ſi quis plenius noſſe deſiderat, Epiſtolas anteceſſoris ſui Papæ Pelagii ad eum percurrat. ita Joannes Diaconus.

APOCRYPHUS latine abjudicatus , flandrice *aff-gerreſen* , *aff-gekeurt*.

Keurt. ἀπὸ ab, κρίνω judico.

APOSTOLUS latine miſſus, ἀποστέλλω mitto: hinc venit *Apoſtilla*, id eſt remiſſo; quia libellus ſupplex ordinarie ad aliquem remittitur.

ANGELUS Nuntius ab ἀγγέλλω nuntio: hinc Euangelium bonum nuntium. Apoſtoli fuerunt miſſi a Chriſto ad prædicandum bonum nuntium, quod eſt Euangelium.

ANDREAS nomen Græcum, latine virilis, ab ἀνὴρ vir, genit. ἀνδρός: vir autem a virtute, unde vis & vires: hinc

ALEXANDER virilis, vel virorum auxiliator: ἀλέξειν opitulari, ἀλέξιον remedium, juvamentum.

ALEXIUS remedians, *Alexipharmacum preſervatief*, Pharmacum remedium afferens.

ANTONIUS an vero *Anthonius* ſcribendum? utrumque bene ſcribi exiſtimo, ſecundum ſequens Epigramma:

Contra aſinum ſonat Antonius; *quod nempe ſubacta*
Carne, velut preſſo tendat ad aſtra Aſino.
Anthonius *florens vult dicere, nempe quod omnes*
Virtutum flores Anthonius referat.

Sive hunc Antonium, vis Anthenium ve vocare,
Conveniet vitæ nomen utrumque ſuæ.

ἀντὶ contra, ὄν@ aſinus: ἄνθ@ flos; Chryſanthus aureũs flos.

APOLLO. *Ego ſum Pauli, ego autem Apollo.* Cor. 1. loco Apollinis: eſt genitivus Græcus quartæ Declinationis Atticorum propriæ, ſicut μενέλεως, τ̃ μενέλεω, ita Ἀπόλλως, τ̃ ἀπόλλω. Apollo dicitur ab ἀπελλάτ]ειν abigere, quia morbos abigit: hinc *Apollonia* abigens dolores dentium. ἀπολογέω reſpondeo, verbis me defendo. *Apologia* verbalis defenſio.

APSIS ἀψὶς ponitur pro fornicis templi curvatura. flandrice *het vvelfsel vande KercK*: eſt autem apſis, ſive abſis proprie curvatura rotæ, ſive ligneus circulus rotam ambiens: ordinarie abſis per b ſcribitur euphoniæ gratia. aliud eſt

ASPIS latine ſcutum: unde aſpilogia, ſermo de ſcutis ſive inſignibus. Hyperaſpiſtes lat. protector, ab ὑπερασπίζειν ſcuto protegere. eſt etiam Aſpis ſerpentis genus, teutonice *Aeder*: Pſalm. 90. *Super Aſpidem & Baſiliſcum ambulabis: & venenum Aſpidum inſanabile.*

ARE-

ARETAS virtuoſus, ἀρετή virtus: ſecunda brevi per ε: niſi more græco, propter ultimam longam, accentus ponatur in penultima.

AREOPAGUS ἄρεος πάγος Martis Pagus. ἄρης Mars, unde ἀρετὴ virtus. Areopagitæ erant ſeveriſſimi Judices, qui nullo modo a virtute Juſtitiæ deflectebant.

ARGUMENTOSUS, Cęcilia quaſi apis tibi argumentoſa deſervit, id eſt ingenioſa. argumentum operis ponitur pro opere ingenioſo, flandrice *een fraey ſtucK vvercKx!* ſic in Martyrologio 16. Septem. argumenta (id eſt acumina) rotarum ponuntur. Quintilianus ait: vulgo paulo numeroſius opus dicitur argumentoſum, id eſt nimia argumentorum mole refertum. Argumentum dicitur quaſi mentem arguens, ſive oſtendens. Virgilius *Degeneres animos timor arguit*, id eſt oſtendit: argumentari eſt mentem arguere, ſive monſtrare, flandrice *bevvyſen*, argumentum fabulæ *corte Bevvyſinge vande Comedie*. ſic argutus, qui bene argumentatur, & mentem ſuam arguit, ſive oſtendit.

ARIMINENSIS CONVENTUS. quemadmodum noſtro tempore ha-

bita fuit Synodus Dordracenſis a Calviniſtis in Hollandia; ita tempore Liberii Papæ, & Conſtantii Imperatoris Ariani, Conſtantini Magni filii, habitus fuit Conventus ſive Synodus Arimini in Italia ab Arianis, ubi multa callide diſputata fuerunt: quem Ariminenſem Conventum rejiciens Liberius Papa, actus eſt in exilium, agente præfato Imperatore Conſtantio: Liberiique loco intruſus fuit Felix Secundus, qui Arianis adverſatus, mortuo Liberio legitime a Clero Romano confirmatus, Conſtantium ut hæreticum damnavit: a quo ob Catholicæ fidei defenſionem (uti Martyrolog. 29. Julii) e Sede ſua dejectus, & Cæræ in Tuſcia occulte gladio necatus, glorioſe occubuit: quo tempore vixit S. Gaudentius, Ariminenſis Civitatis Epiſcopus: quando juſsu Conſtantii Imperatoris Ariani, in damnationem vocis *Conſubſtantialis*, coactum eſt Conciliabulum Ariminenſe (uti notat Baronius ad Martyrolog. 14. Octob.) cui Gaudentius pro viribus reſtitit, ejuſque acta, ſoluto jam Conventu, reſcidit: quam ob cauſam a Proconſulis Militibus trucidatus eſt; qui conſtrictus podagra incedere

non

non valens, ad locum ſupplicii protractus fuit: hinc eum Arthritici pro Tutelari colere ſolent. *Arthritis* eſt morbus articularis in genere, quod τὰ ἄρθρα, hoc eſt articulos, & juncturas infeſtet. *Podagra* eſt infeſtans pedes: *Chiragra* manus: *Gynagra* genua, τὸ γόνυ genu. Felici huic Secundo ſucceſſit Papa Damaſus, qui Ariminenſem Conventum, a Liberio ante rejectum, iterum condemnavit, uti narrat Breviar. Rom. 11. Decembris.

ASYLUM ἄσυλον eſt templum, aliuſve locus a direptione tutus, ab α privat. & συλάω quod eſt rapio. ſecundum Canones etiam Sacerdotum domus ſunt aſyla, uti Cœnobia.

AUTHENTICUM Græce αὐθεντικὸν latine authoratum, quod certam & indubitatam habet fidem, αὐθεντία, authoritas.

AZYMUS ab α privat. & ζύμη fermentum. Panis azymus ſine fermento. per translationem accipitur pro ſincero & non elato; nam infermentata conſperſio non attollitur: contra fermentati, ſive in fermento dicuntur eſſe iracundia turgentes; uti Plautus in Mercatore; mea Uxor propter illum to-

ta in fermento jacet, id eſt inflata & irata eſt. idem in Caſina: nunc in fermento tota eſt, ita turget mihi; ædepol ego illam mediam diſruptam velim.

B

BASILICA latine Regia: Baſilicæ prius vocabantur regum habitacula, unde & nomen habent à Βασιλεὺς Rex (*Baſiliſcus* rex ſerpentum, latine Regulus): nunc vero divina templa ideo Baſilicæ nominantur, quia ibi Regi omnium Deo cultus & ſacrificium offertur; ubi & ipſe Deus habitare cenſetur. primaria nunc templa ita vocantur. Baſilica antiquitus tribus conſtabat partibus: 1. atrio ſeu veſtibulo, quod arcubus ſeu porticibus extructum erat. 2. aula, quæ navis templi, & gremium Baſilicæ. 3. ſacrario, ſeu ſecretario, ſive adyto, & oraculo, & ſanctuario, ubi Altare, Ciborium, & Sancta Sanctorum, nunc Venerabile Sacramentum tabernaculo incluſum. Regum libro 3. cap. 7. intulerunt Sacerdotes Arcam fœderis Domini in locum ſuum, in oraculum templi, in ſanctum ſanctorum ſubter alas Cherubim. & cap.8. cum exiſſent

ſent Sacerdotes de ſanctuario. *Navis Templi* media pars vocatur ad oſtendenda pericula, ventos, & tempeſtates, quæ Chriſtianos circumſtant; contra quæ ut muniamur, tenenda eſt unio in nave Petri.

BALDACHINUM vox Italica, latine umbraculum: uti *Balcona*, locus in quo ſtatur ad proſpiciendum.

BALLATIONES latine tripudia, a Græco βαλλίζω tripudio, laſcivio, gallice *bailler*, hinc *balles & ballettes*. Zoſimus Papa inter alia ſuppreſſit Ballationes ante Baſilicas in feſtis Sanctorum exerceri ſolitas; quod initio ſimplex, & pius populus Chriſtianus ante templa tripudiaret, exemplo Davidis ante Arcam, uti adhuc faciunt Hiſpani ante Venerabile Sacramentum: ſed abuſus poſtea venerunt.

BAPTISMUS & BAPTISMA. Βάπτω aquis tingo, lavo. Βαπτίζω immergo. Baptiſterium locus vel vas ad lavandum. Secundum antiquas Eccleſiæ conſtitutiones ponuntur Baptiſteria ad latus dexterum in ingreſſu, prope navem Eccleſiæ. S. Gregorius ait: Baptiſma græco eloquio dicitur, latine tinctio,

quod

quod ibi homo ſpiritu gratiæ in melius immutetur, & longe alius quam fuit efficitur: primum enim fœdi eramus deformitate peccatorum, in ipſa tinctione reddimur pulchri dealbatione virtutum.

BENEDICTUS, Zachariæ Canticum quare dicatur in Officio matutino ad laudes? ideo eſt, quod loquatur ipſe de filio ſuo Joanne, qui erat aurora Solem Chriſtum præcedens; in eoque Cantico de illuminatione fit mentio, quod eſt matutini temporis proprium.

BENEDICTIO petitur & datur poſt Abſolutionem, ante lectiones Nocturnorum; eſtque licentia quam petit lector, ut poſſit bene dicere, ſive pronuntiare lectionem, hiſce verbis: *Jube Domne benedicere*; id eſt jube, ſive velis, benedicere, quod eſt benedictionem impendere: vel potius diviſim, jube me per tuam deprecationem bene dicere, ſive proferre lectionem ſequentem: quæ proprie legitur, non cantatur, ideoque lectio vocatur; per quam annuntiatur verbum Dei: quod quomodo prædicabunt, niſi mittantur? ideoque benedictio petitur a Lectore, ut poſſit bene dicere ſive prædicare verbum Dei. in fine lectio-

nis

nis dicit Lector: *Tu autem Domine miſerere nobis*: quaſi confitens culpam ſuam in lectione commiſſam, per diſtractionem, vanam gloriam, omiſſionem, malam recitationem. Chorus reſpondet *Deo gratias* pro pabulo ſpirituali, quod per lectionem accepit: quia prædicationis verbum ſecurius auditur, quam dicitur, uti ait Hieronymus. per *Jube Domne* intelliguntur ad prædicationem euntes, per *Tu autem Domine*, inde revertentes. Ad Paſſiones quæ cantantur in hebdomada ſancta, non petitur Benedictio; quia in illis narratur, quomodo fons & auctor omnis Benedictionis per ignominioſam mortem ſit ſublatus: & recitantur ſine lumine; quia Chriſtus lux mundi in Paſſione ſua quaſi extinctus fuit; vide infra in Cereo Paſchali. Benedictiones hæ ad Officium Nocturnum fiunt a Sacerdote manibus junctis per modum deprecatorium: aliæ autem ordinariæ manu dextera formando Signum Crucis; idque eo, quod cum Jeſus Chriſtus myſterium noſtræ Redemptionis & ſalutis per Crucem ſuam compleverit, omne Benedictionis genus per eam nobis promeruerit. vide Notitiam in Stephano 5.

BOC-

BOCCALE Italicum eſt, Teutonice *Kruycke*, Latine Gillo. in vitis & regulis Patrum legitur: ſiquis Gillonem, quem Baucalem nuncupant, caſu aliquo fregerit. *Barilia* ſunt parva vaſcula.

BOJA eſt torques aut compes, quo vincti tenentur; unde Teutonicum *Boeye*. Plautus Aſinaria: Carceres, numellas, pedicas, Bojas, tortoreſque acerrimos. (Boja, inquit Iſidorus, quaſi boum jugum dicitur.) idem Aulularia: Nervos, Catenas, Numellas, Pedicas, Bojas.

BLASPHEMIA. βλασφημέω, eſt verbis calumniantibus dignitati honorique alicujus detraho.

BREVIARIUM, Græce Epitome, latine Compendium, Summarium, ſeu conciſum opus. Breviarium Romanum definit Leſſius admirabile myſteriorum ſacræ Scripturæ compendium; continet enim Pſalmos, in quibus per modum laudis omnia myſteria clauduntur, tum ſelectiſſima antiqui & novi Teſtamenti arcana, tum Patrum monumenta nobiliora, & præcipua ſanctorum geſta, breves denique orationes ſeu collectas a ſummis Pontificibus ut plurimum compoſitas, atque indicat miro ordi-

ne

ne & varietate, quæ preces quotidie dicendæ. Romanum dicitur, quia continet preces iſtas juxta ritum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ. ita Leſſius.

BREVICULUM eſt breve ſcriptum ſive elogium, quocum defuncti ſolebant ſepeliri, ſive cui conſepeliebantur; ut poſteri ſcire poſſent, quinam ibi eſſent ſepulti: ita legitur in novis lectionibus Breviarii de S. Joanne Gualberto 12. Junii: *In breviculo, cui conſepeliri voluit, juſſit hæc ſcribi: Ego Joannes credo, & confiteor fidem, quam ſancti Apoſtoli prædicaverunt, & ſancti Patres in quatuor Conciliis confirmaverunt.* Concilia autem iſta quatuor ſunt Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, & Chalcedonenſe; quibus velut quatuor Euangeliis S. Gregorius Magnus honorem haberi voluit. nunc Brevicula vocantur elogia mortuorum quæ hinc inde mittuntur pro ſuffragiis & precibus ad ſolatium defunctorum, flandrice *Doot-briefKens.* a *Breve* (ſubintell. ſcriptum) venit Teutonicum *Brief*, Gallice *Bref*, cujus diminutivum eſt Breviculum; *BriefKen*, *Briefve*. vide in voce Epiſtola.

BRAVIUM βραβεῖον ſecunda producta

ducta propter diphthongum, eſt victoriæ præmium, quod ab agonothetis ſive munerariis confertur; ἀγὼν certamen & locus certaminis. Brabeutæ, ſunt Judices agonizantium ſive certantium; & brabium non bravium dicendum.

BIRRUS, ſive Birrum, ſicut pileus & pileum. in vita ſancti Auguſtini refertur, quod ſuos Clericos linea, & Birro ornaverit: id eſt tunica linea, & birro lacerno; quod mozzeta ſive manteletum Italice dicitur. eſtque palliolum Prælatorum, quod ſupra roccheтum humeros tegit. Auguſtinus ſermone 2. de vita Clericorum ait: nemo det birrum vel lineam tunicam, ſeu aliquid, niſi in communi: &, birrum pretioſum forte decet Epiſcopum, quamvis non deceat Auguſtinum. In Paſſione S. Cypriani legitur, quod cum eſſet gladio feriendus, *expoliavit ſe birro*, & tradidit carnificibus; dalmaticam vero tradidit Diaconibus, & ſtetit in lineis, expectans ſpiculatorem. Ambroſius Coriolanus, in Defenſorio cap. 5. ait: Birrum eſt caputium illud fœderatum, pendens a collo per humeros ad brachia, quo adhuc in Eccleſiis Cathedralibus utuntur hyeme Canoni-

nonici ſæculares, pellibus fultum: Regulares autem utuntur caputio ſive birro non fœderato. Feſtum omnium Sanctorum vocatur Romæ *Feſtum Capparum*, quia Canonici a feſto iſto uſque ad Paſcha ferunt cappas; quæ antiquis birri, ſive birra dicebantur. Lacernos autem ſive lacernas deſcribit Juvenalis Satyra 9.

Pingues aliquando lacernas
Munimenta togæ, duri craſſique coloris,
Et male percuſſas textoris pectine Galli.

BIRRETUM eſt diminutivum a birro quaſi parvum birrum: & hoc tegumentum eſt capitis tantum, ſicut birrum ſimul humerorum & brachiorum. quando Canonici portant birrum, uti in hyeme, tunc omittunt birretum: in æſtate autem propter calorem, non utentes birris, ſive cappis, tunc portant birretum; quod & pileum birrum dicunt, Eraſmus Pyrrum, & a πῦρ, quod eſt ignis, deducit, quaſi coloris ignei, ſive rubri; hinc forſan colore rubro adhuc intus contecta ſunt Birreta. Notatur in imaginibus præcedentis ſæculi, quod etiam Laici portabant birreta, ſed rotunda; Clerici autem

qua-

quadrata, ſuperius in formam Crucis: quod autem aliqui ea ferant cum tribus tantum cornibus ſive angulis eſt, quia ſunt birreta portatilia, quæ complicantur, ita ut unum cornu intorqueatur, ut ſic plicata commodius conferantur. Reddi poſſet etiam ratio myſtica vel moralis, quare aliqui Prælati ea portent; ut nempe impleant, quæ deſunt Paſſionibus Chriſti. nonnulli ad diſtinctionem trigona birreta geſtant, ut internoſcantur; uti Jeſuitæ in Francia.

BRACCÆ, potius *Brachæ*, ſunt brevia pudendorum ſubligacula, a græco βραχὺς brevis, unde tribrachys, pes tribus brevibus conſtans. Braccæ dicuntur ab aliquibus quaſi breves raccæ, a græco ῥάκος quod pannum craſſum & vilem ſignificat, Teutonice *Paye*, raccoma *Paye ſacK*. Incongrue vocantur *Bracchæ*, quas Magiſtri Academici in humeris portant; habent enim formam birrorum, quibus quondam caput & humeros tegebant, & birrati erant; uti apparet in antiquis Doctorum imaginibus; nunc autem birretati ſunt: utque oſtendant ſe birros quondam portaſſe, eos in humeris portant, uti a Canonicis geſtantur almutia, quondam

dam in capite portata.

BULLÆ improprie litteræ Pontificiæ dictæ, proprie *Formata* vocantur, quod certis quibuſdam formis fiant: vide infra in voce *Formata*. ſed Bullæ ſunt ipſa Sigilla litteris Pontificiis affixa, in formam Bullarum, quæ hodie puerorum collo dependent, quas Agnos Dei vocant. dictæ ſunt antiquitus puerorum bullæ. a βȣλὴ Conſilium, quod in tenera ætate pueri conſilio ſeniorum indigeant: ab hac bullarum formæ ſimilitudine, litteræ Pontificiæ, bullatæ dicuntur, non ipſæ litteræ Bullæ, niſi Synecdochice: quæ ab hæreticis per contemptum Bullæ vocantur, & æſtimantur tanquam bullæ, quæ in aqua cito oriuntur & evaneſcunt. Tempore quo Papa tantum eſt electus, nondum coronatus, Bullæ plumbeæ litterarum Apoſtolicarum (quas prius cera ſigillatas, Adrianus I. plumbo muniri juſſit) ab una tantum parte imprimuntur Capitibus Apoſtolorum Petri & Pauli; ab alia parte, ubi Nomen Pontificis imprimi ſolet, nihil eſt impreſſum. vide Cæremoniale Roman.

BULLA CRUCIATÆ unde dicatur? vide ſupra in Urban. II.

BUL-

BULLA AUREA quondam vocatum eſt diploma Caroli Quarti Imperatoris, eo quod ſigillo ex auro, ſive bulla aurea eſſet roboratum: hic probus Princeps cernens ſuperiores aliquot Imperatores propter inſectationem Sedis Apoſtolicæ infelices fuiſſe, pacem cum Pontificibus Romanis perpetuam inivit, quæ Bulla aurea firmata fuit, in qua multa ad pacem publicam continentur: & nunc Imperium in ejus poſteris adhuc feliciter perſeverat; Deo ipſum in progenie felicitante: nam Vvenceslaus, deinde Sigiſmundus ejus filii diu imperarunt, donec Sigiſmundus, cum virili ſobole careret, Albertum Auſtriæ Ducem filiæ maritum Imperii hæredem reliquit; a quo Imperium ad poſteros derivatum per Fredericum 3. Maximilianum I. Carolum Quintum, & cæteros, in Auſtriacis perſeverat.

C.

CABALISTA. Theologia Hebraice *Cabala* dicitur a verbo *Chibbel* quod eſt auditu accipere, auſcultare: omnes enim ſcientiæ, quod voce traderentur, ab au-

auſcultando dictæ ſunt. Phyſiologicas Ariſtoteles ſcientias libris de mirabili Auſcultatione tradidit: Sanctus Benedictus ethicas traditurus ſcientias ita incipit ſuam Regulam: Auſculta fili præcepta Magiſtri &c. hodie Cabaliſtæ vocantur, qui abſtruſum aliquid docent.

CALUMNIA vide Kalumnia.

CALYBITA. ſicut Simeon Stylita, a στύλος columna, ſuper quam ſtabat, ita Joannes Calybita a καλύβη tugurium, quod inhabitabat, dicitur.

CAMERA. In vitis Pontificum Rom. de Baſilicarum variarum Cameris fit frequens mentio, & 11. April. Breviarium Rom. refert de S. Leone Magno, quod in tribus Baſilicis Petri, Pauli, & Conſtantiniana Cameras extruxit, quæ ſunt Sacraria, ſive Sacella Baſilicis adjuncta: Cameræ dicuntur, quia ſuperius camerantur ſive fornicantur; fornicis autem curvatura Græce καμάρα, Latine Fornix dicitur. & Prudentius in hymno de SS. Petro & Paulo, camuros arcus templi vocat. Camurus, latine Curvus, gall. *Camus*. ſic Camera habet Camuros arcus; & Camerati ab Italis dicuntur qui eadem Ca-

mera utuntur : hincque conjuges ſe invicem Cameratos vocant. de eodem S. Leone ibidem narratur, quod Sepulchris Apoſtolorum cuſtodes adhibuerit, (ad cuſtodiendum locum, ubi corpora Apoſtolorum cubabant ; quia Sancti dormire in Domino dicuntur, unde Cœmeteria, latine Dormitoria dicta ſunt) quos *Cubicularios* appellavit, qui modo ſunt Capellani ; quia oratoria ſive ſacella antiqui cubicula ſive Cameras appellabant. ita Salvator Matthæi *6.* v.*6.* intra cubiculum tuum, & clauſo oltio ora Patrem tuum. & David Pſal.5. *In Cubilibus veſtris compungimini*, id eſt Oratoriis : vide notas Baronii ad Martyrologium 11. Julii, ad illa verba : Translatio S. Gregorii Nazianzeni in Capella &c.

CAPELLANI primitus apud Francos dicti ſunt a Capa S. Martini, *la Chape de S. Martin*, quam Reges Francorum ob adjutorium victoriæ in præliis ſolebant ſecum ferre, eamque ferentes & cuſtodientes Capellani vocati. Capa autem hæc erat pallium illud, cujus dimidiam partem gladio diviſam pauperi dederat.

CAPELLA apud Gavantum deducitur a Caprarum pellibus, hiſce

ſce verbis: Capella fuit apud antiquos pia domus itineraria ex Caprarum pellibus fabricata; & a pellibus his Capellas, earumque cuſtodes Capellanos vocitabant. vide Joannem Jacobum Chiffletium in Lilio Francico capit. 13. & filium ejus Julium in Aula Sacra capite 1. Capella etiam ponitur pro ornamentis Miſſæ celebrandæ neceſſariis, uti habetur in vita S. Norberti cap. 13. quod in executione prædicandi neque peram, neque calceamenta, neque duas tunicas portaret, niſi virgam & Capellam ad Miſſam celebrandam. item cap. 10. ſola dumtaxat Capella retenta ad Miſſam celebrandam. ad quæ loca vide notas Chryſoſt. vanden Sterre editas Antv. an. 1656.

CAPPA apud nos ſumitur pro Pluviali, & vocatur *Choor-kap*. Ordo Romanus dat cappas Presbyteris aſſiſtentibus in Miſſis ſolemnibus Sacrificanti. Capa (non Cappa quod Italicum eſt) dici deberet; ſicut Hiſpani *Capa*: a capiendo, quod totum hominem capiat. vide Aulam ſacram Julii Chifletii, ubi paſſim capa, non cappa ſcribitur. Capæ vocabantur antiquitus pallia, hiſpanice *Capas*,

flandrice *Cappen*, unde *Cap-ſtock*, & *Cap-dief*, Palliorum fur.

CAPUTIUM eſt quo caput tegitur. jam a multo tempore omiſſa fuerunt caputia, gall. *Chaperons*, fland. *Capruynen*, & in uſu eſſe cœperunt primum Birreta, deinde Pilea.

CANDIDATI apud antiquos erant tyrones ſive novi milites, qui cum albo ſive candido ſcuto ad bellum procedebant. Juvenalis: *Scutoque ignobilis albo*. & hi generoſitate ſua ſperabant quod hoc ſcutum cum tempore *Melior fortuna notabit*, quum nempe aliquid heroicum & memoria dignum in Bello patraſſent, quod in ſcuto iſto depingi mereretur; unde picturæ inſignium ſive armorum originem trahunt. & ita canitur in Hymno te Deum laud. *Te Martyrum candidatus laudat Exercitus*: adeoque Martyres cœleſtis gloriæ candidati heroicis ſuis actibus inſignia, cum quibus pinguntur, promeriti ſint.

CANON (latine Regula) MISSÆ, quæ & ideo dicitur ACTIO, (*infra Actionem*) quia in ea parte Miſſæ, quæ eadem ſemper eſt, continetur legitimus ordo, fixa regula, & quotidiana actio ad con-

ficien-

ficiendum Euchariſtiæ Sacramentum. dicitur autem ſubmiſſa voce, quia iiſdem quotidie verbis conſtat, quæ facile a circumſtantibus memoriæ mandarentur ex frequenti auditione; ac ſic ſacris iſtis verbis ad res prophanas facile abuterentur. Canon quaſi centrum totius Miſſæ in medio libri Miſſalis ponitur.

CANONIZO, vox barbara, latine dicitur, in ordinem ſive canonem ſanctorum redigo. Petrus a Beeck in hiſtoria Aquiſgranenſi, cap. 5. agit de adlectu Caroli Magni in Canonem ſanctorum (quod cum contigerit per Paſchalem III. Papam ſchiſmaticum, de eo Martyrologium Romanum non meminit). Quando autem ſolemnis Apotheoſis ſive Canonizatio in Eccleſia Romana primum cœperit, vide Notitiam, ſupra in Leone III. & quomodo antiquitus fieret, Notas Baronii ad Martyrologium die 2. Aprilis.

CANONICUS vox nota, latine Regularis. Canonici Auguſtiniani ſunt, qui addita latina interpretatione ſe Regulares vocant: uti ait Eraſmus Roterodamus, ex quorum numero ipſe aliquando fuit.

CANOR idem quod cantus, uti

in Hymnis Breviarii habetur. *Canore jubilo*, *Nitore perpeti*. Ovid.

Vox eſt blanda canor; diſcant cantare puellæ;

Multis pro forma vox ſua lena fuit.

CANTICUM. Diſtinctio inter Pſalmum, Hymnum, & Canticum hæc eſt: Pſalmus eſt cantus triumphalis operum Dei in generali; Canticum alicujus Divini operis extraordinarii encomium, ſicut Canticum Moyſis, Annæ, Ezechiæ, 3. Puerorum, B. Mariæ Simeonis &c. Hymnus eſt canticum laudis. Materia Hymni eſt laus Dei, vel Sancti alicujus; Cantici gratiarum actio, & gaudium ſpirituale: ideoque tractim, & ſolemniter Cantica decantantur.

CAMPANA idem ac *Nola*, niſi forte Campana major, & Nola minor ſit: cujus auctor S. Paulinus Nolæ in Campania Epiſcopus fuiſſe dicitur.

TINTINNABULUM ex tinnitu, & *Clocha*, gallice *Cloche*: unde flandrice *Clock* dicitur Æs campanum, quia æs optimum prope Nolam in Campania effoditur: etiam *Nola* ſubſtantive, *Campana* adjective ſumitur. Campanæ benedicuntur, vide Notitiam in Joanne XIII. Papa 137. quod flandr. dicamus *de*

cla-

clocke kerſten doen, & gallice *baptiſer*: quidam autor gallicus hoc ita explicat: *Il faut remarquer que nos cloches ne ſont point baptiſees du Bapteme de remiſſion, comme les ames humaines, mais du Bapteme de ſanctification & dedication au ſervice de Dieu.*

CAPITULUM eſt diminutivum a caput; ita Plautus: meum capitulum, meus ocellus! & Terentius, o lepidum capitulum: in ſignificatione qua hodie ab Eccleſiaſticis uſurpatur, apud antiquos non reperitur; pro loco nempe ubi Canonici congregantur; quorum Collegium Capitulum vocatur: potius vocari poſſet *Capitolium*; qualis apud Romanos erat locus, ſive Templum, quo Senatores ſolemniter conveniebant ad negotia Reipublicæ tractanda. Antiquitus autem apud Canonicos, & hodie adhuc apud Cœnobitas, tempus frequentandi Capitulum eſt ſub finem Primæ, ad illam orationem: *Dirigere, ſanctificare, regere &c.* qua petitur a Deo directio ad congregationem rite tenendam; quando ſc. in loco capitulari conveniebant ad prædicationem ſive lectionem convenientem officio feſti quod celebrabatur, uti patet ex ſermonibus ſancti Bernardi, & aliorum

Patrum illo tempore habitis ; vice cujus hodie adhuc legitur *Lectio Brevis*, ſicut fit ante Completorium : quando etiam ad homiliam ſive conferentiam ſolebant convenire , unde intelligi poteſt quid ſibi velit Rubrica , *Ad abſolutionem Capituli*. De Capitulis autem quæ ad ſingulas horas canonicas in Officio Eccleſiaſtico dicuntur , ita ſcripſit Papa Vigilius ad Eucherium : *Quoties Paſchatis , aut Aſcenſionis Domini , vel Pentecoſtes , vel Epiphaniæ , Sanctorumque fuerit agenda feſtivitas ſingularis , Capitula diebus apta ſubjungimus , quibus commemorationem ſanctæ ſolemnitatis , aut eorum facimus , quorum natalitia celebramus : cætera vero ordine conſueto proſequimur.*

CARDINALIS ſive *Cardinarius* a S. Gregorio in Regiſtro definitur : Presbyter , vel Diaconus, qui certæ alicui Eccleſiæ , vel Diaconiæ proprius , & ad certi alicujus Tituli ſive Eccleſiæ miniſterium ordinatus , inſertus, annexus, & incardinatus eſt : & Cardinalem conſtituere , dicit idem Gregorius aliquem alicui Eccleſiæ incardinare. Cardo autem eſt proprie ferrum illud, circa quod fores vertuntur : ſic vocantur quatuor virtutes , & ven-

venti cardinales, id eſt principales. S. Cyprianus libellum de cardinalibus, id eſt principalibus Chriſti operibus conſcripſit. ſic Cardinales ſunt viri in Eccleſia principales, circa quos totius rei chriſtianæ cardo vertitur. Pius Secundus ad novos, quos creaverat Cardinales, ita loquitur: maxima inquit, Filii, & excellentiſſima dignitate donati eſtis; ad collegium Apoſtolicum vocati, conſiliarii noſtri & conjudices orbis terrarum eritis: inter cauſam & cauſam, inter ſanguinem & ſanguinem, inter lepram & lepram diſcernere vos oportet: ſucceſſores Apoſtolorum circa thronum noſtrum ſedebitis, vos ſenatores urbis & orbis eritis, verique mundi cardines, ſuper quibus militantis oſtium Eccleſiæ volvendum ac regendum eſt; cogitate animo, quas vires, quæ ingenia, quam integritatem hæc dignitas requirat; humilitatem non ſuperbiam, liberalitatem non avaritiam, abſtinentiam non ebrietatem, continentiam non libidinem, ſcientiam non ignorantiam, virtutes omnes, nullum vitium hic honos expoſcit. Plura qui requirit, legat Ciaconium inter Hyginum, & Pium Pontifices,

Nota quod Cardinalibus dederit Rubrum Galerum Innocentius IV. Rubram veſtem Paulus II. eamque ſæcularibus, non regularibus: tandem Gregorius XIV. omnes ſine diſcrimine Purpureos fecit.

CASULA diminutivum a Caſa, quaſi parva caſa, gallice *petite Caſſe, qui couvre tout le Preſtre.* unde noſtrum *Caſack.* Græce cur *Planeta* dicatur? vide infra. initio Eccleſiæ etiam Diaconi cum Caſulis miniſtrabant (ſed S. Silveſter illis attribuit Dalmaticam) in cujus memoriam, Eccleſiarum principalium Diaconi in Adventu & Quadrageſima adhuc utuntur Caſulis, ſed ad diſtinctionem Presbyterorum, a parte anteriore complicatis.

CATABULUM, καταβάλλω conjicio, locus erat ſubterraneus, in quem alimenta pro beſtiis conjiciebantur. 16. Januarii in lectionibus Breviarii narratur, quod Maxentius Tyrannus Marcellum Papam in catabulum miſerit, ut beſtiarum, quæ publice alebantur, curam ſuſtineret: ubi loci fœditate, multiſque ærumnis afflictus, obdormivit in Domino.

CATACUMBÆ. loquendi uſus obtinuit, (uti notat Baronius ad

Mar-

Martyrologium vigeſima Januarii) ut *catacumbæ* pro *catatumbis* dicerentur: ex græca enim dictione κατὰ juxta, & latina *tumbas*, compoſita vox eſt: & in lectionibus Breviarii S. Damaſi 11. Decembris, & S. Sebaſtiani 20. Januarii, ac S. Cornelii 16. Septembris catacumbæ ſcribitur. apud Gregorium vero in Regiſtro lib. 3. cap. 20. ad catatumbas ſcriptum reperitur: non tamen erraſſe dixerim qui catacumbas legunt, nam κατυκωμβὴ locus eſt cavus atque profundus, qualia Romæ cœmeteria eſſe ſolent in arenariis, profundis cryptis exarata.

CATHARINA vox, uti ipſa erat, Græca, dicitur vel a καθαρὸς, quod eſt purus, καθαρίζω purifico: vel a καταῤῥέω defluo (unde catarrhus: defluxio) nam ab ore Catharinæ ſuavis ſimul & fortis defluebat oratio, qua tot Philoſophos & Nobiles ad Chriſti Fidem perduxit. hinc Catharina non immerito Rhetorum præſes habetur, & Rhetorica a ῥέω fluo dicitur.

CATASTA dicitur a κατυςάω expono: lignea erat machina, qua ſervi vincti tenebantur, & venum exponebantur.

CATECHESIS. in primitiva Ec-

cleſia, qui ad Baptiſmum admittendi erant, prius fidei Chriſtianæ myſteriis ab Apoſtolis viva voce imbuebantur, quod inſtitutionis genus κατήχησις dicebatur a κατηχεῖν viva voce inſtruere; quod derivatur a voce ἦχος ſonus, ἠχεῖν reſonare. Pueri in catechiſmis, quod ab inſtructoribus audiunt, quaſi Echones reſonant. qui ad hunc modum ſacris myſteriis imbuebantur, *Catechumeni* dicti ſunt, κατὰ juxta, ſive ad modum Echus, vel Echonis: itaque κατηχίζω eſt ad modum quo Echo reſonat, aliquem reſpondere doceo.

CEREUS ſubintelligitur funis; quia candelæ ſunt cerati funes, hinc *Ceroferarii* qui cereos, ſive candelas ferunt; *Ceroferaria* ſunt ipſa candelabra. *Candela* dicitur a candore luminis, ſive ceræ albedine. Sanctus Hieronymus ad Marcellam ait: qui cereos accendunt, ſecundum fidem ſuam habent mercedem.

CEREUS PASCHALIS. quis auctor ejus ſit, vide in Zoſimo Papa 45. & adde quod Cereus iſte referat Chriſtum, in Paſſione a Judæis quodammodo extinctum, & in Reſurrectione refulgentem: cujus ſ. corpus per ceram, anima per ely-

elychnium, divinitas per flammam refertur: quinque grana incenſi cereo infixa referunt quinque Chriſti vulnera in corpore glorioſo reſervata. Accenditur cereus paſchalis, cum una ex tribus candelis in ſummitate arundinis diſtinctis: eo quod, quamvis tota Trinitas Reſurrectioni Chriſti collaboraverit, ea tamen uni perſonæ Chriſti proprie aſcribatur.

CIBORIUM κιβωτὸς capſa, arca, κιβώτιον ſive κιβώριον capſula, arcula: fland. *den kop*, in quo ſervantur parvæ hoſtiæ conſecratæ, paſſim *Ciborie*.

CHORUS deducitur a chorea; vel chorea a choro; a græco χαρὰ lætitia. S. Dionyſius vocat cantum alternum, qui obſervatur in Eccleſia, quaſi concordem & conſonam ſacrarum rerum choream. Franci dicunt: *Un cheur, c'eſt à dire une troupe des gens, qui chantent & qui danſent enſemble*: ita ut chorea ſit actus, & chorus ſit locus, ubi quaſi choreæ vocibus exercentur. Antiquitus orabat & cantabat clerus circumſtans altare, in modum coronæ: & antiquum eſt dictum: in choro clericus, extra chorum populus.

CLEPSYDRA non ſignificat ut

paſſim

paſſim putatur, *Sandt-looper*, ſed proprie *vvater-looper:* quo horologio aquatico antiqui utebantur, dicto a κλέπτω furor, & ὕδωρ aqua; quaſi *vvater-ſtelder:* hinc proverbium antiquum: *hæret mihi aqua*, quando alicui *V. G.* Concionatori hora longior videtur. *Sandt-looper* autem deberet vocari horologium ſciotericum.

CATALOGUS ſine aſpiratione ſcribendum eſt, a καταλέγω recenſeo, enumero.

CATHOLICUS cum aſpiratione, a κατὰ circa, & ὅλον totum: debet hoc ſcribi per h. quia prima in ὅλον aſpiratur, & eliditur ultima in κατά: uti holocauſtum, id eſt totum combuſtum, & holoſericum, totum ſericum.

CAMERS genit. Camertis, eſt aliquis ex civitate, quæ Camerinum dicitur: ſic Tuders genit. Tudertis, ex Tuderto; aliter Tudertinus, Camerinus.

CENODOXIA, inanis ſive vana gloria. κενὸς inanis, δόξα gloria.

CENOTAPHIUM inane ſepulcrum, τάφος ſepulcrum. Epitaphium eſt quod inſcribitur ſepulcro.

COENOBIUM (κοινὸς βίος communis vita) locus ubi in communi

ni vivitur : hinc *Cœnobiarcha* qui præeſt ſic viventibus, & *Cœna* ubi communitas comedit.

COENOMYIA. μυῖα muſca, quaſi communitas muſcarum, latine *examen*, ſland. *gheſvverm van vliegen, muggen*.

KENOΣ inanis, uti cenotaphium, cenodoxia ſine diphthongo.

KOINOΣ communis, promiſcuus, per œ, uti cœnobium, epicœni generis, ideſt promiſcui.

KAINOΣ novus, uti *Encænia* per Æ. feſtivitas dedicationis novi templi. hinc *Encænare* dicitur, qui nova tunica induitur. Proverbium græcum ait : Τὰ μὲν κοινὰ καινῶς, & quidem communia noviter, Τὰ δὲ καινὰ κοινῶς, nova autem communiter.

CLERICUS κλῆρος, ſors ſive hereditas, quia clericus in ſortem Domini vocatur, & dum ab Epiſcopo tonſuram accipit, illud ex Pſalmo pronuntiat : *Dominus pars hereditatis meæ, & calicis mei : tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi.*

COEMETERIUM. κοιμητήριον, latine dormitorium, a κοιμάω dormio. cœmeteria ſunt dormitoria mortuorum; qui ab Eccleſia ideo dormientes vocantur, quia exci-

tan-

tandi, & reſurrecturi non dubitantur. Cretenſes olim in publicis civitatibus habebant ædes publicas ad excipiendos peregrinos, quæ appellabantur cœmeteria, ſicut Bruxellæ ſunt hoſpitalia SS. Juliani, Jacobi, Laurentii, Cornelii, quæ ſunt dormitoria.

CHRISTUS, latine unctus, χρίω ungo; chriſis unctio; chriſma unguen ſive unguentum. Sanctum Chriſma ex balſamo & oleo ab Epiſcopo conſecratum adhibetur ad ſacramenta Baptiſmi, & Confirmationis; ſanctum Oleum conſecratum ſine balſamo ad extremam Unctionem.

CÆREMONIÆ, vox antiqua, Romanis uſitata, cum Urbe a Gallis capta, Veſtales Virgines ſimulacra Deorum hoſtibus erepta, tranſtuliſſent in oppidum Cære; ubi benigno hoſpitio, & multo honore ac reverentia a Cæritibus ſuſceptæ fuerunt, donec a Gallis Urbs per Camillum liberata fuit: in cujus beneficii memoriam Romani omnem Divinum cultum, & quem potiſſimum a Cæritibus acceperant, Cæremonias vocarunt. Dicuntur cæremoniæ ſive cærenomiæ quaſi leges (νόμος lex) urbis Cæræ; unde Cærites cives hujus urbis,

bis, & proverbium: *Carite cera dignus*.

COLOBIUM (κολοβὸς mutilus) eſt tunica ſine manicis, ſive mutilata. legitur de Eutychiano Papa, quod vetuerit, ne Martyres ſine Dalmatica, aut colobio purpurato ſepelirentur. Dalmatica eſt veſtis Diaconalis apertis manicis, colobium eſt veſtis ſimilis, ſed anguſtior, ſine manicis. colobium bubalinum teutonice *Buffelſche kuelder*: colobium lineum, veſtis linea ſine manicis, quæ *ſubtilis* dicitur: in liturgia S. Jacobi ponitur colobium pro caſula, quia eſt veſtis ſine manicis, quaſi mutila, a κολοβόω mutilo.

COLLECTA adjectivum ſubſtantivatum, eſt oratio communitatis in unum collectæ, quæ a Græcis ſynaxis dicitur. Oratio Sacerdotis in Miſſa ideo collecta vocatur, quod ipſe qui legatione fungitur pro populo ad Deum tanquam ſyndicus, omnium petitiones ea oratione colligat, atque in unum concludat. Surius in vita S. Paulini 22. Junii narrat: *Quod Sabbato lætus ad Eccleſiam proceſſit, & aſcenſo tribunali, ex more populum ſalutavit, reſalutatuſque a populo orationem dedit, & collecta oratione, ſpiritum*

ritum exhalavit, quorum verborum hic notatur a Baronio ſenſus: *ex more populum ſalutavit*, indicat illud, cum Epiſcopus ante orationem dicere conſuevit *Pax vobis*, cum ſubdit *reſalutatus a populo*, ſignificat quod populus reſpondere ſolet *& cum ſpiritu tuo*. cum addit *orationem dedit*, eſt illud quod ante orationem præmittitur *Oremus*. & quod ſequitur *collecta oratione*, id eſt *recitata*, ſpiritum exhalavit. collectam hanc, Græci Synaxim vocant, quaſi ſimul coactam a συνάγειν cogere, congregare. Aliqui orationes & collectas ita diſtinguunt, ubi plures in Miſſa orationes dicuntur; quod primam vocent Orationem, reliquas, quæ ſub uno *Oremus*, & unico *Amen* includuntur, collectas appellent. Collecta etiam ipſa congregatio populi, Græcis Synaxis dicitur, Alcuinus ait: illæ orationes ſpeciatim collectæ vocantur, quæ ſuper collectam populi fiunt: & ſanctus Hilarius: dicto *Alleluja*, eo ſigno vocabantur ad collectam, id eſt ad concionem; uti legitur de S. Joanne Euangeliſta, quod per ſingulas collectas nihil aliud proferre ſolebat, niſi Filioli diligite alterutrum. collecta etiam ponitur

tur pro collectione eleemoſynarum, uti ad Corinthios primæ cap. 17. hinc collectores qui eas pro pauperibus colligunt.

COMMUNIO ideo ab antiquis dicta fuit, quia initio Eccleſiæ omnes in Miſſa præſentes de corpore Chriſti participabant, quod communicare dicitur: nec proprie communio dici poteſt, niſi plures de eodem ſacrificio communicent. vide infra: *Oratio ſuper populum*. hæc communio Græcis Synaxis dicitur.

COMMENTARIENSIS eſt cuſtos carceris, ſive carcerarius, qui captivos in cippis detentos cuſtodit (unde vox flandrica *Cippier*) & eorum nomina in commentariis deſcripta habet.

CONCILIA MARTYRUM loca ſunt ubi multa ſanctorum Martyrum corpora collecta continentur, qui Deum nobis ſuis meritis & precibus conciliant. & ſicuti Epiſcoporum concilia dicuntur, ubi multi congregati ſunt Epiſcopi; ita locus, ubi plura Martyrum corpora, concilium Martyrum dicitur.

CONFESSIO eſt locus ubi corpus S. Petri, vel alterius Sancti conditum eſt. Breviarium Romanum

num 18. Novembris, in lectionibus ſecundi nocturni vocat Confeſſionem ſancti Petri, locum Principis Apoſtolorum ſepulcro deſtinatum. Idem Martyrium græce, latine confeſſio dicitur: Legitur de Pelagio Secundo quod corpus Sancti Petri (confeſſionem videlicet, ubi corpus ejus jacet) tabulis argenteis deauratis veſtiverit. vide infra in verbo *Memoria*. Aliud eſt confeſſio peccatorum, quæ græcis *Exomologeſis* dicitur, ab ἐξομολογεῖν, ingenue eloqui, ὁμολογία confeſſio: qui confitetur, ingenue loquitur.

CONFESSOR latine, græce Martyr. Henricus Colterus in notis ad Vincentium Lirinenſem ait: Confeſſoris nomen olim non niſi iis dabatur, qui ob Chriſti teſtimonium publicitus datum, publica aliqua pœna vel calamitate, non tamen morte, erant affecti: hinc apud Euſebium & alios legimus, nonnullos fuiſſe ſecundo, tertio, & quarto confeſſores: & in Martyrologio 13. Julii. *Qui tertio confeſſores effecti, glorioſa in Chriſto perſeverantiæ titulo illuſtrati ſunt*. & aliqui vocantur Epiſcopi & Confeſſores, aliqui tantum Epiſcopi; de quo vide notas Baronii die 2. Januarii

ad

ad illa verba: *B. Iſidori Epiſcopi & Confeſſoris*, & *eodem die B. Iſidori Epiſcopi*. item 17. Novembris: *Alexandriæ S. Dionyſii Epiſcopi ſummæ eruditionis viri, qui multis confeſſionibus clarus, & pro paſſionum tormentorumque diverſitate magnificus, plenus dierum confeſſor quievit*. Item 27. Decembris: *Alexandriæ S. Maximi Epiſcopi, qui ſatis clarus & inſignis titulo Confeſſoris effectus eſt*. Invitatorium feſti S. Martini 11. Novembris: Laudemus Deum noſtrum *in Confeſſione Beati Martini*. & in ſecundis Veſperis, Antiphona ad Magnificat: *O ſanctiſſima anima, quam etſi gladius perſecutionis non abſtulit, palmam tamen Martyrii non amiſit*. Et ita Onuph. Panvinius ſentit, Pontifices aliquot Martyres dici, quod etſi violenta morte non deceſſerint (uti Eleutherius, & Melchiades, & alii) multa tamen pro Chriſti confeſſione paſſi ſint; licet martyrium non conſummarunt: hos tamen confeſſores Cyprianus vocat, qui græce Martyres dicuntur, uti etiam S. Felix Presbyter 14. Januarii pro Martyre colitur; qui, cum Eccleſia Dei requieſcere cœpiſſet, obdormivit in Domino. Hodie (licet Martyr idem ſignificet quod confeſſor)

Mar-

Martyres per antonomaſiam ſoli dicuntur, qui pro confeſſione Chriſti animas ſuas tradiderunt.

COMMEMORATIO S. PAULI APOSTOLI, 30. Junii. licet pridie hujus diei tam Petri quam Pauli acta ſit ſolemnis celebritas, tamen hac potiſſimum die ſolius Pauli commemorationem fieri debere ex ſancti Gregorii inſtitutione, docet Micrologus, cap. 42. cujus rei gerendæ cauſa probatur ex hymno 12. Prudentii de SS. Petro & Paulo Apoſtolis, ſub finem: conſueviſſe nimirum Romanum Pontificem una eademque die Pontificias functiones in utraque Baſilica exercere: cum autem hoc propter nimiam locorum inter ſe diſtantiam, non ſine nimio ac intolerabili labore perfici poſſe videretur, conſultius viſum eſt, ſequenti die in Baſilica S. Pauli ſacra peragere, uberiuſque perſolvere quod pridie ea de cauſa ibidem loci fuiſſet omiſſum.

CORNICULARIUS. de Anaſtaſio Corniculario Martyrologium 21. Auguſti. corniculum (diminutivum a cornu) erat ornamenti genus, quo donabantur milites ab Imperatoribus pro re in bello bene geſta. Livius lib. 10. ſcribit,

Pa-

Papyrium conſulem equites omnes ob inſignem pluribus locis operam navatam, donaſſe corniculis armilliſque argenteis. apud Valerium Maximum cornicularius idem eſt quod cornicen: inter hodiernos milites eſt idem quod *Adjudant*.

COPRONYMUS. Leoni Iſaurico Imperatori anno 719. natus eſt filius Conſtantinus; is cum ſacro lavacro ablueretur, aquam ſtercore forte infecit; qua re animadverſa, Patriarcha Conſtantinopolitanus illum baptizans oraculum dedit, fore ut is aliquando ſacra omnia pollueret; unde illi Copronymi nomen eſt additum (κόπρος ſtercus) quod impietate ſua deinde oſtendit. Filiam hic habuit piam & ſanctam, Anthuſam nomine. ipſe adulatorie vocabatur Flavius Conſtantinus Porphyrogenitus, id eſt purpura natus.

CREDENCIA, Italice *Credenza, ripoſto, dove ſi ſervano li vaſi, e altre coſe appartenenti alla tavola*. Gallice *Credence, cabinet aux vaſes d'argent*. Græce ἄβαξ, latine vaſarium, abacus. Credencia ad ſacrificium poſita dicitur ex eo quod vaſa ſacra Miſſæ in abaco iſto collocata, ibi credantur, id eſt in

tuto

tuto ponantur; hujus cuſtos, cujus fidei concredita ſunt. *Credenciarius* (italice *Credenziero*) ponitur pro Magnatum cibi & potus prægustatore, & prægustatio *credencia* barbare dicitur.

CRYPTÆ ſunt loca ſubterranea, in quibus abſconſa jacebant Martyrum corpora, & ubi tempore perſecutionis Pontifices Miſſas celebrabant: a κρύπτω abſcondo. *Crypto porticus* (vox hybrida grecolatina) abſconſa ſive ſubterranea porticus. qualis eſt PP. Oratorii in Monte Acuto.

CUPA, κύπη, gal. *coupe*, fland. *Kop*, ponitur pro ſuperiore parte calicis. Rub. dicit: *Sacerdos teneat nodum infra cuppam*. dicitur cuppa loco cupæ, ſicut cappa loco capæ.

CYCLUS, κύκλος latine circus, cujus diminutivum circulus, ſicut ab *annus* annulus.

CYRIACUS, idem quod latine Dominicus. κύριος dominus, Kyriacum Græci templum vocant, latini Dominicum; vide Martyrolog. 27. Decemb.

D

DIACON, ita græce, latinè Diaconus, quod eſt Miniſter: hac voce græca utimur die Paraſceves: Oremus pro Diaconibus &c. a διακονέω miniſtro.

DIACONIUM idem eſt quod ſacrarium, ſive ſecretarium. diſtinct. 23. cap. non oportet: *Non oportet ſubdiaconos licentiam habere in ſacrarium, quod Græci Diaconium appellant, ingredi, & contingere vaſa dominica*. Secretarium, inquit Gloſſa, eſt locus, ubi vaſa ſacra ponuntur: ubi eadem Gloſſa nomine ſecretarii etiam voluit ſignificari altare.

DIACONISSA. S. Ignatius Martyr facit mentionem Diaconiſſarum in Epiſtolis ſcribens: *Saluto cuſtodes ſacrorum veſtibulorum Diaconiſſas*. hæ cuſtodiebant locum ubi fœminæ ſeparatim a viris orabant: item quando illæ baptizabantur, Diaconiſſæ adhibebantur, ne viri fœminarum nuditate offenderentur, quia antiqui depoſitis veſtibus baptiſma accipiebant.

DIACONIA eſt locus ubi diaconi pauperum curam habentes habitabant; uti legimus in Fabiano

Papa. Baronius ait, quod Diaconiæ erant loca ſacra, ubi diaconi regionarii per ſingulas urbis regiones reſidentes ſtipem erogabant egentibus, & viduarum, ac pupillorum, aliarumque miſerabilium perſonarum neceſſitatibus conſulebant: erantque velut quædam eleemoſynarum promptuaria; ſicut hodie menſæ S. Spiritus in Parochiis.

DALMATICA eſt veſtis Diaconi, ita dicta, quod a Dalmatis primum reperta feratur. *Tunicella* eſt veſtis ſubdiaconi, ejuſdem formæ, ſed paulo minor, uti patet, quando induit eam ſub dalmatica Prælatus in Pontificalibus celebrans. Dalmaticæ debent eſſe laxis & apertis manicis: quia diaconi ad hoc primo inſtituti ſunt, ut pauperum curam haberent; & liberalitatis ſymbolum eſt larga manica. Innocentius 3. ait: *Manicarum latitudo largitatem datoris demonſtrat*. imo fere manicas non habent, ad liberius Sacerdoti inſerviendum; & quamvis habeant tænias, non conſtringuntur.

DAMASUS latine domans, vel domitus, δαμάζω domo; hinc *adamas* indomabilis; quia duriſſimus.

DEUS dicitur græce Θεός, quaſi

δέος

δέος timor: nam *Primus in orbe Deos fecit timor*, ait Papinius Statius.

DÆMON δαίμων latine ſciens, a δαίειν ſcire. Dæmones dicuntur ob ſummam ſcientiam. Dæmon non ſemper in malam partem accipitur. ἀγαθοδαίμων bonus, κακοδαίμων eſt malus dæmon. ἄνθρωπος ἀνθρώπῳ δαιμόνιον Homo homini Deus. & *Dæmonium hominis*, cum alicujus ingenium laudamus.

DIABOLUS latine calumniator, διαβολὴ calumnia, διαβάλλω inſidior, criminor.

SATANAS hebraicum eſt, latine adverſarius; quo nomine appellatur Diabolus, quod Chriſto & Chriſtianis adverſetur.

DOMA domatis, ſuperior pars domus, ſive tectum: dogmata Græci tecta dicunt a δέμω extruo, ædifico: eſt autem Domus unius familiæ habitatio, ſicut Urbs unius populi, & Orbis totius generis humani.

DOMINUS VOBISCUM, ſalutationis hujus diviniſſimæ efficacia eſt ab ipſo Chriſto Domino, qui dixit Matthæi ultimo: *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*. cui ſubditur ſtatim a circumſtantibus: *Et cum ſpiritu tuo*. quaſi

X 2 hi

hi optent Sacerdoti quod ipſe illis optavit. neque dicitur tecum, ſed *cum ſpiritu tuo*, quia ſpiritualiter Officia Eccleſiaſtica fieri debent; nam Deus in ſpiritu & veritate adoratur. Petrus Damiani opuſculum ſcripſit de *Dominus vobiſcum*. Prohibetur a fœminis dici, quia vox Chriſti eſt, qui erat vir, & Sacerdos Sacerdotum: hinc tantum Sacerdotibus, & ad ſummum Diaconis ad Chriſti Euangelium enuntiandum permittitur.

DOMINICA, ſubintelligitur dies. ſicut in mundi creatione, ſexto die, homine jam plaſmato, die 7. ſabbato dicto ab omni opere quod patrarat, Deus requievit; ita in hominis refectione, Dominus noſter Dei filius a paſſione ſua quieſcens, die propter hoc Dominica vocata, victor triumphans ſurrexit a mortuis; de qua prophetaverat David, & canit Eccleſia: *Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea*. ideoque omnes Dominicæ ſunt quaſi commemorationes Reſurrectionis Domini, in quarum Officio, uti fit toto tempore Paſchali, a primis Veſperis non flectuntur genua. quomodo autem dies Jovis, ſive feria quinta ſit cognata Domini-

cæ,

cæ, vide Notitiam in Melchiade; & Agapeto.

DOMINICA IN ALBIS. Bellarminus de Baptiſmo, lib. 1. cap. 27. ait: ſolebant Neophyti a die Sabbati ſancti, quo erant baptizati, uſque ad Dominicam in albis, manere in albis ſuis veſtibus, & poſt dominicam in albis ordinarias veſtes reſumebant. tamen ex lectione Auguſtini, quæ Dominica ipſa in albis legitur in Breviario, vocanda potius eſſet Dominica ſine albis, quia conſtat quod Neophyti per octo tantum dies in albis veſtibus manebant: nam baptizabantur Sabbato ſancto (quod ideo ſanctum dicebatur, quod tunc per baptiſmum ſanctificarentur) & per octo dies albas veſtes portabant, quas deponebant ſabbato in albis veſpere, & ſequenti Dominica Neophytorum habitus commutabantur, ut ait Auguſtinus; itaque ſabbatum in albis dicitur, quia erat ultima dies albarum veſtium: Dominica in albis ſubintelligi debet quaſi diceretur *Dominica poſt Sabbatum in albis*. Quare Sabbatum poſt Pentecoſten non vocatur in albis? ideo eſt, quod primitus tantum in Paſchate baptizarentur, & nomen *in albis* tunc

ortum eſt: cum autem etiam in Pentecoſte id fieret, nomen in albis translatum non fuit, quia in Pentecoſte propter ignem Spiritus ſancti, omnia in rubris ſunt.

DOMINICUM, græce Κυριακὸν, Κύριος Dominus: hinc Germanicum *Kirch*, & flandricum *Kerck*. Ad Dominicum convenire, ſubintellige Templum. vide notas Baronii ad Martyrologium 25. Decembris. intelligunt etiam aliqui, ad diem Dominicum celebrandum, uti 11. Februarii Martyrol. cum ad Dominicum celebrandum ex more conveniſſent; ubi flandricus interpres habet: *Om den Sondagh te vieren*. a Dominico venit vox teutonica *Dom* quod eſt templum Cathedrale, hinc *Biſdom*, id eſt *Biſchops Dom*, Epiſcopale Dominicum, ſive Dominium.

DOMNUS. Lector in Choro dicit *Jube Domne* (non *Domine*) *benedicere*, alloquens officium facientem, quia Dominus per antonomaſiam ſolius Dei eſt titulus, præſertim in templo ſive Dominico; uti in ſcripturis: *Hæc dicit Dominus*. *Tu ſolus Dominus*. Domnus eſt titulus viri præclari, ſicut hodie vocantur cives qui ſunt de Magiſtratu, *Her Ian*, *Her Peeter*, una lit-

littera detracta, non *Heer Peeter*, *Heer Ian*, quemadmodum in voce Dominus littera una demitur, Domnus, non Dominus. Papa ipſe reſpectu Dei, vocatur *Domnus Apoſtolicus*, ſolus autem Deus verus eſt Dominus: hinc Epiſcopus diebus ſolemnibus ultimam matutini Lectionem in Choro incipiens ait: *Jube Domine benedicere*, nulluſque ei de Choro reſpondet; a Deo ipſo non ab homine benedictionem petens; quam inclinato capite aliquandiu tacitus expectat. antiquus eſt verſus:

> *Cæleſtem Dominum, terreſtrem dicito Domnum.*

Tempore Sancti Hieronymi excellentiores vocabantur Domni, ſolus autem Deus Dominus.

DEO GRATIAS. Auguſtini ſæculo ſolebant Monachi cum hominibus occurrerent, eos ad gratias pro beneficiis a Deo acceptis agendas excitare, dicendo *Deo Gratias*.

DEVOTUS FOEMINEUS SEXUS. Eccleſia oratione hac: *Sancta Maria ſuccurre miſeris &c.* orat primum pro afflictis in populo, quo utrumque ſexum contineri nullus dubitat: deinde pro Clero, quo viri in ſortem Domini voca-

ti : poſtremum pro devoto fœmineo ſexu , quo fœminæ per vota Deo devotæ continentur : extat hoc ſenſu Ambroſii libellus *Ad Virginem Devotam* , & Auſonius Poeta Chriſtianus de Amita ſua virgine Devota ſic canit Parentali ſept.

Fœminei ſexus odium tibi ſemper ; & inde

Crevit devotæ virginitatis amor.

Idem Parentali 27. de Matertera:

Innuba devotæ quæ virginitatis amorem

Parcaque anus coluit.

Et in Officio de S. Lucia habet Breviarium :

Soror mea Lucia Virgo Deo devota. male itaque hoc flandrice translatum eſt : pro devoto fœmineo ſexu : *Voor het devoot vrouwven geslacht.*

DIOECESIS Διοίκησις, latine gubernatio , adminiſtratio , juriſdictio. διοικέω guberno. quemadmodum territorium eſt Præſidis , ita diœceſis eſt Epiſcopi, quatenus adminiſtrandi ſacra jus habet.

DIÆTA venit a Græco διαιτάω quod eſt victus ratione utor : hinc tenere bonam diætam, ideſt victus rationem . barbare ponitur pro itinere unius diei ; niſi forte ſine diph-

diphthongo ſcribatur, ut a die dicatur: ſed apud bonos auctores non reperitur.

DIONYSIUS latine Bacchicus, διονύσιος κισσὸς bacchica hedera. Διόνυσος Bacchus, Dionyſia ſacra Bacchi, ſive Bacchanalia, quæ celebrabantur apud antiquos, uti apud nos Antecineralia, deſinente hyeme.

DIPLOMA δίπλωμα duplum. diplomata dicuntur literæ Principum ſigillis obſignatæ, quas literas Patentes aut Bullas Pontificias vulgus vocat: ita dictæ, quia erant litteræ complicatæ, & lino trajecto obſignatæ. diplomata etiam vocari poſſent, quæ a Notariis ſive tabellionibus vocantur duplæ; quarum literarum ipſi tenentes minutam, ut vocant, contracte ſcriptam, tradunt duplam largius deſcriptam illis qui petunt & indigent. Diplomata etiam dicuntur duplicia opera vel itinera, quando quis uno die tantum operis vel itineris facit quantum alius duobus diebus.

DIPLOIS. *induantur Diploide*, id eſt veſte duplici, ſive ſuffulta; quod latini duplum, græci διπλόον dicunt.

DIPTYCHA ſunt duplicis plicæ

 folia,

folia, πτὺξ, & πτυχὴ plica, ita triptycha, pentaptycha trium vel quinque plicarum. Diptycha erant complicati pugillares, ſive tabulæ duplicatæ, una continebat vivorum, altera mortuorum nomina, translatione ſumpta ab oſtreorum diptychis ſive duplicatis teſtulis. Heribertus Roſvveydus in Onomaſtico ad vitas Patrum ait: Diptycha nomen plurale neutrum, fit a maſculino ſingulari δίπτυξ a verbo πτύσσω plico: erant ſacra diptycha duplices tabulæ, quarum uni inſcribebantur nomina Epiſcoporum pie defunctorum, alteri vivorum; vide Notitiam in Joanne 19. In Sacramentali Gregoriano habetur hæc oratio ſuper diptycha: Memento etiam Domine famulorum tuorum, qui nos præceſſerunt, & dormiunt in ſomno pacis. Et in Liturgia S. Marci Diaconus legit Diptycha defunctorum. permanſit hujus rei tam pro vivis, quam pro mortuis orandi conſuetudo in Canone Miſſæ per duplex *Memento*.

DRAMA latine actio, rei alicujus repræſentatio: δράω facio, ago, repræſento. Cantica dramatis ſunt interludia comœdiarum ſive actionum, ſtylus Poetarum (qui

a

a *ποιέω* facio nomen habent) dicitur dramaticus; quia verus poeta non de ſe, nec pro ſe loquitur, ſed repræſentat graphice quod ab aliis dictum & factum eſt.

DECANUS, græce Decarchus, quaſi primus inter decem. *δέκα* decem, *ἀρχὸς* primus. in capitulis ſive collegiis, cum numerus capitum ſit diverſus, & a numero ſubditorum denominari deberet qui præſidet; ſumptum eſt certum nomen Decimi ſive Decani, quamvis ſint plures quam decem, tamquam primarium: nam numerus decem omnes numeros comprehendit. *Decurio* inter milites dicitur, qui corpori decem militum præeſt, vulgo *Caporale*; ſic *Centurio* qui centum, *Capitaneus* dictus quaſi caput totius corporis, & *Dux*, qui omnes præcedens ducit.

E.

ECCLESIA latine convocatio, concio, cœtus, *ἐκκλησιάζω* cætum congrego. *Eccleſiaſtes*, eſt Concionator, qui ad cætum, ſive concionem (a concieo) ſermonem habet: etiam ponitur pro eo qui ſermonem audit. Eccleſiæ nomen, quod ſui natura importat conven-

tum fidelium, pro loco ipſo, quo iidem conveniunt, accipi conſuevit. quid diſtet inter Eccleſiam & Synagogam, vide in voce Synagoga.

ELENCHUS ab ἐλέγχω inveſtigo; quia indicis adminiculo inveſtigatur quidquid toto opere continetur.

ENCÆNIA Feſtivitas eſt dedicationis novi Templi. ἐγκαινίζω renovo; quia hæc Feſtivitas ſingulis annis renovatur. vide hoc latius explicatum ſupra in voce ΚΑΙΝΟ'Σ.

EMBOLIS ſive EMBOLISMUS, latine intercalatio ſive inſertio. Februarius menſis Emboliſmalis dicitur; quod huic menſi ſingulis quadrienniis dies inſeratur: ſic annus emboliſmalis dicitur, quando completis 30. Epactarum diebus menſis unus poſt tres annos ſubtrahitur. & ut Joannes a Sacroboſco ait: eſt ſpatium decimum tertium lunationum conſtans ex 384. diebus, excedens annum lunarem commun. 30. diebus. Emboliſmata ſunt diverſi panni hinc inde conſuti. huic fere ſimile eſt quod ſequitur.

EPACTA, ſubauditur dies. ἐπακτὸς aliunde adſcitus, adventitius,

ἐπα-

ἐπακταὶ ἡμέραι intercalati dies.

EPACTÆ vocantur undecim illi dies, qui ſingulis annis adjiciuntur anno lunari, ut cum ſolari conveniat. vide præludia Breviarii de Epactis & Noviluniis.

EPOCHA eſt relatio annorum ad certum aliquem numerum, a quo anni numerari incipiunt, ab ἐποχεῖν inire, coire: quod principium latine *æra* dicitur, de quo vide ſupra in voce ÆRA.

ELEEMOSYNA, ἐλεημοσύνη, eſt quod alicui ex commiſeratione datur, ἐλεέω miſereor: hinc Elegia miſerabilis cantus.

EPICEDIUM (ἐπικήδειον cantus lugubris) quod ad funus, cadavere nondum humato, a Præficis lugubri voce canebatur.

EPINICIUM (νίκη victoria) cantus ſive carmen pro victoria obtenta. de utroque hoc cantu P. Guil. Stanihurſtus in Teſſera quotidiana Militis Chriſtiani 10. Maji ſic ait: Si tanta tibi eſt libido canendi, hic potius Præficarum inſtar flebili leſſu in valle lacrymarum, velut exul funebria cane *Epicedia*, ut poſtea in cælis velut victor jucunda canas *Epinicia*.

EPIPHANIA, dies Apparitionis Chriſti: antiquitus dies Epipha-

phaniarum appellabatur, propter triplicem Chriſti apparitionem, de qua hoc die fit mentio: *Epiphania* dicitur ab ἐπὶ ſupra, & φάνεια apparitio: quia ſcriptum eſt de ſtella quæ Magis apparuit, *uſque dum veniens ſtaret ſupra ubi erat puer*. *Theophania*, id eſt Dei apparitio, quia in Baptiſmo Chriſti Deus trinus apparuit, Pater in voce, Filius in amne, Spiritus S. in columba. *Betphania*. Bet, hebraice dicitur domus: quia primum Chriſti miraculum apparuit in domo nuptiarum in Cana Galilææ. de quibus tribus apparitionibus in hac Feſtivitate canit Eccleſia, in 2. Veſperis ad Magnificat. *Tribus miraculis ornatum diem colimus: hodie ſtella Magos duxit ad præſepium: hodie vinum factum eſt ad nuptias: hodie in Jordane a Joanne Chriſtus baptizari voluit, ut ſalvaret nos.* quas apparitiones tribus verſibus leoninis expreſſas habe:

Stella Magis luxit, quos ad Cunabula duxit.
Mundus pro immundis modo Baptizatur in undis.
Nunc aqua divinum dedit ad Connubia vinum.

& quia uno die tot grandia myſteria pro dignitate recoli non poſſunt,

ſunt, eccleſia ea celebrat quam primum poteſt; in Octava Epiphaniæ Chriſti Baptiſma, & Dominica ſequenti primum Chriſti aquam in vinum convertentis miraculum.

EPISCOPUS latine inſpector ἐπισκοπεῖν inſpicere. J. de Glen, en l'hiſtoire Pontificale in Papa Dionyſio ait: *Epiſcopus ſignifie autant, que Surveillant, Garde, Superintendent*: & Arcadius Juriſconſulte dit, *que ceux qui ſont commis ſur le pain & autres choſes qui ſe vendent pour le vivre neceſſaire du peuple en chacune cité, ſe nomment* Epiſcopi; *pour denoter, que tout ainſique ces pourvoyeurs prennoyent egard ſur ce qui ſervoit pour le ſuſtien de la vie corporelle, ainſi la charge Epiſcopale eſt de procurer ce qui partient à la ſalut des ames*. & Sanctus Petrus vocat Chriſtum Epiſcopum animarum noſtrarum: uti Hiſpani dicunt *Veedor*, Franci *Superintendant*, *Survoyant*. hinc Epiſcoporum cathedræ ſunt altiores cæteris, ut melius ſpeculentur. Epiſcopi plus non habent Sacerdotibus, quam poteſtatem Hierarchicam in eccleſia neceſſariam ne ſi eadem poteſtas paſſim penes omnes eſſet, obedientia ſolveretur; quod oſtenditur quando

Epiſco-

Epiſcopus a ſe ordinatum Sacerdotem ad æqualitatem ordinis, non poteſtatis, recipit per Sacramentum amoris, oris ad os oſculum: Diaconi tantum admittuntur ad oſculum manus Epiſcopi, non faciei: quia non recipiuntur ad æqualitatem Ordinis, ſed imitationem bonæ operationis, quæ per manus ſignificatur. In lectionibus Breviarii de Summis Pontificibus legitur plerumque, quod plures Epiſcopos, quam Presbyteros & Diaconos conſecrarint: quod idcirco eſt, quia Epiſcopos per diverſa loca mittebant, qui iſtic poterant Presbyteros & Diaconos ordinare; Epiſcopi autem a ſolo Summo Pontifice, uti hodie adhuc Sedis Apoſtolicæ gratia ordinantur.

CHOREPISCOPUS. Idem de Glen in Damaſo ait: *Chorepiſcopus veult autant dire que Eveſque de Village*, (χώρα regio, unde Chorographia, i. Regionis alicujus deſcriptio) *& qui n' a point d' Egliſe prope, comme ſont aujourdhuy les Eveſques Titulaires nommez Suffragans*. inter Chorepiſcopos erant etiam aliqui non habentes Ordinem ſive Gradum Epiſcopalem, conſtituti in adjutorium Epiſco-

po-

porum, & omnia faciebant, præter ordinationem: erantque tantum Presbyteri, ſicuti Valerianus Epiſcopus Hipponenſis S. Auguſtinum adjutorem adhibuit Epiſcopalis officii; quales modo ſunt Epiſcoporum Vicarii: qui Chorepiſcopi, cum ſe Epiſcopis comparare vellent, ob inflationem depoſiti ſunt a S. Damaſo. *Coepiſcopi* vocantur a Ciaconio Linus & Cletus, id eſt ſimul Epiſcopi. *Corepiſcopi* etiam aliqui ſcribunt ſine aſpiratione, (κόρος latine novellus, juvenis maſculus) quaſi juvenes ſive novelli Epiſcopi.

EPISCOPIUM eſt Palatium Epiſcopale. ſicut *Patriarchium* Palatium Summi Pontificis. legitur in Joanne Papa Nono, quod prohibuerit, ne decedente Papa (quæ mala conſuetudo irrepſerat) Patriarchium, quod eſt Papæ Palatium, expilaretur; etiam Epiſcopium Lateranenſe vocatur. *Preſbyterium* (hodie pro choro ponitur) antiquitus erat locus ubi Sacerdotes tenebant ſua comitia. legitur apud Cyprianum de Cornelio Papa, quod coacto Presbyterio (hoc enim nomine ſacra illa comitia dicebantur) electus fuerit.

EPI-

EPIGRAPHE, latine ſubſcriptio: *Epiconographia* imaginū ſubſcriptio.

EPISTOLA, diminut. Epiſtolium ἐπιϛέλλω mitto, latine Miſſiva, ſubintelligitur Charta. Pontifex Romanus vocat ſuas epiſtolas *Brevia*. *Breve Apoſtolicum*, ſubintelligitur ſcriptum, gall. *Bref*, fland. *Brief*: a Breve fit diminutivum Breviculum, *Briefken*, *Briefve*, etiam fæm. gen. *Brevis* dicitur, ſubintell. ſcriptura.

ERASMUS, ἐράω amo, cupio, ἔρως amor, ἐράσμιος amabilis, deſiderabilis; *Deſiderius* lat. *Geraerdt* teutonice, quaſi *Begeraerdt*, *van begeren* deſiderare.

ERGASTULUM, locus ubi a diſcolis coacte laboratur, flandr. *werk-huys*, *Tucht-huys*, *Raſp-huys*. ab ἔργον opus, ἐργάζομαι operor.

EQUULEUS diminutivum ab equo, *t' houtepeerdt*, cui milites diſcoli imponuntur; in Martyrologio ordinarie ponitur pro tortura, quam flandrice *Pyn-banck* dicimus, in qua corpora extenduntur. Ammianus Marcell. l. 7. *intendebantur equulei*, uncoſque parabat Carnifex.

ETHNICUS, id eſt gentilis, ab ἔθνος gens, vide infra in voce *Paganus*.

EUAN-

EUANGELIUM latine Bonum nuntium, ἄγγελος (γ ante γ ſonat ut ν) angelus idem quod nuntius. Euangelizo vobis gaudium magnum, id eſt annuntio. nota quod debeat ſcribi prima ſyllaba per u vocalem, & dici Euangelium, non Evangelium, uti per abuſum male pronuntiatur, & paſſim bene ſcribitur, ſicut Euariſtus, non Evariſtus. εὖ bene, ἄριστος optimus, Evan Evoe per v conſonantem ſunt nomina profana Bacchi, uti apud Ovid. Metamorphoſ. 4.

Nictelenſque, Elaleuſque parens,
& Iacchus, & Evan,
Evoe Bacche ſonant.

EVOVAE. de hoc vide infra in voce *Pneuma*.

EUCHARISTIA, latine bona gratiarum actio, εὐχαριστεῖν gratias agere: ab eccleſia ſic vocatur Venerabile Sacramentum, quod conficitur & offertur a Sacerdotibus in Sacrificio Miſſæ Patri æterno, in gratiarum actionem pro Filio ſuo ad nos miſſo: qui Sacramentum iſtud Deo Patri ſuo gratias agens inſtituit.

EUSTACHIUS. S. Bonaventura, vocatus in Baptiſmo Joannes, poſtea in Concilio Lugdunenſi a Græ-

cis

cis Euſtachius vocatus fuit: eo quod in omni diſputatione, quam ibidem cum illis habuit, doctrinæ veritatem ac diſciplinæ gravitatem perpetua conſtantia ac felicitate conſervaverat: a Latinis vero Bonaventura dictus, ob eventus bonos. vide caput primum *vitæ* ejuſdem, in hiſtoria Seraphica Henr. Sedulii.

EULOGIA vocabantur olim cibaria benedicta (vide ſupra in Melchiade) ea poſt Miſſæ ſacrificium alicui dare vel tranſmittere, erat ſignum communionis & charitatis Chriſtianæ. vide Joannem Molanum de Agnis Dei cap.2. Eulogius, latine Benedictus, εὖ bene, λόγος ſermo, dictio; hinc *elogia* clarorum Virorum, potius *eulogia* dicenda ſunt.

EUPHEMIA, latine Bonæ Famæ, φήμη, fama ſicut *Polyphemus* multæ famæ, ſive rumoris, famoſus. *Eutimius* bene honorandus, honorabilis: *Eugenius* boni genii, *van goede imborſt.*

EUTICHES ſive *Eutichius*, latine bene munitus, bonis vallatus; τειχέω munio, muro cingo, τεῖχος murus: ponitur pro fortunato, qualis erat Job ante tentationem; uti Satan de *ipſo* ajebat,

Cap.

Cap. I. *Nonne tu vallaſti eum, ac domum ejus, univerſamque ſubſtantiam per circuitum?*

EXARCHUS. tempore Joannis Tertii Papæ anno Chriſti 562. venit in Italiam Longinus cum titulo Exarchi, qui ſuſtulit Conſules Romanos: de quo narrat Onuph. Panvinius, quod mortuo Narſete Longinus Patricius reliquum Italiæ, quod Longobardi non occupaverant, Imperatoris Conſtantinopolitani nomine, Exarchi titulo, Ravennæ Sede locata, annis 15. obtinuerit. Dictionarium Hiſtoricum ait: Longinus ſucceſſit Narſeti Italiæ Principi; & novum Magiſtratum, Exarchatum in Italiam introduxit, & ſic novo modo præeſſe cœpit; ac titulum ex re, quam aggrediebatur ſumpſit: nam Exarchus ab ἐξάρχω incipio præeſſe, ſonat. etiam Exarcha ſcribitur, uti Tetrarcha, & Tetrarchus, qui quatuor Provinciis præeſt.

EXEQUIÆ ab exequendo dictæ ſunt, quia executioni mandanda eſt defuncti voluntas: initio enim ſui teſtamenti, ante alia ipſe ſibi proſpiciens mandat, quomodo velit ſepeliri: poſt alia narrat exequenda. ſic exequiæ, quaſi per

an-

antonomaſiam dicuntur primarium Teſtatoris mandatum, quod ante omnia hæredes exequi debent.

EXORCIZO, latine adjuro, (flandr. *uytmanen*) aliquem religione obſtringo, ſive alicujus animo religionem injicio; & metu religionis percello. ὅρκ@ juramentum; hinc Orcus, per quem jurabant Dii antiqui, apud quos nullum juramentum firmius tenebatur, quam quod juraverant per Stygiam Paludem, aut per Orcum fluvium e Styge profluentem.

EXTASIS ſcribendum non Exſtaſis: quia litera X. una ex duplicibus pro duabus c. & s. ſervit; *Ecſtaſis* autem optime ſcribitur, uti græce ἔκστασις, quod qui hanc patitur, quaſi extra ſe ſtet.

F

FALDISTORIUM. Italicum *Falda*, idem eſt quod latine plica, *diſtornar* eſt explicare: ſic Faldiſtorium ponitur pro ſede portatili complicata, quæ disjungitur, ſive explicatur, & diſtenditur, dum uſui ſervit: etiam pro tapete ſuppedaneo ſumitur: nam tapetes complicantur, & explicantur: ita legitur apud Ciaconium in ad-

ditionibus ad Paulum 3. de Imperatore Carolo 5. ab ipſo Maximo vocato : *Pontifex miſſali cultu indutus Cæſarem expectavit , qui cum veniſſet coram illo prope altare, detracta Corona, reverentiam flexo poplite exhibuit , tum in faldiſtorio ante Aram in genua procubuit , oravitque ; & deinde poſt preces fuſas ad paratam ſedem acceſſit .*

FANONES vocantur ab Italis vexilla quæ in ſupplicationibus præferuntur , a Græco φανὸς laterna, fax ; unde Epiphania apparitio, & vox teutonica *Vaenen* , dicuntur græce λάβαρα, latine vexilla quaſi parva vela . a φαίνω , appareo venit *fanum* , quia fana ſive templa ſupra alias domos apparent. hinc profanus , quaſi procul a fano : ſunt qui more græco prophanus , & phanum ſcribant.

FATUM, ſecundum Iſidorum , dicitur eſſe quidquid Dii fantur , quaſi Deorum effatum ; quod mutari non poteſt . Priſcianus fatum nihil aliud eſſe dicit , quam dictum & juſſum divinum : hinc fatum pro morte ponitur ; nam credebant veteres , quo temporis puncto quis naſceretur , eo ipſo fataliter , ſive per effatum Divinum conſtitui de morte atque interitu ipſius , juxta il-

lud

ſub Job 15: *Breves dies hominis ſunt, numerus menſium ejus apud te eſt; & poſuiſti terminos ejus qui præteriri non poterunt*. ac juxta Manilii verſiculum

Naſcentes morimur, finiſque ab origine pendet.

Et illud Senecæ;

Primus dies dedit noviſſimum.

FERIA. feriari idem eſt quod ab opere vacare. in Officio Eccleſiaſtico dictæ ſunt feriæ, quod vacantibus diebus ab aliis Sanctorum feſtis, officium fiat feriale, quod eſt de Deo: ut Clerici intelligant, ſe Deo deditos nulli rei niſi Deo vacare debere. hinc feriæ Quadrageſimæ, quando pauciſſima ſunt Officia de Sanctis, & nullæ Octavæ. cum horrerent fideles Chriſtiani nominare dies a Diis gentium, uti Solis, Lunæ, Martis &c.; vel a Sabbato, more Judaico, dicendo primam, ſecundam, tertiam Sabbati; diem Dominicam quaſi feriam primam ſupponendo, appellarunt ſequentes dies feriam ſecundam, tertiam &c. retento tantum ſabbato, ob reverentiam ejus diei, quem Deus ipſe ſub initium Mundi conditi inſtituit. in Lectionibus Breviarii de Sancto Silveſtro habemus quod Sabbati & Domini-

ci

ci diei nomine retento, reliquos hebdomadæ dies feriarum nomine diſtinctos appellari voluit, quo ſignificaretur quotidie Clericos abjecta cæterarum rerum cura uni Deo prorſus vacare debere.

FESTUM, Græce ἑορτή, hinc Heortologia ſermo de feſtis. Feſta, Solemnitates, Celebritates, & Natalitia Sanctorum eadem fere ſunt: Feſtum dicitur, quod eſt gallice *Plaiſant*, *joyeux*, *recreatif*, hinc *Feſtin* dies lætitiæ. Solemnitates ex eo dicuntur, quia ſolent ſingulis annis celebrari. Celebritates, quaſi crebritates, quo crebri homines conveniunt. Natalitia, vide infra in lit. N. In majoribus feſtivitatibus antiqui precabantur invicem, uti adhuc hodie fit, felicia feſta Paſchalia, Natalitia &c. & vocabantur hæ feſtivæ precationes; & ad abſentes per literas ejuſmodi precationes mittebant, quales Theodoretus multas ſcripſit, & literæ feſtivæ vocabantur.

FORMATÆ, Apoſtolicæ, ſeu Pontificiæ ſunt litteræ, quæ improprie paſſim Bullæ vocantur, de quibus vide in litera B. Formatæ autem dicuntur, quod certis quibuſdam formis expediantur, mutatis tantum nominibus; hinc ex-

pediri dicuntur tali vel tali forma: *Dignum eſt*, *Rationi congruit &c.* ſecundum initia literarum.

FORNICATIO. Fornix græce camera dicitur: turpitudines carnales exercentur paſſim in locis tectis, fornicatis, ſive cameratis, ſub fornicibus in cameris.

G

GALILÆI, ita olim dicti per contemptum Chriſtiani; quod nomen Chriſtianum Juliano Apoſtatæ adeo erat exoſum, ut Edicto ſanciverit, nequis Chriſti ſectatores Chriſtianos, ſed Galilæos nuncuparet. Hinc ipſe moriens, ex inflicto vulnere ſanguinem in auras ſpargens, blaſphemando clamabat: *Viciſti Galilæe viciſti*: ita vocans Chriſtum per contemptum, quia ex Galilææ civitate Nazareth ſecundum carnem oriundus erat.

GENTILES, idem quod Ethnici; ἔθνος gens, vide infra in voce Paganus.

GLORIA PATRI, ET FILIO &c. dicitur Papa Damaſus, rogatu S. Hieronymi intercalarem hunc verſiculum poſt ſingulos Pſalmos ordinaſſe; ut ſi phantaſia noſtra inter

ter pſallendum vagata fuerit, ſaltem in fine ſingulorum Pſalmorum ad Deum convertatur. Incipit omitti Dominica Paſſionis *Gloria Patri* in Reſponſoriis; quia Judæi adhuc tantum voluntate, & lingua Chriſtum occiderunt; ſed in tribus ultimis diebus hebdomadæ ſanctæ illum ipſo facto pati fecerunt; & tunc omittitur in toto officio, quia SS. Trinitas patiente Chriſto dedecorata fuit: & fiunt iſtis diebus quaſi exequiæ Chriſti pro nobis mortui, uti fit in Officio defunctorum, ſine Gloria Patri, ad luctum teſtandum.

GRADUALE, ſubintellige Canticum, ita dictum quia cantabatur in Choro, dum Diaconus ad recitandum Euangelium aſcenderet gradus ambonis ſive pulpiti; quod adhuc fit ſecundum antiquas rubricas, in aliquibus Eccleſiis, ubi cantatur Euangelium in Odæo. Vide ſupra in voce Ambo.

GREGORIUS, latine Vigilius: γρηγορέω vigilo.

GUELPHI & GIBELLINI. Fredericus II. Imperator in Concilio Lugdunenſi omni dignitate Imperiali privatus, poſt depoſitionem ſuam, ſe adhuc Imperatorem gerens, tantis malis Papam Inno-

centium IV. ſubjectoſque illi populos afflixit, ut Pontificem vivere tæderet: maxima enim partialitas populorum in Italia ſubſecuta eſt Guelphorum & Gibellinorum, ad exterminium ſe proſequentium; quæ per annos 260. non ſine multi ſanguinis effuſione duravit. Ita Tritemius. Nomina autem hæc originem cæperunt anno 1139. tempore Conradi III. Imperatoris ob differentiam inter Henricum ejus filium Gibellium dictum a loco Gibel, ubi natus erat; & VVelphum, ſive Vvelphonem, ab Italis (qui teutonicam litteram VV. pronuntiare non poſſunt) Guelphum dictum, Bavariæ Ducem: cumque hic obſidione cingeret Urbem Imperatoriam Vvirtſburgum, qui foris erant clamabant: *vivant Guelphi*, & qui intus: *vivant Gibellini*: unde poſtea ortum eſt, quod Itali qui erant a parte Imperatoris vocarentur Gibellini, qui a parte Papæ, Guelphi; nam prædictus Guelphus bellabat ſumptibus Papæ: quæ duæ factiones ita [illegible] tempore Frederici II. Imperatoris invaluerunt, ut Italiam peſſumdandam omnes timerent; nam una & altera factio diverſis veſtibus & linguis utebantur, &
ſin-

ſinguli norant qui erant ſui: qui vero cum neutra parte ſe tenebant, hinc ab una, inde ab altera occidebantur. Similes in Hollandia a duobus ſæculis erant factiones duæ: *de Cabeljauſche*, ita dicti ab Aſellis magnis piſcibus parvos vorantibus, qui teutonice *Cabeljau* dicuntur: & *Haeckesche* (non *Hoexkſche*) ab uncis *Haecken*, qui licet parvi magnos piſces capiunt. quæ duæ Italicæ factiones nomina poſtea mutarunt, Guelphi dicti ſunt Urſini, & Nigri: Gibellini, Columnenſes, & Albi: idque eo tempore, quo Sedes Avenionem translata erat: quas factiones S. Bernardinus Senenſis, circa annum 1440. prædicationibus, & miraculis ſuis tandem compreſſit.

H

HÆRESIS ab αἱρέω eligo, ſector, αἱρετίζω quod elegi, pertinaciter teneo. Cicero: *in ea eſt hæreſi*, id eſt *mentis electione*. *Secta*, latinum eſt a ſectando. *Schiſma*, σχίζω ſcindo. *Superſtitio*, latinum a ſuperſtituendo; quod quis ab Eccleſia rite ſtatutis velit aliquid ſuperſtatuere. A. Gellius lib. 10. vocat ſuperſtitionem, im-

portunam & ineptam religionem. Virgilius lib. 12.

Vana ſuperſtitio ſuperis quæ reddita Divis.

Ad quod Servius, dum volunt videri nimis religioſi, fiunt ſuperſtitioſi, & ita delirant. Quomodo ſit intelligendum quod de B. Virgine cantet Eccleſia: *Gaude Maria Virgo, cunctas hæreſes ſola interemiſti in univerſo mundo*, cum adhuc pullulent infinitæ hæreſes? ad hoc reſpondet G. Durandus, in Rationali lib. 7. cap. 7. quod diva Virgo hoc fecit, quantum in ſe fuit; quia oſtendit eum viſibilem, qui inviſibilis erat: primo enim Deus non poterat inveniri, quia quidam ipſum quærebant in deliciis carnis, quidam in divitiis, quidam in libris Philoſophorum, quę erant variæ hæreſes; & non erat ibi. unde Canticorum 4. *Quæſivi eum, & non inveni*. modo autem non poteſt aliquis errare in via niſi velit: nam manifeſte habetur in Iſaia cap. 30. *Hæc erit via recta, ut etiam ſtultus non erret per viam.* quæ erat illa via? *Dabo in Sion ſalutem, & in Hieruſalem gloriam meam, Iſaiæ* 46. Vita Jeſu Chriſti omnem ſpiritum ab Eccleſia ſegregatum confundit, oſtenditque clare, quod

ſint

ſint male conſulti, & pertinaces omnes, qui eum non ſequuntur: ita Durandus; cui adde illud Cyrilli Alexandrini, ex lectionibus in die octava Nativitatis B. Mariæ: per te unigenitus Dei filius vera illa lux effulſit ſedentibus in umbra mortis, per te omnis creatura Idolorum errore detecta, converſa eſt ad agnitionem veritatis.

HIEROSOLYMA Urbs quondam Solyma dicta, hebraice Salem, hinc Hieruſalem, id eſt ſacra Salem, ἱερὸς ſacer; ſacra Solyma, ſive Hieroſolyma. ita dicitur *Hierarchia* ſacer Principatus, ſic *Hieronymus* ſacrum nomen ἱερὸν ὄνομα, alii ſacra lex interpretantur, νόμος lex.

HISTORIA proprie eſt earum rerum narratio, quas qui narrat, ſpectavit & cognovit ab ἱστορέω ſpecto, cognoſco; unde *Polyhiſtor* latine multiſcius, qui multa ſpectavit & cognovit.

HIPPOLYTUS, ἵππος equus, λυτὸς ſolutus, liber, indomitus: unde lytrum, pretium quod pro libertate datur. S. Hippolytus Martyr, 13. Auguſti indomitis equis raptatus, per loca tribulis & carduis conſita, lacerato corpore ſpiritum Deo reddidit.

HOMILIA, latine colloquium, confabulatio, collatio: eſt proprie ſermo qui in cætu habetur: ὅμιλος cætus, ſicuti nonnulli Regulares poſt refectionem convenientes ad colloquium, inter ſe aliquem caſum vel quæſtionem proponunt, ad diſſolvendum; quod ipſi vocant ad converſationem venire: & quod alii dicunt ad collationem, ubi tractantur controverſiæ contra hæreticos, non improprie dici poſſent hi cætus, homiliæ. & notandum quod ad Euangelium in tertio Nocturno dicatur *Homilia*; quia eſt collatio alicujus ſancti Patris ad explicandum Euangelium; *Sermo* autem dicitur in ſecundo nocturno: quia nihil ibi ex Euangelio explicatur, ſed ſermo tempori conveniens profertur. Genebrardus colligit ex homiliis Græcorum, quod antequam inciperent tractare materiam Concionis, ſolerent Dei gratiam invocare, per interceſſionem Divi cujus feſtum colebant: idemque credit inſtituiſſe Urbanum Secundum, ut ſemper per interceſſionem Deiparæ dicendo *Ave Maria* auxilium divinum invocaretur; quia hic Pontifex addictiſſimus erat cultui Beatæ Mariæ, cujus Officium indixit.

xit. Vide de ipſo Notitiam.

HOMOUSIOS (Martyrologium 15. Julii) latine conſubſtantialis. ὁμὸς unus, idem. ἐσία ſubſtantia, quaſi unius ſubſtantiæ: ſed addita litterula i. ὅμοιος ſimilis. quemadmodum Ariani Chriſtum volebant, non unius & ejuſdem, ſed ſimilis ſubſtantiæ homiouſion, Catholici autem homouſion dicebant: ſic una litterula tantum turbarum in Eccleſiam invexit.

HORA, Græce ὥρα terminus, ὡρίζω termino; unde horizon terminator; & ora maritima, ora veſtimenti, terminus maris, terminus veſtimenti.

HORÆ ſacri officii dicuntur, quia terminatis & diſtinctis intervallis, ex inſtituto Eccleſiæ recitantur.

CANONICÆ, id eſt regulares, quia juxta regulas ab Eccleſia præſcriptas cantari debent: & proprie Canonicorum Choro addictorum ſunt preces.

PRIMA cantatur *Jam lucis orto ſidere*, prima diei, ſive lucis hora.

TERTIA in memoriam Apoſtolorum, qui hora diei tertia orantes acceperunt Spiritum ſanctum, Hymnus Pentecoſtes: *Hora diei tertia repente mundus intonat.* & Hym-

nus quotidianus ad Tertiam, *Nunc Sancte nobis Spiritus*.

SEXTA, Actor. 10. hora ſexta Petrus orabat.

NONA. Petrus & Joannes aſcenderunt in Templum ad horam orationis nonam, Actorum 8. Hæ tres horæ notiſſimæ erant Apoſtolorum tempore ad preces fundendas. Septem autem horæ Canonicæ ab Eccleſia tam græca quam latina ad orandum quotidie obſervabantur: uti græcus Pater S. Baſilius in Regulis ſuis ait: *Nobis hæc formula ſit, ſepties per ſingulas dierum converſiones, laudes celebrare*. & latinus Pater Hieronymus in Pſalmum 118. eas diſtincte nominat: *Videte quid dicat hora tertia, ſexta, nona, lucernarium, media nocte, Gallicinium, mane primo*. cur autem ſeptem preciſe horæ obſerventur idem docet, Comment. in Job: *Hoſtis ille antiquus ſeptem ſpiritus aſſumit nequiores ſe, adverſus quos prævalere non poſſumus, niſi ſeptiformis ſancti Spiritus gratia adjuti: itaque ad impetrandam ſeptiformem gratiam, ſepties Deo ſacrificium laudis offerri mandavit Eccleſia*. ſecundum illud Davidis: *Septies in die laudem dixi tibi*. Hora ab aliquibus deducitur ab orando, nam horare cum aſpiratio-

ne

ne idem eſt, quod orare; unde quidam Breviarium Horarium, ſive Orarium vocaverunt, id eſt orationum librum.

HOSTIÆ dicebantur apud veteres ſacrificia, quæ fiebant dum contra hoſtem pergerent: ita noſtræ Hoſtiæ ſacræ contra Diabolum humani generis hoſtem nos armant. *Victimæ* erant quæ poſt victoriam victis hoſtibus immolabantur. Hinc hymnus Eccleſiæ de Chriſto per Reſurrectionem victore: *Victimæ Paſchali laudes immolent Chriſtiani*. & Ovidius:

Hoſtibus a victis Hoſtia nomen habet.

HOOGH-MISSE, ita Miſſa Conventualis ſive ſummum ſacrum a nobis vocatur, quia alte cantatur: potius ſecundum Kilianum in Etymologico *Heugh miſſe*, quia cantatur cum muſica & lætitia, præſertim in feſtivitatibus, quæ potius *Heugh tyt*, quam *Hoogh-tyt* vocandæ eſſent, a teutonico *heughen*, quod eſt lætari: in talibus feſtis datur Regularibus lautior refectio, ut non tantum ſpiritu, ſed corpore recreentur: ergo *Heugh-tyt* tempus lætitiæ.

HYMNUS apud Græcos ſumitur pro carmine, aliave metrica ora-

tione in honorem & laudem Dei compoſita : qui talia ſcribunt Hymnographi vocantur ; Gregorio laus Dei modulata dicitur ; Auguſtinus in Pſalm. 72. ait: *Si ſit laus, & non ſit Dei laus, non eſt hymnus: ſi ſit & laus, & Dei laus, & non cantetur, non eſt hymnus; Oportet ergo ut ſit hymnus, habeat hæc tria, & laudem, & Dei laudem, & cantum.*

HYMNODIA eſt Laudatio Dei, quæ fit cantu. Diſtinctio inter Hymnum & Pſalmum ea fere eſt, quod Pſalmi vocentur, quos a Davide compoſitos accepimus, & nullo metro latino (uti nos cantamus) conſtant : Hymni vero a diverſis ſanctis Patribus compoſiti, ſuis metris includuntur : quod autem Pſalmi fuerint metro hebræo a Davide quondam compoſiti, omnium Doctorum eſt ſententia ; unde S. Hieronymus ad Paulinum ait. *David noſter Simonides, Pindarus, Alcæus, Flaccus quoque, Catullus, & Serenus, Chriſtum lyra perſonat.* David ſimul & ludebat Cythara, & canebat in voce Pſalmi, imo & ſaltabat, prout fecit ante Arcam; & adhuc Hiſpani faciunt coram Venerabili Sacramento.

HYPAPANTE vocatur a Græcis Fe-

Feſtum Purificationis B. Mariæ. ἀπαντᾶν eſt obviam alicui ire officii gratia, ὑπαπαντᾶν eſt cum ſubmiſſione obviare, ὑπὸ ſub, uti Hypodiaconus Subdiaconus, Hypomagirus ſubcoquus, Archimagirus primus coquus, Archidiaconus primus Diaconus.

HYPOCRITA latine ſimulator, a Græco ὑποκρίνειν ſimulare, hypocriſis, ſimulatio, ὑπὸ ſub, κρίσις judicium, quaſi falſum ſive ſubreptitium judicium; quia Hypocritæ falſum aliorum de ſe judicium aucupantur.

I

IDIOTA. ἰδιωτεύειν ſibi vivere, privatam vitam agere: quia Idiotæ nullam rerum experientiam habentes, nihil fere norunt, præter maternum idioma. latini Idiotam vocant hominem illiteratum & imperitum, qualem deſcribit I. Cats in Speculo antiqui, & novi temporis:

Die t'huys ſijn jonckheyt heeft verſleten,
En by den Brey-pot vaſt gheſeten,
En daer geen letters heeft ghegeten:
Vvat kan de goede slocker vveten?

IDUS. vide ſequentem literam in voce Kalendæ.

JE-

JESUITA. de hac voce Ludolphus de Saxonia Carthuſianus circa annum 1333. *Nomen Chriſtus eſt nomen gratiæ, ſed nomen Jeſus eſt nomen gloriæ. ſicut enim per gratiam baptiſmalem a Chriſto dicimur Chriſtiani, ſic in cæleſti gloria a Jeſu dicemur Jeſuitæ, id eſt a Salvatore ſalvati: quo nomine in hoc ſæculo vocari nemo poteſt, quamdiu nondum eſt ſalvatus.*

INDICTIO. ſicut Græci per *Olympiades*, quæ dicebantur a ludis in honorem Jovis Olympii inſtitutis, quos quinto quoque anno prope urbem in Achaia Olympiam, totius Græciæ concurſu celebrabant; & Romani per *Luſtra* (a luſtrando, ſive expiando dicta, unde apud nos aqua luſtralis) qui ſingulis quinquenniis per certum ſacrificium Urbem luſtrabant, & expiabant: ita Chriſtiani per Indictiones computabant, quæ ter quinque, vel 15. annis conſtant. Cœperunt autem Indictiones a tempore Conſtantini Magni, anno Chriſti 333. quum victo Maxentio, Religio Chriſtiana in libertatem vindicata fuit; & Nicæni Concilii auctoritate inſtitutum eſt, ut ſublatis Olympiadibus, & luſtris, annorum ratio ab eo tempore, per In-

Indictiones iniretur. antiquam autem & primam Indictionum periodum Cæſar Auguſtus primus excogitavit; nimirum ut ſubditis indicium eſſet, quando tributa, & qualia ab ipſis eſſent ſolvenda: nam primo quinquennio aurum, ſecundo argentum, tertio ferrum, ad reparanda arma ſolvebatur. ita quinque anni ter repetiti Indictio appellabatur: hinc apud Politicos Indictio eſt tributi vel exactionis genus, quod populo a Principibus indicitur.

INFRUNITUS. *animo irreverenti & infrunito ne tradas me*. ab antiquo fruniſcor (id eſt perfruor) fit frunitus: ſic homo frunitus, quo uti & perfrui licet: homo infrunitus, quo uti non poſſumus: ſland. *Daer niet mede te doen en is.*

INTERPONTIFICIUM eſt, quando Sedes Apoſtolica vacat, & Papa non eſt: ſicuti dicitur interregnum, quando Rex non eſt.

INVESTITURA eſt in poſſeſſionem inductio; ita dicimus aliquem tali officio, vel beneficio inveſtire.

INCLYTUS, vide infra in voce Paracletus.

INTROITUS Principium Miſſæ dicitur, quando Sacerdos ad Altare

re accedit; paulo ante enim dixerat: *Introibo ad Altare Dei*. ab Ambroſianis vocatur *Ingreſſa*.

JUBILÆUS annus eſt remiſſionis, qui ſeptenis annorum hebdomadibus, id eſt quadraginta novem annis texitur: in quo buccinatur tubis in ſignum lætitiæ. Dicitur ab hebræo Jobel, quod eſt buccina, (quæ per buccam inflatur) uti Joſue cap. 6. *Sacerdotes tollent ſeptem buccinas, quarum uſus eſt in Jubilæo*. Et recte annus ille Jubilæus dicebatur: erat enim maximæ Jubilationis & lætitiæ, quem multi præſertim miſeri vehementi deſiderio expectabant: nam ſervi omnes eo anno libertate donabantur, debitores ad ſolvendum conſtringi non poterant, exules omnes ad patrium ſolum poterant redire. Jubilæum Chriſtianorum ante annum 1300. nullum erat, donec Bonifacius Octavus illud centeſimo quoque anno celebrandum indixit; quod & inſculpſit tabulæ marmoreæ ad fores Vaticanas: ſed mortalium commodo contrahere ſpatium hoc, vitæ brevitas ſuaſit. itaque, quod mirere, ter uno ſæculo Jubilæum variatum fuit: annus centeſimus placuit Bonifacio more antiquo Romano,

cum

cum fierent ludi, *Quos ætas aſpicit una ſemel*. quinquageſimus Clementi Sexto, veteris legis exemplo, ut vere eſſet re ac nomine Annus Jubilæus. Urbano Sexto trigeſimustertius, ob myſterium annorum vitæ Chriſti, qui omnis lætitiæ, ac Jubili nobis origo eſt: cæteris dein Pontificibus hi anni minus probati; donec tandem Xyſtus Quartus, ex decreto Pauli II. prædeceſſoris ſui (qui annum 1475. ordinarat, ſed morte præventus non celebravit) vigintiquinque annorum ſpatio illud definivit, & primus celebravit: ut ſic nulla ætas expers foret; imo & unius hominis vita eo frui poſſet ſæpius; iſque numerus communi dein approbatione receptus, etiamnum obtinet: & hoc anno 1724. ducenti & 49. ſunt anni, ex quo ſingulis vigintiquinque annis celebrari cœptum eſt Jubilæum.

ITE MISSA EST quid ſignificet, vide infra in voce Miſſa.

INFANTULI. die 13. Julii in Martyrologio narrantur Lectores & Infantuli cum univerſo Clero Carthaginienſi martyrio affecti. ad quem locum notat Baronius: *Dum infantulos puerulos legis, non eo ſenſu accipias, ut loqui neſcirent;*

ſed

ſed iidem ad canendos modos Eccleſiaſticos erant inſtructi : vetus enim mos fuit, & in præſens viget uſus, ut impuberes pueri ob vocis elegantiam ad canendas res Eccleſiaſticas modulis muſicis imbuerentur; quos Galli vocant *Enfans du Cheur*. Cantus choralis concordem diſcordiam deſcribit Venantius Fortunatus lib. 2. Carminum ad Clerum Pariſiacum :

Hinc puer exiguis attemperat organa cannis,
Inde ſenex longam ructat ab ore tubam:
Cymbalicæ voces calamis miſcentur acutis,
Diſparibuſque tropis fiſtula dulce ſonat:
Tympana rauca ſenum puerilis fiſtula mulcet,
Atque hominum reparant verba canora lyram.

Et ſub finem :

Pontificis monitu, Clerus, Plebs, pſallit & Infans.

K

KALENDÆ ſunt ſingulorum menſium primi dies, a Καλέω voco. ſolebat enim Pontifex apud antiquos Romanos, Kalato ſive vocato populo, quæ ſequenti

ti menſe agenda eſſent, eo die indicare; uti jam Chriſtianis ſingulis diebus Dominicis a Parochis indicantur feſta, jejunia, & cætera ſequenti ſeptimana obſervanda. hinc *Kalendarium*, liber qui continet ea quæ per ſingulos anni dies debent ab omnibus obſervari, Teutonice *Almanach*, quaſi *alle manſacht*, uniuſcujuſque reflectio: alii interpretantur *allemaen-acht*, quaſi omnis lunæ obſervatio; quia lunationes ſingulæ in eo annotantur.

NONÆ dictæ ſunt, quia novem diebus ab Idibus ſequentibus diſtant.

IDUS dicuntur ab antiquo verbo *iduare*, quod eſt dividere, quaſi in duo dare; quia ipſo die Iduum menſis dividitur, & incipit computatio a Kalendis menſis ſequentis. A. Gellius viduam dictam putat, quaſi iduatam, id eſt in duo datam. Kalendas, Nonas, & Idus Romani propter dies feſtos inſtituerunt, & propter officia Magiſtratuum; in iis enim diebus conveniebant in Urbibus, & de rebus publicis tractabant: & ipſi non utentes ſeptimanis, annum in menſes; & menſes in Kalendas, Nonas, & Idus dividebant.

bant. S. Antoninus narrat, quod Romani ter in menſe celebrabant ſuas nundinas, nimirum Kalendis, Nonis, & Idibus; a quibus diebus, utpote celebrioribus, reliqui dies denominationem ſumebant: hinc dies poſt Kalendas, qui præcedebant Nonas, a Nonis numerabantur; ſimiliter dies poſt Nonas ab Idibus; & poſt Idus a Kalendis. Quod aliqui menſes habebant tantum quatuor dies ante Nonas, aliqui 6. dies; factum eſt quod dies iſti eſſent aliquo feſto impediti, quo non poterant fieri nundinæ.

KYRIE ELEISON Græcum latine ſonat *Domine miſerere*. Κύριος Dominus, ἐλεέω miſereor: poſt Apoſtolos Hebræos Hieroſolymæ, cœperunt Græci Miſſam celebrare Antiochiæ, deinde Latini Romæ: tres autem linguas nos latini in Miſſa adhibemus, ad honorandum Titulum Crucis Chriſti, hebraice, græce, & latine ſcriptum. Hebraicæ voces ſunt: *Alleluja*, *Hoſanna*, *Sabaoth*, *Amen*. Græcæ: *Kyrie Eleiſon*, *Euangelium*, *Epiſtola*, *Canon*. Latina lingua eſt poſtrema & humillima trium linguarum: ſed quamvis ultima, proxima tamen fuit Chriſto in Cruce pendenti.

KY-

KYRIACUS, latine Dominicus; Κυριακὸν Dominicum, idem quod Templum.

KALUMNIA, græce διαβολὴ, falſa accuſatio, Diabolus calumniator, διαβάλλω calumnior. Lex 12. Tabul: *Kalumniator ſi convictus fuerit, idem patiatur quod reus*. apud Romanos qui Kalumniæ damnati erant, eorum fronti littera K. inurebatur: quoniam à priſcis more græco Kalumnia ſcribebatur, præſertim dum A. ſequeretur, uti in lapidibus antiquis: Kaput, Kalumnia, Karus, Kaſtitas, Parkarum, Evokatus, dedikavit. vide Lipſium de recta pronunt. ling. lat. cap. 13.

L

LAICUS (λαὸς Populus) latine popularis: ab hoc diverſus eſt Clericus, à κλῆρος ſors; quaſi ſorte electus, & in ſortem Domini vocatus.

LAMIÆ *Nudarunt Mammas ſuas.* in infima Africa feras quaſdam eſſe ſcribunt, muliebri facie, uberibus, totoque pectore adeo ſpecioſo, ut nullo Pictoris ingenio ſimiles effingi queant; quibus retectis homines in fraudem alliciant, raptoſque lanient, ac devorent:

ſic

ſic Lamiæ quaſi Laniæ a laniando dictæ.

LAUDES dicuntur, quod laudem aperte reſonent divinam, uti in Pſalmo *Jubilate*, & in Cantico trium puerorum, & ſequentibus tribus pſalmis: *Laudate Dominum de Cælis. Cantate Domino Canticum novum. Laudate Dominum in Sanctis ejus*, & in Cantico *Benedictus*. Nota, quando Laudes dividuntur a Matutino, præmittendum iis eſſe *Pater noſter*, uti fit in aliis horis: & ſcito initium illud *Deus in adjutorium* ideo laudibus datum eſſe, ut ex juſta cauſa Matutinum a Laudibus dividi poſſet: ſecus fit in Completorio, ubi nihil præmittitur, quia ſufficit poſt lectionem brevem, *Fratres ſobrii eſtote*, ante Confeſſionem, dici *Pater noſter*. Laudes vocabantur quondam Matutinum Officium, quando, quod jam vocamus Matutinum, dicebatur Nocturnum Officium.

LEVITA ſive Levites ſignificat aliquem de Tribu Levi, unde ſolummodo antiquitus ſumebantur Sacerdotes: hodie pro clerico Ordinibus initiato ponitur.

LEVIATHAN hebraicum, latine ſua ſocietas, vel ſibi commiſſus. *Beelzebub* Deus muſcarum, nomen

Prin-

Principis Dœmoniorum. *Behemoth* animal. *Belial* ſine jugo. *Beelphegor* idolum montis Phegor. *Bel* idolum: hebraica ſunt nomina malorum Dæmoniorum.

LINOSTIMA PALLA. λίνον linum, ςόμα os, linum ad os tergendum, quo ad lævam utebantur myſtæ ad ſacrificium, nunc Manipulus dicitur; latius explicatur littera M ſequenti, in voce *Manipulus*.

LIMINA APOSTOLORUM. obtinuit uſus antiquus, ut præ reverentia ac religioſa quadam obſervantia, ipſæ Baſilicæ Apoſtolorum Limina vocarentur: moris enim erat eas adeuntibus, ante ingreſſum ad limina procumbere, poſtes deoſculari, ac preces fundere: uti hodie adhuc fit a plebeiis, quando manibus ad altaria vel imagines admotis, eas deinde oſculantur. Fortunatus Poeta Chriſtianus:

Fuſus humi ſupplex Sanctorum limina lambe.

Et Claudianus:

Per Cineres Pauli, per cani Limina Petri.

Chryſoſtomus Homilia 30. in Epiſt. 2. ad Corinthios: *An non cernis quot homines Templi veſtibulis oſculum figunt, partim inclinato capite, partim*

tim manu tenentes, atque ori manum admoventes?

LIMNIOTA. Martyrol. 23. Auguſti, λίμνη lacus, ſtagnum: Limniotæ vocari poſſent hæretici Genevenſes, habitantes ad Lacum Lemanum:

LITANIÆ vox græca, latine Rogationes: *Majores* dicuntur in feſto S. Marci, quia in Urbe Roma, & a Papa Gregorio Magno inſtitutæ. quare autem iſto feſto ſint inſtitutæ, ratio eſt quod Papa Pelagius ejus Prædeceſſor, cum menſe Aprili peſtis valde graſſaretur, Litanias ſive Rogationes ordinavit fieri iſto die, per quas peſtis minuebatur per aliquod tempus: ſed poſtea ea aucta, ipſe Papa peſtilentia ſublatus eſt; ſucceſſor dein Gregorius eas ſingulis annis eo feſto fieri decrevit. *Minores* ante Aſcenſionem, a S. Mamerto Epiſcopo, in urbe Galliæ Vienna inceptæ, & ſub Hilario Primo ab univerſali Eccleſia receptæ ſunt: hæ *Rogationes* tantum dictæ voce latina, quæ minor eſt lingua græca, λιτανεῖαι dicuntur a precibus quas Græci λιτὰς vocant: unde *Litare*, quod eſt rogando impetrare; de quo Plautus in Pænulo: *Si hercule iſtud unquam factum*

eſt,

eſt, tum me Jupiter faciat, ut ſemper ſacrificem, neque unquam litem. hinc

LITURGIA quaſi precationis opus, λιτὴ precatio, τὸ ἔργον opus.

LATRIA cultus, qui Deo debetur, λατρεύω Deum colo, & cum tremore ei ſervio; τρέω tremo. *Dulia* cultus communis Sanctorum, *Hyperdulia* cultus, qui exhibetur Deiparæ, quaſi plus quam dulia, ſupra communem cultum.

LIPARITANUS IGNIS, aliter dictus Olla, ſive Officina Vulcani, quæ eſt in Inſula Lipari Vulcano ſacra, propter igneam ſoli naturam, ubi cudere fulmina cum Cyclopibus refertur. Juvenalis Satyra 13. *Tergens brachia Vulcanus Liparea nigra taberna*.

M.

MARTYROLOGIUM latine reddi poſſet ſermo de teſtibus: μάρτυρ enim ſignificat teſtem, quia Martyres Chriſti Fidem ſanguine ſuo teſtati ſunt; quod & confeſſione ſua alii Sancti fecerunt, quorum in Martyrologio etiam habetur memoria. ſed a potiori parte ſumitur denominatio Martyrologii, a Martyribus nempe, qui pro Chriſti Nomine paſſi

ſunt. Prætereundum non eſt, quod ex S. Hieronymo habetur in Breviario ſexta Maii in Lectionibus ſecundi Nocturni, quod S. Joannes Euangeliſta fuerit ob *Domini Martyrium* relegatus; & in tertio Nocturno, *Quæritur quomodo Calicem Martyrii Filii Zebedæi, Jacobus videlicet, & Joannes biberint, cum Scriptura narret Jacobum tantum Apoſtolum ab Herode capite truncatum; Joannes autem propria morte vitam finierit*. & poſt pauca: *Videmus Martyrio animum non defuiſſe, & bibiſſe Joannem calicem confeſſionis, quem & tres pueri in camino ignis biberunt, licet perſecutor non fuderit ſanguinem*. notandumque eſt, quod ſit triplex genus Martyrii: primum voluntatis & effectus, quale fuit S. Stephani; ſecundum voluntatis, quando effectus mortis ſecutus non eſt, quale fuit S. Joannis Euangeliſtæ; tertium ſolius effectus, non voluntatis, quale fuit SS. Innocentium, qui voluntate caruerunt. Initio Eccleſiæ tantum pro Chriſto paſſorum acta in Martyrologium referebantur, & feſtum omnium Sanctorum erat primo omnium Martyrum, ac Templum, Pantheon dictum, vocatum fuit ad Martyres: atque in nonnullis antiquis Eccleſiis

ſiis celebratur hoc feſtum cum paramentis rubris, quaſi adhuc in honorem omnium Martyrum, ſicut Bonifacius Quartus illud primo inſtituerat: poſt vero Gregorius item Quartus in honorem omnium Sanctorum celebrari voluit; & hinc paramenta alba eo feſto paſſim adhibentur, quod ſint jam omnes glorioſi; ſed Officium adhuc ſit quaſi de Martyribus, quod patet ex ſecundis Veſperis, in quibus ultimus Pſalmus eſt *Credidi*, uti cantatur pro Martyribus, & Reſponſoria brevia, ac Verſus ſunt de Martyribus. Triduo Hebdomadæ ſanctæ omittitur lectio Martyrologii, quia Chriſti Paſſioni jam nimis ſumus intenti, de Paſſione aliorum Sanctorum nihil cogitantes.

MENOLOGIUM (ſic Græci vocant ſuum Martyrologium) eſt ſermo menſium, ſive de Sanctis qui ſingulis menſibus recenſentur, μὴν menſis; ſic Chryſoſtomus Henriques edidit Menologium Ciſterciense, & Necrologium Viridis Vallis Marcus Maſtellyn, quod eſt ſermo de mortuis. νεκρὸς mortuus, νεκρόω neco, occido: Hagiologium ſermo de Sanctis.

MAJOR DOMUS. Apud antiquos

Z 2 Fran-

Franciæ Reges abſoluta fortitudine & ſcientia de Regni potentia diſponebatur per Majores domus, Regibus ſolo nomine regnantibus: quibus moris erat principari quidem ſecundum genus ſuum, ſed nihil agere vel diſponere, quam irrationabiliter edere, bibere, ludere, & ſemel in anno Kalendis Maii præſidere coram tota gente; & ſalutare ac ſalutari, obſequia & dona recipere ac rependere: ita Martinus Polonus in Adeodato Papa. Hinc non mirum quod Carolus Martellus ſive Tudes, exiſtens Major domus Regni Francici maluit Regibus dominari, quam Rex eſſe.

MAGUS μάγ☉: Iſidorus a magnitudine ſcientiæ derivat. Perſæ Magos vocant, quos Græci Philoſophos, Latini Sapientes, Galli Druydas, Indi Gymnoſophiſtas &c. Magi in Euangelio dicuntur flandr. *VVeyſen* (ſecundum Prophetiam Regiam) Reges: *Tibi offerent Reges munera.*

MANIPULUS proprie eſt manualis herbarum faſciculus quantum quis manu apprehendit, & decerpit. ſic pauci milites manipulus dicuntur, *Een handt-vol volckx.* In ritibus Eccleſiaſticis ponitur pro

ſtro-

ſtrophiolo brachio ſiniſtro ſacrificantis Sacerdotis appendente, a Græcis dicto *Palla Linoſtima*, quaſi linum oris. Breviarium habet *Linoſtima*; de quo ita Gavantus: Linoſtima, quaſi Linoſtoma, conſtat ex duabus vocibus græcis, altera ſignificante linum, altera os. uſus Manipuli erat ad tergendum os, & oris pituitam: quo in primitiva Eccleſia utebantur Sacerdotes ad ſiccandas lacrymas, quas tempore ſacrificii ex devotione fundebant; quod, quia brachio prope manum ſiniſtram dependebat, manipulus dicebatur, quaſi manui applicatus; qualia Minoritarum ſudariola ſunt. vocatur diverſis nominibus: *Orarium*, *Mappula*, *Sudarium*, *Cingulum*, *Brachiale*, *Mantile*, *Linteum*, *Cincticulum*. antiquitus fiebat ex lino ad neceſſitatem, nunc fit ex eodem panno, unde conſtat Caſula; eſtque inſigne Subdiaconi, ſicut Stola Diaconi, & Caſula Sacerdotis.

MANUUM IMPOSITIO. meminerit Sacerdos quod poteſtatem quam habet, acceperit ab Epiſcopi manuum ſuper caput impoſitione; quam in Sacrificio Miſſæ adhibet, manus extendens ſuper oblata, dicens extenſis manibus:

Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ &c. ut oſtendat intendere ſe exercere ſuam poteſtatem ſuper oblata, eam eodem geſtu quo accepit adhibens.

MANSIONARIUS idem eſt quod Cuſtos Templi, quia Cuſtodes prope, vel in Eccleſiis manere ſemper debent: græce dicitur Naophylax, cuſtos navis templi. Aliud eſt *Sacriſta*, Sacriſtiam, ſive Sacrarium cuſtodiens, græce Myſtagogus, & Hierophylax.

MANDATUM. Feria 5. in cœnæ Domini dicit Rubrica: poſt denudationem Altarium, hora competenti conveniunt Clerici ad faciendum Mandatum; quod eſt lotio pedum, & inde habet nomen quod Officium hoc incipiat a verbo hoc: *Mandatum novum do vobis &c.*

MARCUS latine limatus, fricatus, expolitus, μαρμαίρω rutilo resplendeo; unde Marmor, quod fricatum & expolitum reſplendet.

MARTHA. ſic vocatur flandrice Ancilla *Maerte* a Beata Martha ſedula Chriſti miniſtra: ſic ſtrenuus, teutonice *Kaerel* a Carolo Magno; ſic leproſus *Lazarus* ab Evangelico Lazaro ulceribus pleno: ſic nequam *Radbaudt*, a quodam Friſiæ Principe Radboldo, Chriſtum negan-

gan-

gante, qui cũ jam eſſet baptizandus, & peteret ubi Majores ſui modo eſſent, ac reſponderet Epiſcopus, omnes, utpote infideles eſſe in inferno damnatos; reſpondit ſe malle cum pluribus damnari, quam ſolum ſalvari. Ita denominationes iſtæ per Antonomaſiam ab ejuſmodi virtuoſis vel vitioſis originem trahunt.

MANE a mano Varro deducit, quia cum ſole dies ab Oriente manat. Mane ordinarie adverbialiter ſumitur; Cicero ad Atticum: bene mane hæc ſcripſi. etiam ſubſtantivaliter: Perſius ſatyra 3. *clarum jam mane feneſtras intrat*. Martialis lib. I. Epig. 50. *& mane totum dormies*. Sic etiam *Veſpere* ſumitur; Hymnus ad Nonam: *Largire lumen veſpere*.

MATUTINUM eſt adjectivum ſubſtantivatum, ſubaudi Officium, a Matuta Dea, alias Aurora dicta. Matutinum autem Officium proprie ſunt laudes; quod præcedit, Nocturnum Officium dicitur, quia de nocte cantabatur per tres diſtinctos Nocturnos cantus; laudes autem ſub tempus Matutinum. & obſerva quod omnes hymni Matutinales, Nocturnales potius, per omnes ferias faciant mentionem

noctis: hymni autem laudum auroræ, vel lucis orientis. nunc quia Officium utrumque conſequenter paſſim mane cantatur, totum Matutinum Officium dicitur. vide ſequentem litteram in voce *Nocturnus*. Quare Officium trium ultimorum dierum hebdomadæ ſanctæ dicatur flandr. *Donckere Mettenen?* ratio eſt quia alias Officium Matutinum deſinit adveniente luce diurna, tunc vero extinctis paulatim luminaribus, & ingruentibus noctis tenebris finitur.

MELODIS vocibus, id eſt dulcibus; μέλι græce idem quod mel latine: ᾠδὴ cantus, quaſi melleus ſive dulcis cantus. Melodia ſuavis cantus, Melodæ voces per ω; Exodus autem per ο, egreſſio.

MELOTE μηλωτή pellis ovina cum lana, gallice *Toiſon*, teutonice *Vlies*, latine vellus a vellendo, quia ab ovis corpore pellis cum lana vellitur: & nos quondam in Choro in melotis & pellibus ambulavimus, dum ſuperpelliceis indueremur, quæ antiquitus erant ex pellibus. vide infra *Superpelliceum*.

MEMORIA *V.G. Beati Petri, Pauli, &c.* uti legitur de ſancto N. cum oraret ad memoriam B. Petri: id eſt ubi S. Petrus ſepultus eſt. Memo-

morias has primus inſtituit S. Anacletus. Memoria, Martyrium, Confeſſio, ſynonyma ſunt.

MESSIAS hebraice: Chriſtus græce: Unctus latine.

METROPOLIS eſt Matrix civitas, ſive primaria urbs: flandrice reddi poſſet *Moeder-ſtadt*; πόλις civitas, ſive multitudo, μήτηρ mater per η: per ε autem ſcribitur τὸ μέτρον. unde

METRUM latine menſura: hinc carmen Pentametrum, & Hexametrum, quod eſt quinque & ſex menſurarum.

MISSA: ab hebræo *Miſſah* aliqui derivant, quod eſt ſpontanea oblatio: quaſi ſit miſſio ſive oblatio tum precum populi per Sacerdotem ad Deum, tum victimæ Chriſti, qui miſſus eſt a Patre ad nos, tum ejuſdem Chriſti a nobis ad Deum Patrem pro placatione, & ſolutione inimicitiarum inter Deum & hominem. Sed vere vox *Miſſa* latina eſt, non hebræa, a vulgo introducta, & ab Ecclesia uſu recepta, ſumpto vocabulo a publicis illis verbis, quæ in fine dicuntur: *Ite Miſſa eſt*. ad ſimilitudinem antiquorum ex Apuleio lib. 11. Metam. ſic ſcribente: Sacerdos Ethnicus, aut ſcriba, quem Grammatea

dicebant, peracto ſacrificio converſus ad populum dicebat: λαοῖς ἄφεσις, Latine populis miſſio, ſcilicet eſt, vel datur; ut tunc demum omnibus abire fas ſit. uti Remiſſa peccatorum apud Tertullianum & Cyprianum pro remiſſione, ſic Miſſa hic pro miſſione ponitur. hinc Miſſa Catechumenorum, qui poſt Euangelium a Diacono dimittebantur, & Miſſa Fidelium qui toti ſacrificio intererant, & in fine tantum dimittebantur. Baronius ad Martyrologium prima Octobris notat, apud Francos ſignificare Miſſam feſtivitatem ipſam, de qua fit Miſſa: ſicuti a nobis adhuc dicitur: *Bamiſſe*, *Kerſmis*, *Lichtmiſſe*, *Sint Janſmis*. Vox hæc Miſſa ſive Miſſah a Græcis nunquam uſurpatur, ſed *Liturgia* (publicum opus) *Hierurgia* (ſacrum opus) *Myſtagogia* (ſummum Myſterium). Peti poſſet quare in aliquibus Miſſis dicatur *Ite Miſſa eſt*, in aliis *Benedicamus Domino*? ad hoc reſpondetur: cum in feſtis dicimus *Ite Miſſa eſt*, ad populum convertimur, quem peracto Sacrificio diſcedere permittimus; utpote qui negotiis ſæcularibus implicatus tantum diebus feſtis adeſſe ſolet: *Benedicamus Domino* non ad popu-

lum,

lum, ſed verſus altare quaſi ad Dominum converſi dicimus, ut nos ipſos, qui in ſortem Domini vocati ſumus, non ad diſcedendum, ſed perſeverandum in Officio Divino excitemus, qui quotidie Eccleſiam frequentare ſolemus. *Requieſcant in Pace* non ad præſentes dicimus, ſed ſermo eſt de abſentibus; ideo a præſentibus avertimur. *Miſſa Catechumenorum* durabat uſque poſt Euangelium: eo enim recitato, Catechumeni dimittebantur ſolemnibus verbis a Diacono prolatis: *Si quis Catechumenus eſt, procedat foras*. quoniam poſt Euangelium oblatio fit Sacrificii, & ſacra Myſteria incipiunt, quibus non niſi baptizatis intereſſe licet: nam non niſi baptizati de illis participant.

MISSA AUREA eſt miſſa votiva de Beata Maria tempore Adventus ſolemniter cantata. In Miſſali vel Breviario nulla Miſſæ aureæ fit mentio. Micrologus antiquus auctor de obſervationibus Eccleſiaſticis cap. 48. hujus meminiſſe videtur dum ait: *Sancti Patres in Concilio Toletano de Annuntiatione S. Mariæ conſtituerunt, ut de Quadrageſima, in 15. Kalendas Januarii (quod eſt 18. Decembris) transfer-*

retur, ubi annuatim celebriter, & convenienter ante Natale Domini poſſet celebrari: ut puta, cum omnia iſtius temporis Officia de eadem reſonant Annuntiatione. Sed quia dies illa decima octava Decembris interdum Dominica Adventus, vel alio modo impeditur, ideo certa dies, nempe feria quarta quatuor temporum Adventus aſſignata poſtmodum fuit, quando nimirum Romæ ſtatio eſt ad S. Mariam Majorem. celebratur autem hæc Miſſa ſummo mane, ante omnes alias Miſſas, ob excellentiam primi myſterii noſtræ Redemptionis, quod eſt Incarnatio Filii Dei: ideoque in Symbolo ad illa verba *Et incarnatus eſt* genufleditur etiam a celebrante & Miniſtris, qui alias tantum caput inclinant: & cantatur hæc Miſſa in Eccleſiis Cathedralibus ab Archidiacono ſive primo Epiſcopi Miniſtro, quia Archangelus ſive primarius Nuntius a Deo ad hoc ad Mariam miſſus fuit. & hæc Miſſa non immerito vocatur *Aurea*, eo quod, ſicut aurum inter metalla eſt præcipuum, ita Incarnatio Domini inter religionis noſtræ ſolemnitates eſt prima, ſecundum hæc verba Athanaſii: *Primum hoc memoriæ ſubjiciendum eſt, feſtum*

feſtum hoc eſſe unum ex Dominicis feſtis, atque adeo primarium & prorſus venerandum; utpote quod pro ordine & digeſtione rerum, quæ in Euangeliis de Chriſto prædicantur, primum ac ſacroſanctum habeatur; quippe in quo de Filii Dei de Cœlis deſcenſu agitur. Ita Athanaſius, vel ut Baronius vult, Cyrillus. & quemadmodum revolutio, ſeu cyclus lunaris novemdecim annorum appellatur *Numerus aureus* propter excellentem, ſeu quaſi auream, quam continet utilitatem in elongationibus & conjunctionibus lunæ cum ſole cognoſcendis, quem numerum a Chaldæis accipientes Romani, propter ejus utilitatem & facilitatem in Kalendario ſuo aureis literis deſcripſerunt; unde adhuc Aureus appellatur Numerus: ita hæc Miſſa dicitur Aurea propter ſummam utilitatem, quam genus humanum ex myſterio Incarnationis accepit: utque læta nuntia charta deaurata conſcribuntur, ita Euangelium (quod lætum nuntium latine ſonat) hujus miſſæ aureum vocari cumprimis poteſt, per quod nobis Filii Dei Incarnatio a tot ſæculis expectata denuntiatur. cur autem menſe Decembri, cum Martio contigerit, de ea agatur, reſponderi

pot-

poteſt, præter ea quæ ſuperius ex Micrologo allata ſunt, uti ſanctus Thomas de Sacramento corporis Chriſti; quod etſi die Cœnæ Domini noſcatur inſtitutum,tamen quia circa Paſſionem Domini Eccleſia illo tempore occupatur, inſtitutionis hujus memoria prima quinta feria poſt octavam Pentecoſtes celebratur, quando Spiritus ſanctus corda Diſcipulorum edocuit ad plene cognoſcenda hujus myſteria Sacramenti: ita licet Chriſti Incarnatio menſe Martio, in quem Quadrageſima incidit, contigiſſe noſcatur; ejus tamen memoria menſe Decembri, feria quarta quatuor temporum Adventus, quando in Officio Euangelium hoc *Miſſus eſt* proponitur, non incongrue agitur; ad miſſam hanc concurrente paſſim populo, eamque ita non negligente, ut totius anni tum corporis tum animæ proſperitas hujus miſſæ auditioni accepta referatur: quod & confirmat Collecta Officii hujus diei rogans, *Ut Redemptionis noſtræ ſolemnitas & præſentis nobis vitæ ſubſidia conferat, & æternæ beatitudinis præmia largiatur.*

MIGMA (legitur in lectionibus Breviarii hebdomada tertia Adventus, ex Iſaiæ cap. 3. *commiſtum migma*

ma comedent) verſio flandrica habet *mengh-voeder* : μῖγμα latine miſtura . aliud eſt ſmegma σμῆγμα ; latine ſapo , fland. *Seepe* , ſordes abſtergens .

MITRA a græco μίτος licium filum (unde tunica polymita Joſeph, quæ erat variis filis contexta) eſt proprie mitra capitis tegmen , ex filis contextum , cui fæminæ capillos colligatos innectunt , fland. *Huyve*, *Nette* ; cujus diminutivum eſt *Mitella* , *Huyſken* , *netteken* . Judith cap. 10. *Impoſuit mitram ſuper caput ſuum* . Sanctus Auguſtinus in regulis Monialium n. 6. retiolum vocat . paulatim Mitræ pretioſiores redditæ ſunt , auro gemmiſque ornatæ . Græci Sacerdotum ac Regum Diademata Mitras vocant . hodie *Mitra* , & *Mantus* , ſive *Manteletum* & *Mozeta* ſunt inſignia Pontificalia . vide ſupra in voce Birrus . *Aurophrygiata Mitra* , fland. *met gout gheborduert* a Phrygio *Borduer vvercker*, quia Phryges eam artem primi invenerunt . primus Pontificum mitra uſus eſt S. Silveſter , ſimplici corona cincta, duas coronas adhibuit Bonifacius Octavus , tres Urbanus Quintus . Mitra Pontificia eſt rotunda inſtar galeæ ſive me-

tæ ,

tæ, cui coronæ optime connectuntur. Epiſcoporum reliquorum bicornes ſunt mitræ, quæ referunt duo cornua Moyſi, quæ retulerat ex colloquio Dei. Variis nominibus vocatur Mitra, Apex, Sertum, Corona gloriæ, Galea, Tiara, Cidaris, Infula (quaſi infilata) Vittæ ſunt ligamina quæ ex mitra dependent. *Regnum* inſuper vocatur mitra Romani Pontificis, de quo infra in ea voce. *Mitra phrygiata* utitur Epiſcopus in Officio ſolemni; *Mitra ſimplici* in Officio ſimplici, uti in Ordinationibus, Officio Defunctorum &c.

MONACHUS a Græco μοναχὸς ſolitarius, *Cœnobita*, *Cœnobium*, κοινὸς βίος communis vita. *Cœnobiarcha* prior in communi viventium. *Anachoreta* eſt qui poſt Cœnobialem ſive communem vitam deſertum petit, ab ἀναχωρέω ſecedo. Anachoretæ Eliam & Joannem Baptiſtam, Cœnobitæ Apoſtolos imitantur. *Eremita* dicitur qui in loco deſerto habitat, ἔρημος deſertum.

MONASTERIUM (στήριον ſtatio) Monachorum ſtatio: unde flandrice dicitur de Regulari, *Hy ſtaet te Bruſſel, t' Antwerpen &c.* male hodie Religioſi ſive Regulares

res vocantur Monachi, quia ſoli non agunt, ſed in communi vivunt: itaque Cœnobitæ potius vocentur, uti Canonici quondam omnes erant, ita dicti, quod ſub certo Canone, ſive Regula in communi viverent.

MONOTHELITÆ erant Hæretici unam tantum in Chriſto voluntatem prædicantes, a græco τὸ μόνον θέλημα, una voluntas: contra illos habitum fuit ſextum Concilium œcumenicum, quod fuit Conſtantinopolitanum tertium, ſub Agathone Papa anno 681.

MYSTERIUM venit a μῦς latine mus, & τηρέω abſcondo; quia mus ſecreto ſe abſcondit: melius a μυέω inſtituo in ſacris: hinc *Myſta* Myſteriorum ſive abſconditorum peritus, & eorum cuſtos *Myſtagogus*, ſicut *Pædagogus* puerorum dux ſive cuſtos, *Symmyſtæ* conſacerdotes iiſdem myſteriis initiati, *Myſticus* (barbare Myſteriosus) ſecreta continens. Myſteria interpretantur Hiſpani *Secretos del Sacrificio*: & nota hic aliquid myſterii quoad pronuntiationem hujus vocis; nonnulli enim μυςήρια græce pronuntiant *Miſtiria*, cum myſteria, prout latine dicimus,

ſit

ſit dicendum: nam prima ſyllaba ſcribitur per *υ*, ſecunda per *η*, & tertia per *ι*. ſic tres diverſas literas eodem ſono exprimunt: quo etiam modo enuntiant *κοιμητήριον* cimitirion, cum koimeterion ſit dicendum. emendemus, aut vapulemus, ait Lipſius.

MUSIVUM opus, vox Italica, latine *Vermiculatum* dicitur, flandrice *ingeleyt vverck*, a verminibus quibuſdam coloris varii: aliud eſt *encauſticum*, flandr. *ghemailleert*. Encauſtice eſt ars igne pingendi. aliud eſt *Teſſelatum*, quod variis teſſulis diſtinguitur. Aliqui Muſivum & Muſaicum a Muſis dici putant, quod varia arte & coloribus, uti novem Muſæ vario habitu, diſtinctum ſit. vide Ludovicum Vivem ad lib. 16. cap. 8. Auguſt. de Civitate Dei.

N

NATHANAEL nomen hebraicum, latine donum Dei, græce Theodorus; prænomen Bartholomæi Apoſtoli, uti probat B. Gavantus in Com. ad Rubricas.

NATALE, NATALITIA, ſic appellatur Sancti alicujus ex hac

vita migrationis dies, quo naſcitur cœlo, & ex hujus ſæculi tenebris ad lucem venit viventium, victurus æternum.

NAZARÆUS & NAZARENUS vox hebraica; latine ſeparatus, ſanctificatus, floridus, coronatus. item Nazar hebræis oleum ſonat, unde eorum Sacerdotes dicti Nazaræi, quod eſſent uncti ſacro oleo.

NECROMANTIA eſt divinatio quæ fit per mortuos, evocatis ad cadavera eorum malis ſpiritibus: *a* νεκρὸς mortuus, μαντεία divinatio.

NEOPHYTUS, latine Novitius, νέον φυτὸν novum germen. S. Auguſtinus in Octava Paſchatis ad Neophytos: *Vos alloquor novella germina ſanctitatis*.

NEOMENIA, id eſt Novilunia, tuba. Judæi ad ſingula novilunia tubis buccinabant. μήνη luna.

NICODEMUS idem quod *Nicolaus*, latine victor populi: νικάω vinco, λαὸς & δῆμος populus.

NOCTURNUS, ſubauditur Cantus, *Nocturnum* ſubaudi Officium: Nocturni tres in Feſtis dicuntur ad ritum trium primarum noctis vigiliarum. Hieronymus ad Euſtochium: *Noctibus bis terve* ſur-

ſurgendum. antiqui Chriſtiani ter ſingulis noctibus ad canendum Deo ſurgebant: Laudes vero quartæ Vigiliæ reſervabantur. hodie non dividuntur Nocturni; imo & Laudes iis junguntur, conſuetudine vim legis habente: & ſignificatur una Eccleſia juſtorum omnium, qui ante legem, ſub lege, & poſt legem. etiam hodie antiquæ vigiliæ obſervantur a diverſis Regularibus; nam nonnulli ad Officium ſurgunt ſub initium noctis, uti Carmelitiſſæ Tereſianæ hora nona: Carthuſiani hora decima: media nocte plerique Ordines mendicantes: poſt mediam noctem Benedictini & Ciſtercienſes: hora 4. Canonici Regulares: ſummo mane Canonici ſæculares: ita ut Officium Divinum fiat tota nocte in illuminatione ignis: in feriis autem tantum eſt unum nocturnum, quia Officium fit cum minori ſolemnitate.

NONNA & NONNUS, per craſſim, quaſi non nuptus, non nupta. Hieron. ad Euſtoch. Caſtæ vocantur, & Nonnæ, id eſt non nuptæ. ita paſſim Monachi & Moniales prænominantur.

NOSOCOMIUM, vide Xenodochium.

NONÆ, vide Kalendæ. NUMERUS AUREUS, vide Miſſa aurea.

O

OCTAVA. Radulphus propoſitione 19. ait: *Magnitudo feſti a nobis exigit, ut & prius illud incipiamus, & tardius terminemus: prius autem dicimur incipere, quando vigiliæ officio feſtum prævenimus; tardiuſque terminamus, cum ad Octavam diem feſtum protendimus. Quis autem digne ſatis unquam colat celebretque inſtitutas pro meritis ſanctorum Octavas? ſi non valemus eorum Natalitia digne venerari, quanto minus Octavas? præveniamus ergo & prorogemus, ut ardentius, quos debemus, recolamus; quæque uno die minus poſſumus, ſeu quem ipſo die heu! negligimus, reliquis diebus compenſemus.* Septem autem dies octavæ ſignificant tempus hujus vitæ, quod ſeptem quaſi diebus conſtat, quæ reſumuntur ſingulis ſeptimanis; eſtq; continua ſeptem dierum vita: Octava autem dies clarificabit nos in vita, & beatitudine æterna; quæ etiam clarificat Innocentes, quorum dies octava eſt lætitiæ, cum prima fuiſſet triſtitiæ: nam *Te Deum* prima die non

can-

cantatur, ſed in octava. Cum infra octavas Paſchatis, Pentecoſtes, &c. quæ ſunt ipſius Dei ac Domini noſtri feſtivitates, nullum celebretur ſancti alicujus feſtum, cur infra octavam Nativitatis Chriſti tot ſanctorum feſta celebrentur, ratio eſt, quia Deus homo factus incœpit converſari cum hominibus, & docuit nos humilitatem. Quod octavæ ſacram habeant originem, conſtat cum ex Teſtamento veteri de dedicatione Templi Salomonis, Paralipom. 2. capite ſeptimo; tum ex novo Joannis 10. cum Filius Dei ad Encœnia, & Scenopegias aſcendit, iis immorans uſque ad noviſſimum, id eſt octavum diem: in noviſſimo quippe die magno feſtivitatis ſtabat Jeſus & clamabat. *Novena* unde originem ducat neſcio; niſi forte origo profana ſit, & deducatur a novendio, ſive novem dierum ſpatio; a quo Novendiale ſacrum dicebatur, quod novem diebus continuis ad expiationem prodigiorum fieri ſolebat, ſecundum illud Livii, 1. ab urb. cond. *Romanis a quodam prodigio Novendiale ſacrum publice ſuſceptum eſt, ſeu voce cœleſti, ex Albano monte miſſa (nam id quoque traditur) ſeu A-*

ruſpi-

ruſpicum monitu: manſit certe ſolemne, ut quodcumque prodigioſum nunciaretur, feriæ novem dies agerentur. ita Livius. hodie in obitu ſummorum Pontificum fiunt *Novendialia*, hoc eſt per novem dies exequiæ. Et notandum quod feſtum Pentecoſtes non habeat octavam diem; ſed tota hæc Pentecoſtalis hebdomada eſt Octava Paſchatis, quod non tantum per dies octo, ſed & per octo ſeptimanas celebratur; ita ut Pentecoſte ſit Octava ſolemnitatis Paſchalis, non per octo dies, ſed per octo ſeptimanas celebratæ; nam in ſabbato poſt Pentecoſten, poſt Nonam celebrata Miſſa terminatur tempus Paſchale, ut ait Rubrica. cur quibuſdam Pſalmis *Pro Octava* titulus datur? ſi Ruperto credimus, Pſalmodica hæc modulatio præcepta eſt ab eo (Davide) qui inter filios Iſai octavus fuit; ab homine neglectus, a Deo, quia octavus, electus; & a Salomone, Eccleſ. 11. *Mandatum accipis, dare partem ſeptem, nec non & octo*. Quibuſnam? difficilis plane locus. Ambroſius dixit; *Fortaſſe Benedictionibus*, ſeu quod idem eſt, octo Beatitudinibus: ut ſcilicet partem demus vitæ noſtræ Paupertati exercendæ, quæ

eſt

eſt prima beatitudo: partem Manſuetudini, quæ eſt ſecunda beatitudo: Luctui, quæ eſt tertia, & pro octava, quæ eſt æterna beatitudo, multi ſunt.. ſcripti pſalmi: per ſeptem autem dies præcedentes hæc vita deſignatur. de ſeptenario numero ſepties multiplicato, qui eſt quadraginta novem, cui additur Octavus, ut quinquaginta compleantur, quod eſt Pentecoſte; & de octo hiſce beatitudinibus vide in Breviario nonam ſive ultimam Lectionem S. Auguſtini 7. die Novembris.

ODÆUM ᾠδεῖον locus cantorum. ᾠδὴ cantus; ſed Exodium poſtcantus, *Nzer-ſanck*, per *o* ab ἔξοδος Exitus, ſecunda brevi. Juvenalis Satyra 6. *Urbicus exodio riſum movet*. idem, *redit ad pulpita notum exodium*. exodium vocari poteſt, quod veſperi poſt ſolemnes laudes, dum homines templo egrediuntur, luditur, vel cantatur. *Exodus* liber Exitus Iſrael de Ægypto. Odæum Barbare *Ocſale* dicitur a teutonico *Hooghſaele*, quod proprie

ORCHESTRA eſt locus Optimatibus ad ſpectandum deſtinatus: cantorum autem locus Odæum eſt.

OB-

OBLATIONARIUS eſt, qui oblationes populi recipit, ſtand. *Die ten aport ſitt*.

OFFICIUM quaſi Efficium; quia convenit unicuique ſuum efficere officium; *Divinum* dicitur, quia Deo fit: & eſt proprius actus eorum qui Deo ſunt dicati, ſive devoti. *Ambroſianum*, S. Ambroſius plura in Officio Divino conſtituit ſecundum uſum Græcorum, quæ a Romanis abrogata ſunt, & ſolis Ambroſianis, ſive Mediolanenſibus permiſſa. *Gregorianum* ab Eccleſia Romana uſitatum, & omnibus permiſſum, imo mandatum. S. Gregorius Magnus Eccleſiam ornavit ſanctiſſimis inſtitutis & legibus (uti ait Breviarium 12. Martii)

ONAGER in deſerto: aſinus ſilveſtris, ὄνος aſinus, ἄγριος ſilveſtris; hinc fit una vox Onager.

ORATIO ab ore dicitur; quia exterius fit ore quod apparet hominibus; interius autem fit corde, quod ſoli Deo paret.

ORATIO SUPER POPULUM in Quadrageſima ideo frequentatur (ait Micrologus) quia cum majorem conflictum in jejuniis & orationibus contra ſpirituales nequitias ſumamus, neceſſario nos inſtantius Deo commendare debe-

mus: nam oratio quæ *PoſtCommunio* dicitur, pro ſolis Communicantibus ſolet deprecari. Populus autem etſi quotidie in Quadrageſima conveniat (tempore Micrologi ante ſexcentos annos) non tamen quotidie uti deberet communicat: ne ergo populus ita oratione, ut communione careret, adjecta eſt Oratio ſuper Populum; in qua non de Communione, ſed pro populi protectione ſpecialiter oratur: ſic in locum Communionis hæc oratio ſuper populum ſubrogata eſt. in Dominicis tamen diebus non dicitur, quia genuflexio vitatur, quæ ad hanc orationem a populo exigitur, dum proclamatur a Diacono: *Humiliate capita veſtra Deo*; ut dum populus tempore tam ſancto, quale eſt Quadrageſima, non communicat, Benedictione ſuperaddita non careat. hæc fere, & plura Micrologus, cap. 51. de obſervationibus Eccleſiaſticis.

OREMUS vocatur indictio orationis. Sanctus Auguſtinus Epiſtola 106. ad Vitalem: *Oremus dicitur ante publicam orationem, ut invitentur omnes ad orandum.*

ORATORIUM ſubſtantive apud bonos latinos auctores non repe-

ritur,

ritur, ſed adjectivè; uti digreſſio oratoria, pulpitum oratorium, quod eſt concionatoris ſuggeſtus.

ORACULUM autem pro loco orationis reperitur. Anaſtaſius bibliothecarius in Paulo I. *Noviter Oraculum in honorem Sanctæ Dei Genitricis conſtruxit*. ubi additio habet: Oraculum, id eſt Oratorium. Apud Ethnicos oracula ponebantur pro Deorum reſponſis. Virgil. lib. 2. Æneidos:

Suſpenſi Eurypylum ſcitatum Oracula Phœbi
Mittimus.

Quia his ineſſe putabant Deorum orationem ſive ſermonem.

ORARIUM antiquitus idem erat quod ſtola, (de qua vide in litera S.) abſque ſtola autem, ſive orario non oratur, id eſt prædicatur, quod ore fit; hinc orator idem & prædicator: nec ſine ſtola ſacrificatur, quod fit orando, ſive os movendo. *Adorare* eſt manum ad os movere, quod orantes & rogantes faciunt.

ORGANUM ὄργανον, quaſi ἔργανον quodlibet inſtrumentum; τὸ ἔργον opus: quia per inſtrumenta fiunt opera. Vitruv. lib. 10. cap. 1. inter machinas & organa id videtur eſſe diſcrimen quod machi-

næ pluribus operibus in majores coguntur effectus, ut balliſtæ, torculariumque præla; organa autem unius operæ prudenti tractu & tactu perficiunt quod propoſitum eſt: per excellentiam autem organa dicuntur quævis muſicorum inſtrumenta. De inventione Organorum vide Notitiam in Vitaliano Papa 78. Hiſtoria tripartita ait, quod Dæmon Arium organum ſuæ machinationis habuit.

ORTHODOXUS eſt qui recte opinatur: *Orthodoxia* recta opinio, *Cenodoxia* vana opinio, *orthographia* recta ſcriptio: ὀρθὸς rectus. *Heterodoxus* alterius ſive alteratæ opinionis, ἑτερόω altero, turbo. *Paradoxon* præter opinionem: δόξα opinio, δοξάζω opinor.

OBRYZUM aurum, ὄβρυζον, hoc eſt ſincerum purum, quod multipliciter igne probatum & excoctum non minuitur. Hieronymus Ophiriſum dictum putat ab Inſula Ophir, unde præſtantiſſimum proveniebat aurum.

P

PAGANUS unde dicatur, vide notas Baronii ad Martyrologium 23. Januarii. Perottus autem

tem ita explicat : fons , græce πηγὴ dicitur , & plures domus ruſticæ ſive villæ Pagus vocantur, quia circa fontes ſive puteos condi conſueverunt : hinc Pagani dicti , quaſi de eodem fonte potantes . metaphorice, ait Beda, Pagani a Pagis dicti ſunt, eo quod longe abſint a ſupernæ civitatis habitatione . & Paulus Oroſius Præfatione in ſuam Hiſtoriam ad Aurel. Auguſtinum : alieni a Civitate Dei ex locorum agreſtium compitis & pagis, *Pagani* vocantur, ſive *Gentiles*, græce ἐθνικοὶ *Ethnici* : utque Judæi omnes vocabant Gentes qui verum Deum non agnoſcebant, ita Chriſtianis, qui eumdem Deum non norunt, Gentiles, Ethnici, & Pagani dicuntur . ἔθνος gens ; *Gentiles* : ita viventes ut ſunt geniti utque Pagani antiquitus a Romanis dicebantur, qui non erant eorum militiæ aſcripti ; ita a Chriſtianis dicti ſunt Pagani, qui milites Chriſti non erant; quia vita Chriſtiana eſt militia ſuper terram.

PALLIUM ſunt qui a pellibus deducant, quaſi Pellium; quia pellis eſt ſupremum animalis tegumentum. Fuerunt ex pellibus olim pallia confecta, uti pingitur Elias

pelle palliatus. hinc noſtrum ſuperpelliceum (ſubaudi veſtimentum) quaſi ſuperpellium: quia primis veſtibus homines tunicis pelliceis a Deo induti ſunt. pellibus etiam antiquitus Canonici, non lineis veſtiebantur: quo ſchemate majores noſtri repræſentare voluerunt ſummam miſeriam in quam per peccatum parentum primorum incidimus, propter quod ipſi, perdita innocentia, a Deo veſtiti ſunt tunicis pelliceis. vide infra *Superpelliceum*.

PALLIUM ARCHIEPISCOPALE, alias Stola Archiepiſcopalis. Pallium vocatur, eo quod alia ornamenta Epiſcopalia palliat, id eſt tegit, non quidem integro pallio, ſed ſigno ſive parte aliqua pallii; ſicut Stola Sacerdotis non eſt integra Stola, ſive veſtis, ſed tantum pars aliqua utrinque dependens: prout etiam ſcapulare parvum lineum a Canonicis quibuſdam Auguſtinianis adhibetur loco veſtis lineæ integræ. Solus Papa in Miſſarum ſolemniis ſemper & ubique Pallio utitur ob plenitudinem univerſalis Eccleſiæ poteſtatis, quæ per Pallium ſignificatur: alii vero Archiepiſcopi nec ſemper, nec ubique; quoniam

vo-

vocati ſunt in partem ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis univerſalis. De Pallio vide curioſa in Marco Papa 35.

PALLIA proprie vocantur, quæ barbare *Antependia* altarium dicimus; eo quod altaria ab anteriori parte pallient ſive tegant, dicta quaſi ante Altare pendentia; non enim antiquitus ita erant, ut modo compagibus extenſa, ſed laxius dependebant, uti in antiquis Eccleſiis, præſertim ruralibus, adhuc videre eſt. *Palla* Calicis hinc etiam dicitur, quod calicem tegat ſive palliet; & ſicut Corporale lineum, ita Palla debet eſſe linea; vel ſi ſit ſerica, lino a parte calicem tangente obduci, & a Laicis non tangi: unde perperam faciunt, qui Pallam præbent Miniſtro ad quærendam hoſtiam; vel ſi loco Tabellæ Pacis a Miniſtro accipiatur, ut eam porrigat Sacerdoti oſculandam; quæ & parva Palla dicitur reſpectu Corporalis, quæ magna Palla eſt, quia ante uſum hujus Pallæ, ipſum Corporale etiam Calicem palliabat.

PAPA quaſi PAter PAtrum, vel PAſtor PAſtorum: unde primam ſyllabam in *Papa* communem eſſe arbitror. Alii ſingulas literas hu-

jus vocis ſic explicant, *P.* Petri; *A.* Apoſtoli, *P.* Poteſtatem, *A.* Accipiens. Pater & Paſtor dicitur, quia verbo Euangelii in Chriſto Jeſu ipſe pater per ſuos nos genuit, & verbo paſcit. hinc etiam Patres & Paſtores dicuntur Sacerdotes curam ovium ſive animarum habentes. Tempore Gregorii Papæ 7. anno 1073. collecta Romæ Synodo, conſtitutum fuit ut Papæ nomen ſoli Romano Pontifici tribueretur, cum antea Epiſcopi ſic vocarentur, imo paſſim Sacerdotes; quo nomine *οἱ Πάππαι* adhuc a Græcis vocantur Presbyteri; hincque profluxit quod Sacerdotes Regulares paſſim Patres audiant, uti etiam more antiquo in *Conſiteor* adhuc dicitur Sacerdoti cuique, *Et tibi Pater*, *καὶ σοὶ* Πάππα. jam per Antonomaſiam hoc nomine *Papa* deſignatur ſolus Summus Pontifex, ſicut apud Græcos Homerus, & apud Latinos Virgilius *Poeta* per excellentiam dicitur. Imo Scythæ & Bithynii Jovem Πάππαν vocabant, & Deus ipſe nomine Patris vocari gaudet, uti Chriſtus in Oratione Dominica nos docuit: *Pater noſter qui es in cælis.*

PAPISTA, quo nomine Catholicos Hæretici per contemptum vocant,

cant: quam ſit titulus honorabilis, vide Notas Baronii ad 16. Octobris. Et *l'Auteur des Queſtions curieuſes* pag. 588. ait: *Le Pontifice Romain eſt appellè Pape, parce qu'il eſt Pere des Peres; & Pere univerſel, parce qu'il preſide à l'Egliſe univerſel & Apoſtolique; d'autant qu'il tient la place de Prince des Apoſtres: les heritiques ne peuvent ſouffrir ce nom de Pape; & comme il faut bien qu'ils en ont patience, ils le penſent tourner a confuſion aux fideles Catholiques, les appellant Papiſtes: mais nous ne nous offenſons pas, ainsi avoüons hardiment, que nous les ſommes, & bienheureux de l'eſtre, puis que cela ne veut dire autre choſe, que enfans ſpirituels du ſouverain Pere.*

PARACLETUS. Græci rationem habentes accentus, non quantitatis, dicunt in Nominativo *παράκλητος*, genitivo *παρακλήτου*. latine pronuntiari debet Paraclētus ſecunda longa, quia ſcribitur per η vocalem longam: quod aliqui Paràclitus ſcribant per ι vocalem brevem, fit ab illis, qui perperam *Ita* loco *Eta*, & *Vita* loco *Beta* pronuntiant. Paracletus latine Advocatus, a *καλέω* voco, unde Kalendæ: ſic Cletus vocatus, Anacletus revocatus. quod in

Hymno correcto de S. Spiritu poſitum ſit, *Qui diceris Paraclitus*, neceſſitate metri factum puto: pejus faciunt qui Paraclytus ſcribunt, quod latine infamis & male audiens ſonat; nam παρὰ in hujuſmodi compoſitione præter, vel diminutionem ſignificat, κλυτὸς vero celebris eſt: Inclytus autem pro famoſo in bonam partem, Paraclytus, pro infami ſumitur.

PARÆNESIS, penultima brevi, latine adhortatio, παραινέω adhortor. *Paraphraſis* eſt ejuſdem ſententiæ per alium ſermonem explicatio, παραφράζω uberius explico, παράφρασις penultima correpta.

PROSPHONESIS penultima longa (licet a Græcis correpte pronuntietur προσφώνησις, propter accentum) latine præfatio: ponitur pro libri alicujus inſcriptione, quia in ea auctor facit prælocutionem, προσφωνέω præloquor: ita E. Puteanus edidit Pompam Proſphoneticam, in qua colligit omnium ſuorum librorum inſcriptiones, ſive præfationes.

PARASCEVE latine præparatio, παρασκευάζω præparo; Judæi pridie Sabbati omnia præparabant, quibus in ſabbato opus erat. Exod. cap. 17. *Die autem ſexto parent quod in-*

inferant, & ſit duplum quam colligere ſolebant per ſingulos dies. dies autem, quo Salvator noſter pro ſalute generis humani mortem paſſus eſt, per Antonomaſiam *Feria ſexta in Paraſceve* vocatur; *eo die non ſacrificamus* (ut ait Rupertus) *dum nobis Hoſtia tollitur de manibus: non ſacrificant amici, dum trucidant inimici.*

PASCHA, τὸ Πάσχα, hebr. *Phaſe*; quod eſt Tranſitus: hinc nomen accepit, quod exterminator Angelus videns poſtes Iſraelitarum ſanguine Agni Paſchalis tinctos, eos pertranſiens non percuſſerit: Chriſtianum autem Paſcha eſt Chriſti Reſurrectio, qui poſtquam per mare rubrum ſanguinis ſui tranſivit, mortem noſtram moriendo deſtruxit, & ſic per hoc novum Paſcha novæ legis, Phaſe vetus terminat. Paſcha Hebræorum in ipſo ſemper pleniſunio Martiali, Noſtrum autem, ne cum Judæis conveniamus, Dominica ſequenti celebratur; & propter ejus lunæ inſtabilitatem, per dies 35. differri poteſt, juxta hunc verſiculum:

Non ſequitur Marcum, nec pervenit ad Benedictum.

Paſcha nempe in deſcenſu non

pervenit ad Benedictum, cujus feſtum colitur 21. Martii; quo die nunquam celebratur, ſed deſcendere ad imum poteſt uſque ad 22. Martii, & ad ſummum aſcendere uſque ad 25. Aprilis, quod eſt feſtum S. Marci: Judæorum autem in 21. Martii incidere poteſt, quando tunc eſt plenilunium.

PENTECOSTE, πεντηκοστὴ ἡμέρα eſt quinquageſimus dies a Paſchate: Auguſtinus ait: *Septenario numero ſepties multiplicato fiunt quadraginta novem, cui quaſi octavus additur, ut quinquaginta compleantur, & tamquam ad caput redeatur, quo die miſſus eſt Spiritus ſanctus*; utque Judæi quinquageſimo die poſtquam egreſſi ſunt de Ægypto acceperunt Legem in fulgure & tonitru; ita Apoſtoli Spiritum ſanctum in ſono tamquam advenientis ſpiritus vehementis, quinquageſimo poſt Chriſti Reſurrectionem die.

PARADISUS, Παράδεισος hortus, viridarium, pomarium; aliqui a voce Chaldaica *Pardes* hortus deflectunt: hebraice *Eden* dicitur, quod eſt voluptas, deliciæ, locus voluptatis.

PARALIPOMENA, παραλειπόμενα latine pretermiſſa, ſed in genitivo παραλειπομένων Paralipomènon,

non, propter ultimam longam: Liber Paralipomènon continet ea, quæ in libris Regum prætermiſſa ſunt, quaſi liber prætermiſſorum.

PARANYMPHUS qui nuptiis præeſt: ita Gabriel Angelus Redemptionis noſtræ (Deſponſationis Dei cum natura humana) Paranymphus dicitur.

PAROCHUS dicitur a παρέχειν, id eſt præbere. *l'Hiſtoire Pontificale De Glen* in Dionyſio Papa ait: *Parochus c'eſt le non d'un certain Office entre les anciens Romains, lequel fourniſſoit aux Ambaſſadeurs venans du pais eſtangeres du bois & du ſel, ainſi que Horace dit lib. 1. Satyr. 5.*

villulæ tectum
Præbuit, & Parochi quæ debent ligna ſalemque.

Et pourtant que les Hebreux ne preſentoient aucun ſacrifice, qui n'y eut du ſel & du feu; par une certaine Analogie on a ordonnè à ceux qui ont charge des ames, & pourvoyent ce qui eſt neceſſaire au ſalut, le nom de Parochi, & aux ſubjects le nom de Parochiani.

PAROECIA, παροικεῖν accolere, vel juxta habitare, Parœci dicuntur ipſi accolæ: quare qui Eccleſiam aliquam accolunt, vel juxta ha-

habitant ſic vocantur, & Parœciæ ipſæ ſacra vicinia: hinc Parochia & Parœcia utrumque ſuo ſenſu dicitur.

PASTOPHORIA *diruta*, Breviarium menſe Octobri ex lib. 1. Machabæorum: interpretatio flandrica habet *Eet-kameren der Prieſteren*, latine cœnacula ſacerdotum. παστοφόριον interpretatur Hieronymus Tabernaculum ſive thalamum, in quo habitat Templi Præpoſitus. παστὰς παστάδος cœnaculum, & locus ad aliquem paſcendum ſive tractandum. Paſtophorium appellatur a S. Clemente lib. 8. conſtit. Apoſtolicarum Tabernaculum ſanctiſſimi Sacramenti, quaſi thalamus comeſtionis ſacræ, ſive Cœnæ Dominicæ.

PATENA ſeu Patina, diminutive Patella, a pateo dicta; in Liturgia S. Jacobi *Diſcus* appellatur: forma nunc multo minor eſt quam antiquitus erat, cum omnes in Miſſa communicarent, ampla patena tunc adhibebatur pro Pixide, quæ nunc Ciborium vulgo dicitur: & hodie ubi pauci ſunt communicandi patena rite adhibetur.

PATRIARCHA, latine Patrum primus. quatuor in Chriſtianitate ſunt Patriarchæ præter Papam qui

œcu-

œcumenicus, id eſt univerſalis Pater & Paſtor eſt: primus Conſtantinopolitanus, 2. Alexandrinus, 3. Antiochenus, 4. Hieroſolymitanus. Tandem cum Conſtantinopolitanus œcumenici titulum ambire non deſiſteret, ordinatum fuit, ut Epiſcopus Romanus eſſet œcumenicus Papa, iſte vero œcumenicus Patriarcha. Vide Platinam in Bonifacio 3. & ad illum notas Panvinii.

PATRICIUS. conſtat ex Titi Livii libro 1. a Romulo creatos eſſe centum Senatores, quaſi Seniores. Ovidius:

A Senibus nomen mite Senatus habet.

Et eoſdem honoris gratia Patres eſſe appellatos, omneſque ſubinde qui ex illorum progenie orti eſſent, Patricios eſſe nuncupatos: hinc lunatos ferre calceos inſigne hujus nobilitatis erat, quod ſemilunula C. centum deſignet. Erant autem Patricii originarii dicti, qui ab his centum originem trahebant, iidemque Patricii majorum Gentium dicebantur; alii autem minorum Gentium, iidemque Adlecti & Conſcripti, qui ex Plebe in Senatum tranſierant.

PATRONUS eſt cujus patrocinio

nio & tutelæ aliquis committitur; unde etiam *Tutelaris* dicitur. Patronus ſive Tutelaris Mechlinienſium eſt D. Rumoldus; *Titularis* autem D. M. Magdalena, ſub cujus titulo ſive nomine Baſilica Mechlinienſis dedicata eſt: uti Bruxellæ D. Michael Titularis, D. Gudula Tutelaris. Patronus etiam dicitur qui Eccleſiam aliquam vel Sacerdotium fundavit; cui ideo *Jus Patronatus* competit, quod eſt jus nominandi & præſentandi aliquem clericum ad talem Eccleſiam ſeu beneficium. *Titulus* ſecundum Varronem a tueor dicitur, quaſi Tutelus (euphoniæ gratia Titulus) unde Tutela: hinc Titulus etiam ſignificat quam Franci *Saveguardiam* vocant, quę confertur a Principe alicui loco aut perſonæ contra incurſus militares. D. Auguſtinus in Pſalmum 21. *Ne domum ipſius invadat aliquis potens, ponit ibi Titulum Potentioris; ut cum Titulus fuerit lectus, conterritus quis potentia nominis abſtineat ab invaſione.*

PÆDAGOGUS, ἀπὸ τοῦ παιδὸς ἀγωγὸς, id eſt puerorum ductor, cuſtos, & inſtructor; ἄγω inſtruo, duco, *Iſagoge* inductio, inſtructio: *Pædagogium* locus ubi pueri inſtruuntur; ſic *Myſtagogus* ſecretorum,

rum, ſive ſacrorum cuſtos.

PAULUS, inquit S. Auguſtinus in Pſalmum 72. *Primo Saulus, poſtea Paulus; id eſt primo ſuperbus, poſtea humilis: Saul enim, unde dictum eſt nomen Sauli, noſtis quia Rex ſuperbus & infrenis fuit. Non aliqua jactantia nomen ſibi mutaverit Apoſtolus; ſed ex Saulo factus eſt Paulus, ex ſuperbo modicus; paulum enim modicum eſt;* derivatur a παύομαι quod eſt modico contentus ſum. Et S. Hieronymus: *Uti Scipio ſubjecta Africa, Africani ſibi nomen aſſumpſit, & Metellus Creta ſubjugata, Cretici cognomentum reportavit: ita & Saulus ad prædicationem gentium miſſus, a primo Eccleſiæ ſpolio Proconſule Sergio Paulo, victoriæ ſuæ trophæum retulit, erexitque vexillum, ut Paulus diceretur e Saulo.*

PHARISÆI dicti ſunt quaſi ſeparati, ab hebraico *Pharas*, latine ſeparo; quia non erant ſicut cæteri hominum.

PHYLACTERIA (in flandrica Euangelii translatione habetur *Memorie-brieven*) erant membranę, in quibus deſcripta erat Lex Divina; quas Phariſæi in capite & brachio portabant, ut Legem Dei cuſtodire & in oculis habere viderentur, a φυλάττω cuſtodio: chartæ qui-

quibus utuntur Libitinarii dum ad funus comitandum invitant, Phylacteria vocari poſſunt, quia illis ſerviunt pro memoria. Phylacteria etiam ſunt chartulæ incantationum diabolicarum, quibus tutos ſive duros, ut vocant, ſe homines perverſi putant contra ictus hoſtiles. in decretis Gregorii II. inter alia habetur: *Si quis Ariolos, Aruſpices, vel incantatores obſervaverit, aut phylacteriis uſus fuerit, anathema ſit.*

PERIODUS, latine circuitus. Periodi Pauli & Theclæ inter apocrypha ſcripta numerantur, in quibus narratur quomodo illa cum Apoſtolo itinerata ſit, docuerit, & baptizaverit, quod fœminis permiſſum non eſt.

PITANCIA, vide ſupra in voce *Agape*. Itali *Pietanza* dicunt, quia ex pietate datur.

PINNACULUM, eſt locus frequentibus pinnis circumſeptus: Templum Hieroſolymitanum erat ſuperius planum, & circumquaque pinnis ſeptum; pinnæ autem ſunt dentes in ſuperioribus murorum partibus eminentes; quos & flandrice *Tanden* dicimus, gallice *Palliſades*.

PLANETA Aſtrologis eſt ſtella erra-

erratica, Eccleſiaſticis vero veſtis Presbyteri ſacrificantis, quæ hodie Caſula dicitur, ἀπὸ τῦ πλανᾶν errare, quia quondam erat laxior, quam modo eſt, & errabat canalibus, ſive plicis ſuis per totum Sacerdotis corpus; uti apparet in antiquis picturis S. Gregorium, & alios Pontifices ſacrificantes exprimentibus; ideoque Diaconus debebat Sacerdotem juvare, Planetam levando præſertim dum elevaret ſacram hoſtiam; unde mos inolevit levandi Caſulam ad Elevationem: quæ veſtis jam contractior eſt, & *Caſula* dicitur, quaſi parva caſa, quæ quod cava ſit, nomen accepiſſe videtur.

PLUVIALE (ſubaudi veſtimentum), eſt capa pluvialis totum hominem capiens, contra pluviam ab antiquis viatoribus ad neceſſitatem adhibita; ſed jam in Officio Divino ad ornatum & ſplendorem adhibetur, a tergo habens adhuc formam amiculi antiqui pallii, quod *Schoef* flandrice dicitur a *ſchuyven*, quia contra tempeſtates poterat ſuper caput attolli, & inde removeri, atque *Caputium* dicebatur, quod caperet, ſive tegeret caput.

PLATONIA. Anaſtaſius Biblio-

the-

thecarius in vita S. Damaſi Papæ ait : *Hic dedicavit Platoniam in Catatumbis, ubi Corpora ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli jacuerunt, & verſibus exornavit*. Et Damaſus ipſe (quiſquis hic fuit) in Vitis Pontificum : *Liberius Papa ornavit de platoniis marmoreis ſanctæ Agnetis ſepulchrum* : Hinc ſaxa ſive laminæ marmoreæ antiquas inſcriptiones continentes Platoniæ vocantur, & locus ipſe marmoreis laminis contectus Platonia dicitur. Beda in ratione temporum ſcribit, quod *Xyſtus Tertius fecit Platoniam in Cæmeterio Calliſti via Appia, ubi nomina Epiſcoporum & Martyrum ſcripſit*. & in Hiſtoria Tripartita Socrates: *Pax ipſa in marmorea Platonia cognoſcitur eſſe conſcripta*. πλάτος latine latitudo, unde platea, flandr. *Pleyte*. & vox teutonica *Plaets*. Philoſophus *Plato* ab humerorum planitie, ſive latitudine nomen habuit : & *Platanus* arbor late ſpargens ramos, umbræ tantum gratia expetita, ἀπὸ τοῦ πλάτεος, hoc eſt a latitudine dicta fuit.

PLUMBATIS cædi, ſubaudi flagellis, Teutonice *Gheloode vveepens* & hæc dicuntur Plumbata : Plumbatæ autem ſunt pilæ plumbeæ *loode kogels*, quæ bombardis inſe-

runt-

runtur : hujuſmodi pilis flagellorum extremitatibus affixis cædebantur Martyres.

PLUMBETA, quę diſtribuuntur in Choro, Plumbei latine dicendi eſſent, ſicut Aurei, & Argentei paſſim dicuntur, & ſubintelliguntur nummi. Martialis libr. 10. Epig. 74.

Centum merebor plumbeos die toto.
ita in Choro Mechlinienſi nos tres meremur Plumbeos die toto.

PNEUMA (latine ſpiritus, flatus, ventus) vox hęc ponitur in cantu Gregoriano, & exprimitur per haſce literas: EVOVAE, ſuperſcriptis Notis Muſicis, ad ſciendum quo ſpiritu ſeu pneumate, & quoto tono (octo autem ſunt toni) cantus debeat pauſari.

PODERIS, ποδήρης veſtis talaris: πȣ̃ς ποδὸς pes pedis; apud Eccleſiaſticos pro Alba ponitur, quæ ad pedes uſque dependet. penultima producta.

POLYCARPUS, latine fructuoſus; πολὺς multus, καρπὸς fructus. *Polypus* multipes. *Carpophorus* fructum ferens.

PONTIFEX dicitur a poſſe, & facere, quaſi potens ad faciendum: facere autem etiam ſacrificare ſignificat.

POSSESSIO dicitur quaſi pedum poſitio, quæ eſt rerum immobilium; quia ad immobilia pedibus itur: mobilium vero dicitur *Mancupium*, quia res mobiles manu capiuntur.

POSTCOMMUNIO vide ſupra in voce *Oratio*.

PRÆFATIO ſive prælocutio fit ante Actionem & Canonem ſeu Regulam Miſſæ; & ſecundum tempora & officia præfationes variantur, quarum decem priorum auctor eſt Gelaſius I. Papa circa annum Chriſti 508. undecimam præfationem de B. Virgine Maria, ejuſdemque Officium edidit Urbanus II. circa annum milleſimum. Canon vero ſemper eſt idem, niſi quod in ſex feſtivitatibus Domini, Nativitate, Epiphania, Cœna, Paſchate, Aſcenſione, & Pentecoſte, aliquot verba feſto cuique congrua inſerantur. Micrologus cap. 11. ait: *Presbyter poſt finitam Secretam orditur Præfationem in Canonem, in qua Supernorum Civium Ordines merito connumerantur, quia iiſdem myſteriis, quæ ibi conficiuntur, juxta atteſtationem Sanctorum Patrum intereſſe creduntur: unde & Angelicum Triſagium Sanctus, Sanctus, Sanctus ſubjungitur, uti S. Xyſtus in ordi-*

ne

ne quondam octavus Papa inſtituit. ita Micrologus, qui vivebat circa annum 1085.

PRÆPUTIUM a præputando dicitur: glans eſt ſumma pars colis, ſive membri virilis, præputium eſt pellis glandem tegens, quæ Judæis in Circumciſione præputatur. Paulus ad Rom. 4. *Non in Circumciſione tantum* (id eſt in Judæis qui circumciſi ſunt) *ſed in præputio* (id eſt non Judæis, ſive gentilibus, qui præputium habent): Circumciſio dicitur, quia pellis circum glandem cæditur ſive ſcinditur, & præputatur.

PRESBYTERI vocantur Sacerdotes (vide Notitiam in Cleto) id eſt Seniores, non propter decrepitam ætatem, ſed ob ſapientiam, quæ in ſenioribus plus quam in junioribus exigitur, & eſſe ſupponitur. S. Auguſtinus ait: *Sane etiam grandioris ætatis (& ſicut Scriptura loquitur) plenum dierum poſſe dici Seniorem, hoc eſt Presbyterum: proinde omnis ſenex etiam presbyter; non omnis presbyter etiam ſenex*. Epiſcopi ſuperiores Sacerdotibus loco Apoſtolorum ſucceſſerunt, Presbyteri vero 72. Diſcipulorum locum tenent. πρεσβυς etiam ſignificat legatum; quaſi presbyteri legatione

pro

pro nobis apud Deum fungantur.

PRESBYTERIUM late ſumptum, eſt chorus ſive locus ubi presbyteri quotidie ad Officium Divinum conveniunt: ſumptum ſtricte eſt locus Chori ſummo Altari proximus, uti patet ex conſecratione Chriſmatis in Cœna Domini, quando presbyteri cum Epiſcopo ſedent in presbyterio. Olim locus erat in Patriarchio Lateranenſi, in quo Pontifex Romanus priſco inſtituto *Presbyterium* elargiebatur: Presbyterium autem hoc, ſi Panvinium audias, eſt quædam pecuniæ ſumma, quam Papa diebus quibuſdam feſtis præcipuis Cardinalibus, Clero, Senatui, Populoque Romano dare conſueverat: hujus doni non ſemel in Anaſtaſio Bibliothecario fit mentio: inter alia de Bonifacio V. *Hic*, ait, *Clerum amavit, & Rogam integram eidem dedit*. in Eugenio I. *Rogam ſolitam Clero tribuit* (Rogam Longobardicam vocem exiſtimat Sigonius, & ſtipendium ſignificare) & in Zacharia: *Clerum ſuum dilexit, & presbyteria annua in duplo, & amplius omnibus tribuit*. & Ciaconius in Clemente Tertio: *Romanus Pontifex Senatoribus, Judicibus, Advocatis, Scriniariis, & Senatus*

mini-

miniſtris conſuetas largitiones, & donativa, quæ presbyteria vocantur, ſtatis temporibus tribuit.

PRÆBENDA (adjectivum ſubſtantivatum) eſt quæ alicui præbetur in beneficium, quod illi præbet unde ſuſtentetur, & ſibi benefacere poſſit; proprie Sacerdotium dicitur.

PROTOCOLON, latine primum membrum, eſt prima charta ſive membrana, in quam tabelliones & ſcribæ acta breviter referunt, accuratius & nitidius ea, ubi opus erit, deſcripturi, *Minuta* paſſim dicitur.

PRÆSIDES dicuntur qui maximum in Provincia ipſis commiſſa poſt Principem habent imperium, quales hodie Gubernatores dicimus: ita Præſes ſive Gubernator Judææ erat Pontius Pilatus, & in Martyrologio frequens fit mentio; ſub Præſide Maximo, Rictovaro &c. hoc eſt Gubernatore.

PRIMAS eſt qui habet Archiepiſcopos ſub ſe, uti Archiepiſcopus Epiſcopos: huic præfertur crux ſimplex, illi duplex, uti Papæ triplex; qui eſt Primas Italiæ, & totius Chriſtianitatis: Hiſpaniæ Primas eſt Toletanus, Galliæ Lugdunenſis, Germaniæ Magdeburgen-

ſis, Cantuarienſis Angliæ.

PRIMICERIUS eſt primus in ordine ſive catalogo, quaſi primus in cera: antiqui enim in ceratis tabulis ſtylo ferreo aut ligneo literas pingebant. *Secundicerius* etiam dicitur. Benedictus Tertius, in Epiſtola de rebus Corbejenſis Abbatiæ in fine: *Actum per manum Theophilacti Secundicerii Sanctæ Sedis Apoſtolicæ*.

PRIMISCRINIUS primus cuſtos Scriniorum, quod eſt primus Secretarius; quia ſecreta in ſcriniis cuſtodiuntur. in Epiſtola ejuſdem Benedicti: *Scriptum per manum Theodorici Notarii & Scriniarii S. R. E. Protoſcriniarius* etiam dicitur.

PROTONOTARIUS. legitur in Papa Julio I. quod mandavit omnia ad Eccleſiam pertinentia per Notarios, qui poſt Protonotarii dicti fuerunt, exacte conſcribi. Clemens quidem primum ſeptem inſtituerat, qui geſta Martyrum literis commendarent, ſed Julius plures inſtituit. Inter Protonotarios, prius ſeptem, nunc duodecim, ſunt qui Participantes vocantur, eo quod de redditibus aſſignatis participent: reliqui titulares tantum, facile creantur.

PISCINA eſt proprie lacus piſces

ſces continens, quod vivarium dicimus. *Probatica*, id eſt ovilis, προβατον ovis. in hac Piſcina probatica ſive ovili lavabantur oves quæ ad ſacrificium offerebantur. In Lectione 4. feſto Præſentationis B. Mariæ 21. Novembris habetur: *In Domo Probaticæ Joachim*, antiqua lectio habet, *In Domo Ovilis Joachim*; quod ipſe abundaret ovibus & dives eſſet: nam antiquorum divitiæ in pecudibus præcipue conſiſtebant; unde &. pecunia nomen habet.

PROPHETA. quos Gentiles Vates, eos Prophetas nos vocamus, quaſi præfatores, quia porro fantur, & futura prædicant ſive prædicunt: προφητεύω prædico. *Prophetia* in nocte Nativitatis Domini legitur ſine titulo, quia non amplius prophetæ, ſed ipſe Dominus, qui jam venit, nobis loquitur: & ideo ad primum reſponſorium canitur Gloria Patri, ut Deo dicamus gratias pro filio nobis dato.

PROSELYTI, latine advenæ a προσελεύθω advenio: ita vocabantur qui ex gentilitate ad Judaiſmum acceſſerant.

PROSEUCHA locus ubi mendici ad ſtipem rogandam conſident.

προσδέχεσθαι eſt contentioſe orare. Juvenalis Satyra 3. *Ede ubi conſiſtas, in qua te quæro proſeucha.* id eſt in quo ponte, vel atrio ſtipem roges.

PSALLERE ψάλλειν eſt canere & ſimul inſtrumentis ludere, imo & ſaltare, uti quondam David ante Arcam, & etiamnum Hiſpani ante Venerabile Sacramentum canunt, ludunt, & ſaltant. vide ſupra in voce *Hymnus*.

PSALMI GRADUALES ſic dicti, quod in Arcæ delatione, in ſingulis Templi gradibus illa ſubſiſtente, decantarentur ſinguli: erant enim quindecim Templi gradus, quot ſunt *Pſalmi graduales*: jam ab Eccleſia ita ordinati ſunt, ut cantentur quinque primi pro defunctis, uti patet ex concluſione, *Requiem æternam dona eis Domine*: medii pro nobis ipſis, & amicis: quinque poſtremi pro omnibus fidelibus tam vivis, quam defunctis.

PSALMI POENITENTIALES, quod ſcilicet ad pœnitentiam nos excitent, numero ſeptem contra ſeptem peccata capitalia, ex quibus veluti capitibus ac fontibus omnia alia peccata proficiſcuntur: quos S. Auguſtinus, cum diſceſſum ſibi e vita inſtare intelligeret,

ret, in conſpectu poſitos profuſis lacrymis legebat; unde antiquitas & utilitas horum pſalmorum apparet.

PURPURA, quaſi pura puta, ſive bis pura, imo ignea. πῦρ enim idem quod ignis, qui eſt purus & omnia purificans. Argentum igne examinatum, id eſt puriſſimum. vide Ericium Puteanum in Purpura Auſtriaca, pag. 7. & CL. Paradinum Symbolo Heroico III.

PORPHYROGENITI ſunt Regum ſive Magnatum filii in purpura nati.

PSEUDOPROPHETA, Pſeudopontifex, eſt falſus Propheta, & falſus Pontifex. ψευδόλογος falſa loquens, τὸ ψεῦδος mendacium: Pſeudolus falſus ſervus.

PROCESSIO a procedendo, latine Supplicatio dicitur. Agapetus Primus inſtituit fieri proceſſiones ſingulis diebus Dominicis; quod & hodie ſervatur.

Q.

QUADRAGESIMA, *Quinquageſima*, *Sexageſima*, & *Septuageſima*, ſunt adjectiva ſubſtantivata, qualia multa ſunt in uſu Eccleſiaſtico: & ſubintelligitur dies ſeptua-

ptuageſima, ſexageſima, vel quinquageſima ante Paſcha. Septuageſima inſtituta eſt in ſimilitudinem ſeptuaginta annorum Babylonicæ captivitatis Judæorum. Dominica Sept. incipit prælegi in officio Eccleſiaſtico hiſtoria captivitatis generis humani, ex initio libri Geneſis. Notandum eſt autem quod Dominica Septuageſimæ, vel in Septuageſima, non ſit proprie ſeptuageſima ante paſcha dies, ſed feria ſecunda præcedens, & ipſa eſt tantum dies ſexageſima quarta: nec Dominica in Sexageſima eſt dies ſexageſima, ſed feria quarta præcedens, & ipſa eſt dies quinquageſima ſexta: neque Dominica in Quinquageſima eſt dies quinquageſima, ſed ſabbatum præcedens, & ipſa eſt quadrageſima nona ante paſcha dies. ſicut Dominica prima poſt Paſcha, Dominica in Albis proprie non eſt, ſed Dominica poſt Sabbatum in Albis; quia albæ veſtes pridie deponebantur. *Quadrageſima* vero vocatur antonomaſtice jejunium quadraginta dierum, quod incipit quatriduo ante Dominicam primam Quadrageſimæ, cujus ſequentes Dominicæ dicuntur ſecunda, tertia, & quarta Quadrageſimæ ſive in Quadrageſima:

ma: quia inhæremus numero quadragenario, quem Salvator noſter ſuo jejunio ſanctificavit; ut per totidem dies a nobis obſervatos, mente & corpore per jejunium purificati ad diem Paſchæ, quæ eſt ſolemnitas ſolemnitatum, pervenire mereamur. Sic *Dominica in Septuageſima* intelligi debet, quod ſit Dominica infra ſeptuageſimam diem ante paſcha: & eadem *Dominica Septuageſimæ* vocata, quaſi ſit Dominica ſeptuageſimæ ante paſcha diei. Solemne quadraginta dierum jejunium incipiebat antiquitus a Septuageſima; neque erat continuum, ſed interpolabatur tribus per hebdomadam diebus, feria quinta, Sabbato, & die Dominica, quæ non jejunabantur; quibus ſublatis, incipiendo a die ſeptuageſima ante Paſcha, non a Dominica ipſa Septuageſimæ, numerus quadragenarius recte ſuperat: & quemadmodum quadrageſimale jejunium continuum jam non incipit a Dominica Quadrageſimæ, ſed feria quarta præcedente, ſic tunc feria ſecunda ante Dominicam Septuageſimæ incipiebat: qui quadraginta dies ut conſequenter ab omnibus jejunarentur ordinavit S. Gregorius Magnus.

QUATUOR TEMPORA unde nominentur ſatis liquet: vide Notitiam in Calliſto Primo. Quando obſervanda ſint, Diſtichon hoc ſecundum ordinem indicat.

Poſt Luciam, Cineres, poſt ſanctum Pneuma, Crucemque,
Tempora dat quatuor feria quarta ſequens.

R

REGNUM ponitur pro Mitra ſummi Pontificis; ita narratur de Paulo Secundo, quod Regnum ſeu Mitram Pontificiā gemmis pretioſiſſimis exornaverit: Regnum vocatur, quia Regale Sacerdotium, & Papa non tantum ſedere, ſed etiam regnare dicitur, cujus inſigne eſt Mitra ſive Regnum. Notandum eſt quod Cæremoniale Romanum dicat: Diaconus a ſiniſtris deponit Mitram conſuetam (bicornem nempe) e capite Pontificis, & Diaconus a dexteris Tiaram unicornem, quæ Regnum appellatur, triplici corona ornatam Pontificis capiti imponit. Innocentius Tertius ſermone de S. Silveſtro: *Romanus*, inquit, *Pontifex in ſignum Imperii utitur Regno, id eſt corona, & in ſignum Pontificii utitur*

Mi-

Mitra. Idem alibi de ſe: *Eccleſia in ſignum ſpiritualium contulit mihi mitram, in ſignum temporalium dedit mihi coronam: Mitram pro Sacerdotio, Coronam pro Regno: illius me conſtituens Vicarium, qui habet in veſtimento & femore ſcriptum, Rex Regum & Dominus Dominantium*. Primus Pontificum uſus eſt Mitra cum ſimplici corona S. Silveſter, duplici Bonifacius Octavus, triplici Urbanus Quartus.

RESPONSORIUM, ſubintellige Canticum. Reſponſoria in Officio Nocturno ita vocantur, quia reſpondent lectionibus ſingulorum Nocturnorum, triſtia triſtibus, læta lætis: ſeu quia uno vel duobus cantoribus incipientibus, chorus concinens reſpondet.

Reſponſoria brevia dicuntur quia breviora ſunt prioribus, & poſt lectiones breves in minoribus horis alternatim canuntur. Reſponſorii pars repetitur ad fatendam noſtram imperfectionem: in aliquibus feſtis majoribus totum repetitur, ad oſtendendum deſiderium, quod habemus ad celebrandum illud in cœlo, quod hic celebratur in terra.

ROCHETUM latine ſupparus dicitur, quod ſuper alias veſtes ab

Epiſcopis, & Prælatis portetur: uti ſubucula, quod ſubtus induatur. aliqui putant quod hæc vox Gallica *Rocquet*, Avenione, dum degerent ibi Summi Pontifices, introducta fuerit. Nonnulli a græco ῥῶ & χιτὼν deducunt: particula ῥῶ molle & delicatum ſignificat, χιτὼν tunicam; ita ut Rochetum ſit tunica mollis & delicata.

ROGATIONES Majores & Minores, vide ſupra in voce *Litania*.

RUBRICA ſecunda producta, Perſius Satyr. 1.

> *Non ſecus ac ſi oculo Rubricam dirigat uno,*

eſt ſpecies quædam terræ rubri coloris, fland. *Root kreyt*. hac librorum tituli, & legum capita prænotabantur; Juvenalis Satyra 5.

> *Perlege rubras Majorum leges.*

Prudentius libro ſecundo contra Symmachum:

> *Dicant cur condita lex ſit*
> *Biſſex in Tabulis, aut cur Rubrica minetur,*
> *Quæ prohibet peccare reos?*

Omnia fere Legum capita minio ſcripta erant; unde Rubricæ dictæ; id quod tum Majeſtatis tum terroris cauſa factum eſſe ait Herm. Hugo de Orig. ſcribend.

ROTÆ AUDITORES inde di-

cti ſunt, quod in circulo circumſedentes, controverſias audiant: prout practici noſtri vocant ſedere in *Rolla*.

S

SABAOTH, Hebraice, latine Deus Exercituum habens Angelos, Archangelos, Principatus, Poteſtates, varioſque cæleſtis militiæ ordines. Teutonice *Godt der Heyr-crachten*.

SABBATUM eſt hebraicum, latinum requies, ſabbatizare requieſcere. Deus ſeptimo die poſt mundi creationem quievit, & illum diem Sabbatum vocavit, ita & nos die Dominico ceſſantes ab omni opere ſabbatizamus. Sabbato tantum conferuntur Ordines ſacri, quia a Deo illud eſt ſanctificatum, & præcipitur a Deo: *Memento ut diem Sabbati ſanctifices*. Sabbatum ſanctum vocatur a nobis Vigilia Paſchæ, quia eo die Catechumeni ſolemniter baptizati ſanctificabantur. apud Judæos omnes dies a Sabbato numerabantur: hinc prima, ſecunda, tertia ſabbati, erat prima, ſecunda, tertia dies octavæ ſabbati.

SACRUM, ſubintellige Templum

vel Altare : D. O. M. S. id eſt Deo Optimo Maximo Sacrum, vel ſacratum. Ovid. Faſtorum 1.

Sacra vocant Auguſta Patres, &
Sacra vocantur
Templa Sacerdotum rite dicata manu.

SACELLUM diminutivum a Sacrum, uti ſcabellum a ſcamno. *Sacellanus*, qui Sacello præeſt: *Sacellarius* autem ſive *Saccularius* eſt Eccleſiæ alicujus Theſaurarius a ſacco dictus, unde ſacculus, & ſacellus diminutiva: quia theſauri in ſaccis cuſtodiuntur. vide Notitiam in Leone Tertio de Paſchali Primicerio, & Campulo Sacellario.

SACERDOS vox profana, & odioſa primis Chriſtianis, cujus loco dicebatur Presbyter: nam inter Judæos erant Sacerdotes, & Principes Sacerdotum, & inter Ethnicos Idolorum Sacerdotes, imo etiam fœminæ erant Sacerdotes. hinc in Martyrologio nunquam reperitur v. g. ſancti Valentini Sacerdotis, ſed Presbyteri, vide plura in voce Presbyter. Etymologia vocis *Sacerdos* ſecundum S. Antoninum hæc eſt:

Dans ſacra, ſacra docens, ſacra dos, ſacer eſto Sacerdos.

SAL-

SALVATOR. de hac voce S. Auguſtinus lib. 3. cap. 10. de Trinitate hæc habet: *Quod hebraice Jeſus, Græce Soter, noſtra locutione Salvator eſt; quod verbum latina lingua antea non habebat, ſed habere poterat, ſicut potuit quando voluit*: aliqui vocem hanc non tam probe latinam putant, quia Cicero actione 4. in Verrem ita dixit: *Non ſolum Patronum iſtius inſulæ, ſed etiam Sotera inſcriptum vidi; hoc quantum eſt, ita magnum eſt, ut latine uno verbo exprimi non poſſit: is eſt nimirum Soter, qui ſalutem dedit*. Henricus Stephanus in Dictionario ſuo dicit: *Salvatoris vocem tanquam parum probam erudiziores religioſe fugiunt, quemadmodum & verbum ſalvo, quod nec ipſum ſatis latinum judicant*. Sed acceptis ab Eccleſia Catholica vocibus uti non erubeſcamus.

SARCOPHAGUS & Sarcophagum; σάρξ σαρκὸς caro, φάγω comedo. Plinius libro 13. cap. 17. *Sarcophagus lapis fiſſili vena ſcinditur, corpora defunctorum condita in eo abſumi conſtat intra quadrageſimum diem*. Sanctus Auguſtinus de Civitate Dei lib. 18. *Arcam in qua mortuus ponitur, omnes jam Sarcophagum vocant*. convenienter pro ſepulcro ponitur. Juvenalis ſatyr. 10.

Sar-

Sarcophago contentus erit.

SALARIUM. quemadmodum nullum olim ſacrificium ſine mola ſalſa, ita etiam nullum munus probe adminiſtrari poteſt, niſi aliquid ſalis admiſceatur: hoc eſt niſi ſpes ſalarii laboris amaritiem temperet; hinc a ſale ſalarium dicitur.

SALICA LEX. antiqui Franci in Germania habitabant juxta fluvium qui dicebatur Sala: unde Salici vocati, & eorum leges Salicæ dictæ; ipſi autem ſe Francos vocabant, id eſt liberos.

SCHISMA, τὸ σχίσμα, a χίζω, quod eſt ſcindo. diviſionem Eccleſiæ ſchiſma dicimus, cum ejus membra diviſa diverſa ſequuntur capita. *Schiſma Meletianum* Breviar. 26. Novembris, feſto S. Petri Alexandrini. Meletius Epiſcopus Ægyptius, Arianæ hæreſis ſectator, qui ſub Diocletiano in exilium pulſus eſt, quod præter opinionem, fidem Catholicam defendiſſet, cum tamen Arianam vellet tutari; fuerat primo orthodoxus, & in opinione maximæ ſanctitatis, dein factus Arianus ſchiſmatis in Eccleſia Alexandrina auctor fuit, vide Hiſt. Tripartitam.

SCHOLA. Diogenes Cynicus Eucli-

clidis ſchola, quod arguta quidem, ſed ad recte vivendum parum utilia doceret, argute dicebat quod eſſet χολὴ, id eſt bilis ac moleſtia; cum σχολὴ ſchola Græcis ſonet otium, σχολάζω vaco; quod cæteris rebus omiſſis, hic ſolis ſtudiis vacemus; quodque vacationes & laxamenta interdum pueris danda ſint a laboriferis Muſis. ita explicat Auſonius Burdigalenſis:

Grato ſchola eſt nomine dicta,
Juſta laboriferis tribuantur ut otia Muſis.

SCHOLASTICUS. hujuſmodi nomine dicti ſunt declamatores litium fictarum in ſcholis, qui deinde tranſibant in forum ad lites veras tractandas. In Martyrio S. Dorotheæ fit mentio Theophili Scholaſtici, qui erat Præſidis Advocatus. ſcholaſtice dicere, eſt rem per controverſiam diſputare, unde & *Theologi ſcholaſtici* dicti ſunt, qui res divinas logice diſputando perquirunt. Scholaſticus inter Canonicos dignitatis nomen fuit; ita vocabatur Canonicus qui aliis Theologiam prælegebat, hodie dicitur Canonicus Theologus, abſque dignitate tamen apud nos. Et Scholaſticus ſive Scholaſter vocatur,

tur, qui trivialibus puerorum ſcholis præeſt.

SEBASTIANUS, σεβαστὸς venerabilis, σεβάζομαι veneror. Græci Sebaſtos vocant Imperatores, quos latine Auguſtos dicimus.

SECRETARIUM idem quod *Sacrarium*, & *Sanctuarium*, locus in quo SS. Euchariſtię Sacramentum ſervabatur, etiam Adytum dictum. vide ſupra in vocibus Baſilica, & Diaconium. Sanctuaria ſunt etiam Regum & Principum ſecretaria. Plinius lib. 3. cap. 8. *In ſanctuariis Mithridatis repertum eſt Antidotum*. quę etiam *ſcrinia* a ſecernendo dicuntur; nam ſcrinium eſt arca qua ſervantur pretioſa & ſecreta: unde lignum ſcriniarium quod talibus arcis ſecernitur. hinc *Scriniarius* cuſtos ſcriniorum ſive ſecretarius, qui & *Silentiarius*, & *Chartularius*, gręce *Chartophylax* a chartis cuſtodiendis, φυλάττω cuſtodio. Concilium Laodicenſe capite 21. *Non oportet Subdiaconos licentiam habere in ſanctuarium ſeu ſacrarium, quod Græci Diaconium vocant, ingredi, & contingere vaſa Dominica*. ἱεϱατεῖον latine *Sacrarium*. Secretarium a Francis pro ſacrario ſive ſacriſtia ſumitur. unde *Secreta* Sacriſta. Euſebius lib. 3. cap. 4. ita de-

ſcri-

ſcribit Sanctuarium ſive chorum: *Sanctuario hoc modo abſoluto & perfecto, ſtelliſque quibuſdam in altiſſimo loco, ad Præſidum Eccleſiæ honorem collocatis, & ſubſelliis præterea undique ordine diſpoſitis, decore eximieque ornato, Altarique tanquam Sancto Sanctorum in medio ſanctuarii ſito, iſta rurſum, ut a Plebe & multitudine non poſſet accedi, cancellis circumdedit*. Etiam Secretarium a S. Gregorio pro choro ponitur, dum ait: *In Secretario, loco nimirum conſueto, ubi in ſuo throno, ſub aſpide collocato, ſedere ſolet Epiſcopus, & cum eo Presbyteri, Diaconi nunquam; nam Diaconis inter Presbyteros ſedere non licet*.

SEQUENTIA, Secreta, Collecta, Offerenda pro oblatione, & ſimilia, ſunt adjectiva quæ longo uſu pro ſubſtantivis ſumuntur. Sequentia dicitur quia ſequitur poſt Graduale: *Proſa* etiam vocatur, quia ſyllabæ non aſtringuntur ad metrorum pedes, quamvis plerumque ſit Rhythmus. antiquitus ſumebantur hæc nomina plurali numero, nunc ſingulari; ita ut paſſim dicatur: cane iſtam Sequentiam, ſta ad Offerendam; loco horum: ſta ad offerenda, cane ſequentia. Sic Libri ſacri, qui

per

per excellentiam græce dicuntur Biblia numero neutro plurali, ab aliquibus numero ſingulari fœminino efferuntur: uti Thomas a Kempis lib. 1. de Imit. Chriſti cap. 1. *Si ſcires totam Bibliam exterius*.

SERVILIBUS NOTIS COMPUNGI, uti habetur in lect. de S. Bibiana 2. Decemb. tales notæ Inſcriptiones frontis, & qui portabant Stigmatici, Literati, & Inuſti dicebantur: ſtigmata enim, quæ hodie malefactorum tergo, tunc faciei inurebantur. vide Lipſium Elect. cap. 15. & Baronium ad Martyrologium 22. Decembris de ſancto Flaviano Patre S. Bibianæ Inſcriptione damnato.

SPADO, a σπάω evello, cui teſtes evulſi; *Eunuchus*, εὐνὴ cubile, & ἔχω cūſtodio; hic ita natus, ille ſic factus: adhibebantur Eunuchi ad cuſtodiendas Virgines Magnatum Filias, ipſiſque erant a cubilibus. *Caſtratus* dicitur ab animali Caſtore, qui ne a venatoribus ob medicatos teſticulos capiatur, eos ſibi demordet: hinc vox caſtus, quaſi caſtratus, per ſyncopen. Juvenal. ſatyra 12.

Imitatus Caſtora, qui ſe
Eunuchum ipſe facit, cupiens evadere damno

Te-

Teſticulorum: adeo medicatum intelligit inguen.

SPURIUS, idem quod græce *Nothus*, non legitimus, hebraice *Mamzer*. antiqui aliquem incerto patre de ſcorto natum ſignificabant hiſce literi, *S.P.* quod eſt Sine Patre, cujus pater ignoratur. ex quibus literis *S.P.* orta vox eſt *ſpurius*, qualiter inter Romanos nonnulli prænominati fuere. *Gneſii* autem legitimi Græcis dicuntur.

SPATHARIUS Armiger, gallice *Eſcuyer*. Spatha eſt gladius major, σπάθη Italice *Spada*, hiſpanice *Eſpada*, gallice *Eſpee*, a σπάζειν ſcindere, vel σπᾶν ſtringere. minor gladius ſemiſpatha dicitur. a ſpatha diminutivum eſt *Spathula* inſtrumentum quo utuntur Pharmacopęi. *Framea* eſt enſis qui projicitur. *Romphæa* enſis oblongus.

STADIUM continet octavam mille paſſuum partem, quod eſt 125. paſſus; quæ menſura octies ſumpta efficit mille paſſus. ſic mons Olivarum diſtat Hieroſolyma ſex ſtadiis; hoc eſt tribus horæ quadrantibus: dicitur autem ſtadium quaſi ſtatio, quia poſt ſingulos milliarii quadrantes itinerantes ſolebant conſiſtere & pauſare.

STO-

STOLA. ſicut Canonici quidam Auguſtiniani pro integro Rocheto, tantum faſciam aliquam lineam portant inſtar parvi ſcapularis; ita modo ſtola, quæ quondam integra erat veſtis, tantum eſt aliqua faſcia e collo ſacerdotis hinc inde dependens, data Preſbyteris & Diaconis, quorum munus eſt prædicare verbum Dei: quare etiam ſtola *Orarium* dicitur ab orando, ſive orationem ad populum habendo. Ad diſtinctionem Sacerdotum qui utroque humero portant, a Diaconis fertur ſtola uno tantum humero ſiniſtro ſub axillam dexteram connexa, ut illam manum habeant liberam ad miniſtrandum in altari; portatur vero a ſacerdotibus dum celebrant e collo ante pectus in modum crucis cingulo conjuncta: Epiſcopi ſtolam in modum crucis non complicant, quod crucem e collo dependentem ante pectus ſemper geſtent. quod ſi ſtola adhibeatur a ſacerdotibus una cum ſuperpelliceo, ſoluta pendebit hinc inde; quia in modum crucis ligari ſine cingulo non poteſt. apud Græcos quodlibet indumentum dicitur ϛολὴ, ſtola.

STROMA, latine ſtragulum. Peri-

ſtromata ſunt aulæa, ſive tapetia circum aulam pendentia. Clemens Alexandrinus dicitur Stromaticus, ſive ſtromatum ſcriptor: quia edidit opus miſcellaneum variis ornamentis quaſi ſtromatibus, ſive aulæis diſtinctum.

SYCOMORUS, σῦκον ficus, μῶρος fatuus, unde moria ſtultitia: ſycomorus latine ficus fatua, fructum non ferens.

SYMBOLUM. συμβάλλω confero, ſimul fero. *Symbolum Apoſtolorum* dicitur, quod ſinguli Apoſtoli, antequam dividerentur, dictante Spiritu ſancto, in unum de Fide Chriſtiana contulere. *Symbolum Nicænum*, juſſu Marci Papæ ſucceſſoris Silveſtri, ſub quo recens habitum fuerat, cantatur in Miſſa poſt Euangelium; ut quod per auditionem corde creditur ad juſtitiam, ore confeſſio fiat ad ſalutem: ſymbolum illud recitari inſtitutum fuit contra Arianos, qui Chriſtum conſubſtantialem Patri negabant. cur autem in nonnullis ſanctorum feſtis prætermittatur, ratio eſt quod de illis in ſymbolo nulla fiat mentio, uti de ſancto Joanne Baptiſta, qui ante Chriſtum obiit: in feſto S. Laurentii etiam non dicitur, quia de Martyribus nihil memo-

mo-

moratur, uti neque de Confeſſoribus: ſed in feſtis Doctorum dicitur, quia illi nobis illud explicarunt: quod dicatur in feſto ſancti Stephani, eſt propter Octavam Nativitatis Chriſti; uti in die octava ejuſdem propter octavam ſancti Joannis Euangeliſtæ adhuc durantem: in feſtis autem Apoſtolorum dicitur; quia ipſi nobis veram fidem, quæ hoc ſymbolo continetur, prædicaverunt: & Angelorum, quia de ipſis fit mentio in voce *inviſibilium*. Deus enim creavit Angelos inviſibiles. *Symbolum Athanaſii* eodem fere tempore, contra Arianos Sanctiſſimam Trinitatem impugnantes a S. Athanaſio compoſitum, & ab eodem Romæ profugo propter Arianos Julio Papæ Marci ſucceſſori oblatum & approbatum fuit: per quod ipſe ſe Athanaſium, id eſt immortalem omnibus orthodoxæ fidei cultoribus reddidit. Nota quod ubi celebratur per Octavam feſtum Sanctiſſimæ Trinitatis, Symbolum Athanaſii dicatur prima Dominica & ultima, ad Primam: aliis diebus infra octavam non dicitur; quia hoc ſymbolum eſt affixum diei Dominicæ.

SYNAGOGA, latine congregatio,

tio, συνάγω congrego; *Eccleſia* ſonat convocatio: greges pecorum proprie congregari dicuntur; convocari autem magis eſt utentium ratione, quales ſunt homines. hinc Apoſtoli nunquam Synagogam dixerunt, ſed Eccleſiam, diſcernendi cauſa; quod Chriſtus abnegata ſynagoga Eccleſiam inſtituiſſet.

SYNODUS, latine conventus, σύνοδος congreſſus, concilium.

SYNAXIS idem quod Synagoga; imo Greci Synaxes vocant orationes, quas nos collectas dicimus. *Sacra Synaxis* dicitur Communio Sanctiſſime Euchariſtie, quia omnes ſimul de uno pane vivo, qui eſt Chriſtus, communicant.

STATIO quid ſit cape ex conſtitutione Xyſti V. edita 13. Feb. anno 1586. *Vetus admodum ab Apoſtolicis uſque temporibus ducta ſacrarum Stationum conſuetudo; in quibus fidelium multitudo ad Apoſtolorum ſepulchra & fortiſſimorum Martyrum memorias conveniens, hymnis & canticis ſpiritualibus Deum in ſanctis ſuis mirabilem laudabat, & ſalutaribus Immaculatæ Hoſtiæ ſacrificiis placabat, & adverſus multiplices antiqui hoſtis oppugnationes, tamquam in caſtris Dei ſtatione tutiſſima conſiſtebat.*

& Quu-

& Onuphrius Panvinius de Cœmeteriis cap. 11. *Legimus Romanos Pontifices inter Martyrum tumulos, Stationes, id eſt omnes actus publicos Pontificales celebrare conſueviſſe.* Statio etiam pro temporali manſione & quiete, ſive conſiſtentia ponitur: hinc nos in diebus Rogationum, cum ſupplicatione ad alias Eccleſias procedentes, in iis Miſſam celebrando, & alias preces fundendo, Stationes celebramus, & a procedendo pauſamus & conſiſtimus.

STUDITA. Martyrologium Romanum 11. Novembris meminit ſancti Theodori Studitæ. fuit hic Abbas dictus ἡγούμενος τοῦ Στουδίου, id eſt præfectus Studii, ἡγέομαι præſum. Primus Monaſterii hujus Fundator Studius dicebatur: hic Theodorus pro ſanctarum imaginum cultu multa paſſus Martyr occubuit 11. Novembris anno 826. Monaſterium *Studium*, Monachi *Studitæ* dicebantur, uti Minoritæ, Jeſuitæ &c.

SUPERPELLICEUM, ſubaudi veſtimentum. antiqui Canonici veſtiebantur pellibus, in memoriam primorum Parentum a Deo poſt peccatum tunicis pelliceis indutorum; quod pelliceum indumentum ob incommoditatem, maxi-

me in æſtate, in lineum fuit mutatum, ſed nomen non mutavit: in cujus ſignum Canonici induti Superpelliceo ſimul geſtant in brachio ſiniſtro (ad Officium minus impedito) pelliceum quoddam tegumentum; ab aliquibus in capite (nam caputium habet) & a Regularibus in humeris geſtatum, quod Almutium, voce teutonica quaſi *Adde mutſe* dicitur; ſed proprie amicium ab amiciendo vocari deberet. vide plura in voce *Almutia*. etiam Superpelliceum inde nomen habere poteſt, quod ſuper antiquas pelliceas veſtes portaretur: quia primo poſt peccatum Adami humanæ veſtes erant Pelliceæ; & ſi hodie non ſint ex pellibus, conſtant ex lana pellibus detracta.

SUBTILE, indumentum lineum ſine manicis, ſic vocatum, quod ſubter alias veſtes chorales, quales ſunt cappa, & caputium, tempore hiemali portetur a Canonicis Collegiatis ſine manicis, a Cathedralibus autem cum manicis; & tunc Rochetum vocatur. Subtile hoc (potius *ſupparus*) dicebatur antiquitus *Lebiton*, & Colobium lineum, quæ eſt veſtis ſine manicis, de quo vide in vo-

cibus Colobium & Rochetum.

SOTTANA vox Italica eſt, *ſotto* ſubter, ita dicta, quod ſubter togam induatur: de Toga & Sottana memini me legiſſe in ſtatutis Canonicalibus: *Veſtimenta noſtra terram tangant, non verrant*:

T.

TABERNACULUM diminutivum a taberna, aliter *Ædicula*, ita vocatur paſſim repoſitorium Ven. Sacramenti. Tabernaculum etiam dicitur locus ubi multæ ſunt tabernæ, ſicut Habitaculum ubi multæ ſunt habitationes, & Pinnaculum ubi multæ ſunt pinnæ.

TALIO. S. Damaſus pœnam talionis conſtituit iis, qui alterum falſi criminis accuſaſſent; quod diſticho hoc expreſſum habetur:

Qualia feciſti, patiaris Talia, jus eſt:
Hinc ſibi conveniens Talio nomen habet.

TARINCHÆ. Martyrologium 11. Decembris: *In quorum naribus & auribus juſſit Præſes immitti tarinchas, & clavis ardentibus tempora transfigi*. ad quem locum Baronius: Tarinchæ erant tenuia ferri te-

tela, ad incendendum Martyrem comparata. Eraſmus in verſione Joſephi ſuccenſoria vocat, & ſudes ferreas, uti Virgilius:

Stipitibus duris agitur, ſudibuſque præuſtis.

τυρχδω liquefatio, & ferrum dum accenditur, liqueſit.

TECHNICI VERSUS, id eſt, artificioſi, τέχνη techna, artificium; ſumitur ſæpius pro dolo, & aſtutia, uti fland. dicimus *Dieperye*: τεχνάζω dolos excogito, ſolerter invenio, τεχνολογία doloſa diſſertatio. ſic Auſonius (vide ipſius Idyllium 12.) ſcripſit Technopægnion, ſive artificioſum Luſum metricum, τὸ παίγνιον luſus. *Verſus Leonini* ſunt Rhythmici, a quodam Monacho Benedictino Joanne Leonio, qui in Rhythmicis metris excelluit, ita dicti. *Verſus Ropalici*, id eſt fuſtibus digni: τὸ ῥόπαλον clava, fuſtis, baculus. ῥοπαλίζω fuſtibus cædo.

TEMPLUM a templando ſive tuendo dicitur, quod eſt undequaque circumſpicere. Templa paganorum erant rotunda; quæ facile contemplari poterant. Conſyderator eſt proprie ſyderum contemplator; ſydus autem dicitur a

συνειδεῖν ſimul videre; quia plures ſtellæ ſimul videntur: contemplor a *Templo*, id eſt a loco qui ab omni parte ſimul aſpici poteſt, quem locum Augures Templum vocant. Cicero pro Deiotaro: *Id animo contemplare, quod oculis non potes*. Idem primo Academicarum Quæſtionum: *Eſt animorum quaſi quoddam pabulum conſideratio contemplatioque naturæ*. quando aliquod templum intramus, illud primo intuitu undique contemplamur, & intuemur: ſic *Templum* dicitur *quaſi Tuemplum*. etiam contemplo dicitur; Plautus in Aſinaria: *Hem meum caput contempla me*. Et hæc quidem de templis prophanis. Chriſtianorum autem templum dicitur Κυριακὸν, id eſt Dominicum: unde Germanicum *Kirch*, & Fland. *Kerck*. vide in voce *Dominicum*. Fanum autem dicitur templum exterius a φαίνω appareo, quia ſuper alias domus apparet.

THERESTUS, Martyrologium 24. Junii, idem quod meſſor, θερίζω meto.

TENOR in cantu eſt, qui inter Baſſum (Baſem ſive fundamentum totius cantus) & Superiorem qui *Fauſſet*, quaſi parva faux dicitur, me-

medius canit. Eraſmus tenorem rei progreſſum vocat; unde quæ ſui ſimilia, ſibique velut perpetua quadam ſuccedunt ſerie, horum eumdem eſſe tenorem dicimus. Cicero de Oratore: *Is uno tenore, ut ajunt, in dicendo fluit, nihil afferens præter æqualitatem & æquabilitatem*. loquitur de æqualitate dictionis: ſic per ſimilitudinem, qui nec nimis baſſe, nec alte nimis canit, eodem tenore cantare dicitur, idque a tenendo, quod inter utrumque teneat.

TITULUS. Martyrologium 26. Julii: *Romæ Sancti Paſtoris Presbyteri, cujus nomine Titulus extat in Viminali apud ſanctam Pudentianam.* Fuit hic Paſtor frater ſancti Pii Papæ, alio nomine Hermes dictus, quem primum præfecit iſti Titulo; qui Paſtoris propterea Titulus dictus eſt: uti Titulus Equitii, Pammachii, Julii, a Fundatoribus; item a Fundatricibus Eudoxiæ, Faſciolæ, Veſtinæ. hinc antiquitus Eccleſiæ vocati fuere Tituli, & qui eis Presbyteri aſcribebantur, inde Nomen Titulumque recipiebant; in qua ſignificatione & hodie dicitur quemquam ad Titulum ſive Beneficii ſive Patrimonii ordinari, hoc eſt ad redditus qui ex benefi-

cio, vel patrimonio percipiuntur in ſuſtentationem ordinandi. Titulus item Eccleſiæ hinc dicitur, quod in loco, ubi Templum eſſet erigendum, Crux poneretur in Titulum ad exemplum Jacobi, Geneſis 28. qui erexit lapidem in Titulum.

TITULARIS vide in voce *Patronus*.

THEOTOCOS. a Cœleſtino Papa damnatus eſt Neſtorius, & D. Virgo Θεοτόκος id eſt Deipara dicta; qui illam dicebat tantum Chriſtotocon. Nota quod Θεοτόκος accentu in penultima ſit *Deum pariens*, Θεότοκος accentu in antepenultima *ex Deo natus*.

THYINA ligna ſunt boni odoris. θύα Thya arbor odorifera, vulgo Cedrus dicta.

THRENUS, latine lamentatio, θρηνέω lamentor. Threni compoſiti ſunt ab Hieremia Propheta. *Threnodia* lamentabilis cantus, ᾠδὴ cantus.

THRICHINAS ſecunda brevi, genit. Trichinatis, ſicut Malinas Malinatis, Martyrologium 20. Aprilis: ſanctus Theodorus cognomento Trichinas, ab aſpera cilicii veſte qua tegebatur, τρίχινος σάκκος, piloſus ſaccus, ſive cilicium

(quod

(quod a Cilicibus dicitur, qui il-
lud primo texuerunt) θρὶξ, genit.
τριχὸς pilus.

TRACTUS a trahendo, eo quod
in gemitibus vitam trahamus ob
lapſum primi parentis Adami; de
quo in Officio Septuageſimæ legi
incipit, & Tractus in Miſſa ante
Euangelium cani incipiunt: atque
in luctu funebri Tractus adhibetur,
uti Flandrice dicimus *den sleyp, ofte
treyn vanden Rouvv*.

TRISAGION, latine ter ſanctum;
ita vocatur canticum, *Sanctus, San-
ctus, Sanctus, Dominus Deus Saba-
oth* in Miſſa cani inſtitutum a Xy-
ſto Primo.

TRISTEGA, ſtega eſt proprie
tabulatum navis in quo nautæ am-
bulant. Plautus in Bacchid. *Forte
ut aſſedi in ſtega*. In Arca Noe erant
tria talia tabulata, quæ triſtega
vocantur.

TROCHLEA a trocho denomi-
nata, quæ fune in altum ſubducto,
& ſubito demiſſo vertitur celerri-
me inſtar trochi; uti modo fit
ſupplicium quod dicitur *Stropela-
corde*.

TOBALEA eſt mappa altaris,
ſindonem figurans, quo Chriſti cor-
pus in monumento fuit involu-
tum. Vox Tobalea videtur Teuto-

nica, dicta *dvvaele*, quæ venit a *dvvaelen*, quod eſt errare: quia linteum amplum eſt, quod quaſi per totum Altare errat.

TORNEAMENTA fland. *Tornoyſpelen.* Alexander III. vetuit deteſtabiles Nundinas, quas vulgo Torneamenta vocant, in quibus milites ex condicto convenire ſolent, & temere congredi; unde cædes hominum & animarum ſæpe proveniunt. Incœpta autem fuerant hæc Torneamenta in Germania circa annum *938*.

TOGA dicitur quaſi tega, quod totum hominem tegat: eſt veſtis virilis; uti *Tunica* muliebris, quæ a tuendo dicitur, quod fœminam tueatur, quæ veſtis ad imos defluit uſque pedes.

TUNICELLA vocatur veſtis Subdiaconi, uti *Dalmatica* Diaconi; quarum non eſt uſus in Adventu, niſi Dominica *Gaudete*, & in Quadrageſima, Dominica *Lætare*: quæ Dominicæ denominatæ ſunt a primo verbo Introitus Miſſæ; in quibus tantum organa pulſantur, reliquo tempore Adventus, & Quadrageſimæ non item: ſed diebus ferialibus canitur in albis Epiſtola & Euangelium, reliquis diebus Dominicis cum caſulis minoribus

ab

ab anteriori parte, ad diſtinctionem ſacerdotis celebrantis, ſemiplicatis.

TORCULAR quamvis ab omnibus fere ſecunda producta pronuntietur, tamen corripiendam eſſe indicat verſus: *Non bene Torcular, ſed dicere Torcular aude*. nam a torqueo fit torculum, & torcular, ſicut ſpeculum, & ſpecular, non ſpecùlar, a ſpeculor.

TYPUS, latine figura, uti cum dicimus quod Jonas in ventre Ceti fuerit typus Chriſti in ſepulchro.

TYPHUS, latine fumus, a τύφομαι ſuperbio, quaſi fumus elevor. Gregorius ait in Lect. 2. Noctur. Dominica tertia poſt Pentecoſten: *Aliud eſt quod agitur typho ſuperbiæ, aliud zelo diſciplinæ*. uti vetus editio habet; in nova poſitum eſt *Typo*, ſed perperam. Galli dicunt: *Il at la fumèe dedans ſa teſte*. a Typho nomen habet Typhœus, ſive Typhon Gigas: qui, ut fabulantur Poetæ, typho ſuperbiæ inflatus, Jovem Cœli poſſeſſione dejicere conatus, ab eo fulmine ictus interiit.

V

VESPERÆ dicuntur a Sidere quod Veſper nominatur, quodque decedente ſole oritur. Lucernarium (officium nempe) ab Hieronymo, & Lucernaris Hora a Caſſiano vocatur; quod cum tenebræ ingruerent, & lucernæ accenderentur, preces illæ veſpertinæ perſolvi ſolerent: etiam vocabatur duodecima hora, quæ erat ultima diei. Judæi incipiebant diem veſpere, ſecundum illud Geneſis 1. *Et factum eſt veſpere, & mane dies tertius*. non dicitur mane, & veſpere; quod Eccleſia Catholica adhuc imitatur, incipiendo dies feſtos a primis veſperis. dicitur veſper, ablativo veſpere, vel veſperi; item veſperus, veſpera & veſperum, veſpertinum, & veſpernum. Veſpere quoque uti mane ſubſtantivaliter ſumitur: Hymn. *Largire clarum veſpere, & mane illud ultimum, quod præſtolamur cernui*. Veſperæ in Quadrageſima dicuntur ante refectionem, eo quod antiqui tantum ſemel in diebus jejunii comedebant, idque poſt Veſperas, quæ ſerius ingruentibus tenebris dicebantur: quia nunc, propter fragilitatem humanam,

tam

tam diu non jejunatur, Veſperæ in hujus rei memoriam præmittuntur refectioni. *Veſperæ Siculæ* unde dictæ ſint, vide Notitiam in Martino IV.

VERSUS a vertendo dicitur: unde Verſum cantantes ſe verſus Altare vertunt; ut, ſi forte mens noſtra evagata fuerit, dum Verſum audimus, ad Deum excitemur: hinc finitis Pſalmis Nocturnorum, ante Lectiones dicuntur; ut ſi ex ſeſſione inter canendum pigri facti ſimus, excitemur, & ad Deum per Verſum corpore & animo convertamur. Verſus a Græcis τρόποι & a Durando Tropi vocantur, τρέπειν vertere. canuntur verſiculi ab Infantibus Chori, ut per illorum tenuem & diſtinctam in communi cantu vocem, melius ad converſionem excitemur.

VIGILIÆ. vide notas Baronii ad Martyrologium in Vigilia Epiphaniæ, & S. Laurentii; ubi inter alia ex Ambroſio hæc affert: *Jejunavimus ſabbato, vigilias celebravimus, orationibus pernoctantes inſtitimus &c.* cur autem retento ſolo nomine, ſublatæ ſint ipſæ vigiliæ, ſervatis jejuniis, accipe ex ſancto Auguſtino: *Iſtum tam ſanctum locum, ubi jacet ſancti Martyris corpus, in-*

vaſerat peſtilentia & petulantia, per totam noctem cantabantur nefaria, & a cantantibus ſaltabatur &c. vide in voce *Nocturnus*. Vigiliæ Clericorum fiebant ſingulis noctibus, quando faciebant Officium Nocturnum; Laicorum vero noctibus ante Feſta ſolemnia; quando ipſi ad Eccleſiam etiam de nocte conveniebant, & pridie jejunaverant, ſicut fit nunc in nocte Nativitatis Domini. *Vigiliæ* item vocatur Officium Defunctorum, quod pro defunctis in Chriſto dormientibus a vivis vigilantibus lugubri voce decantatur: & circa cadaver, quamdiu non eſt humatum, in cubili lumen & vigilias adhibere ſolemus: quod flandrice dicimus *Den dooden vvaecken*.

VVITTEN DONDERDAGH ita vocatur apud nos Flandros Feria Quinta Cœnæ Domini: eo quod illo die, cum hactenus a Septuageſima in Officio de tempore adhibitus fuerit color triſtis violaceus, & jam ob inſtitutionem SS. Sacramenti omnia niteant; color lætus candidus adhibeatur. Locus in quo hodie uſque in craſtinum reponitur Chriſti Corpus; abuſive a vulgo ſacrum ſepulchrum appellatur, & non bene pannis nigris adorna-

na-

natur: quia Chriſtus nondum mortuus repræſentatur; ſed quaſi thronus ipſi erigitur, in quo tota ſequenti nocte a Chriſtianis adoratur & honoratur, quando a Judæis maximis opprobriis eſt affectus: ſequenti autem feria ſexta cum mortuus repræſentatur, color niger rite adhibetur.

X

XENODOCHIUM (δοχεῖον receptaculum, ξένος hoſpes) latine hoſpitum receptaculum: ſic *Ergodochium*, flandrice *VVerck-huys*, ἔργον opus. *Noſocomium* ubi ægri curantur, νόσος morbus. *Gerontocomium* ubi ſenes impotentes ſuſtentantur, γέρων ſenex, κομίζω curo.

XENIA ſunt munera quæ dantur hoſpitibus, qui qualitate nobis ſunt ſimiles: *Exenia* quæ dantur potioribus; Flandri vocant *Vereeringhen*, qualia magnorum Principum Legatis offeruntur.

Z

ZETARIUS. Zeta, cujus diminutivum eſt Zetula, locus eſt ubi commode vivitur, ſive habitatur, a græco ζῆν, ita 26.

Mar-

Martii Martyrologium de ſancto Caſtulo: *Qui cum eſſet Zetarius Palatii, & Hoſpes Sanctorum*, id eſt, uti ordinarie dicitur, *Fourier*, latine deſignator Hoſpitiorum. *Diæta* eſt idem fere quod *Zeta*, niſi quod Diæta ad refectionem, Zeta ad habitationem referatur. Diæta venit a διαιτάομαι, quod eſt victus ratione utor: hinc tenere bonam Diætam; & Medicina Diætetica, quæ victus ratione curat morbos. Diæta barbare ponitur pro itinere unius diei: niſi forte ſine diphthongo ſcribatur; ut Dieta a die dicatur; ſed apud bonos Auctores non reperitur.

FINIS.

IN-

INDEX
RERUM.

A

ABagaro Regi Imago Chriſti miſſa. 149
Adventus tempus a quo inſtitutum. 1.
AEram Chriſtianam adhibendi initium. 92
AEre alieno gravati non ordinandi. 64
Affinitas ſpiritualis Patrinorum. 98
Agnus Dei, ejuſq; virtutes. 235
Alberonius Julius Cardinalis. 298
Angelica Salutatio ter in die. 228. 254
Angelorum tria tantum nomina uſurpanda, Michaelis, Gabrielis, & Raphaelis. 115
Anglorum ad fidem converſio. 19. Defectio. 264
Annatarum Initium. 240
Annus Jubilæi. 381. 514
Annus correctus. 275
Antipapæ. 385
Apparitio S. Michaelis Archangeli. 74
Aqua Benedicta. 12
Ariminenſis Conventus. 54

Arme-

Armeni Romanæ Eccleſiæ ſubjecti. 189
Ars Typographica. 258
Auditores Rotæ. 229. 233. 580
Auguſtinus Stefani Epiſcopus Cyzicenus, vulgo Spigacenſis, Vicarius Apoſtolicus. 297
Aureum Pomum cruce decoratum Romani Imperii Inſigne. 163
Auſtriacus Primus Imperator. 211
Autographum Euangelium S. Matthæi inventum. 73. *emptum.* 251

B

BAptiſmus ſolemnis in Paſchate, & Pentecoſte collatus. 22. 59. *Valet etiamſi verba male prolata ſint.* 115
Barbadicus Gregorius *Cardinalis Epiſcopus Patavinus titulo* Venerabilis *inſignitus.* 298
Benedictinæ Congregationes Præcipuæ. 181
Benedictio ſolemnis Fontis baptiſmalis. 22
Benedictio Aquæ. 12. *Frugum.* 7. 40. *Contra Locuſtas.* 137
Benedictus IX. decennis electus Papa. 165
Beneficiorum Eccleſiaſticorum origo. 76. *Beneficia Eccleſiaſtica quibus, & quomodo conferenda.* 193
Berengarius reſipiſcens. 174

Bi-

Biblia Vulgata. 276
Bigami Irregulares. 59.91
Breviarium Romanum emendatum. 91. 274. *In ordinem digeſtum.* 176.283

C

Calendarium Reformatum. 275
Calices primum lignei, mox vitrei, tandem metallici. 24. 26
Camera quid. 70.451
Campanarum Uſus in Eccleſia. 93. *Benedictio, & Nominatio.* 152
Candelabra in Altari. 46. *Candelabrum magnum ante Chorum.* 121
Canonizatio Sanctorum ſolemnis primi. 122. 165. *ſoli Papæ reſervata.* 192. 380
Cantus Pſalmorum in Eccleſia. 28. *Cantus Gregorianus.* 91. *cum organis.* 103.106
Cardinales Canonici Compoſtellani. 180.183
Cardinalis qui ſe ipſe Papam creavit. 245
Cardinalium S. R. E. Tituli. 10. *ſolis Cardinalibus Papa Electio reſervata.* 173. *Cardinales in Conclavi claudendi initium.* 201. 212. *Cardinalium ruber Galerus.* 204. 278. *Rubra veſtis.* 222. 256.
Car-

Cardinales vocabulo Eminentiſſimi *decorati*. 283
Cathedra Epiſcopalis qualis. 27
Cautiones in ſcrinio facere quid. 112
Cereus Paſchalis. 63
Cibus nullus ſuperſtitioſe rejiciendus. 20. 83
Chorepiſcopus. 58. 490
Claudi irregulares. 114
Clerus in Gradus diſtinctus. 15
Clericus ſine ſui Epiſcopi conſenſu non ordinandus. 62. *Comam alere non debet*. 9. 17. *Clericorum Coronæ in capite raſa*. 17. *Clerico publice cauſam agere vetitum*. 52. *item jurare*. 34. *atq. tabernas ſubire*. 62. *Clericus illiteratus non initiandus*. 70. *Clericorum domicilia prope Eccleſias*. 170. *Clericorum fornicantium pœnæ*. 176. *Clericum percutiens excommunicatus*. 185. *Clericis bona poſſidere licet*. 188. *Clericorum degradatio*. 222
Cœleſtinus V. pontificatu ſe abdicat 219
Cœmeteriorum diviſio. 38
Communio ab omnibus in Cœna Domini ſumenda 19. 24. *olim ſub utraque ſpecie*. 38. *ab Hæreticis non accipienda*. 178. *Galliarum Regi ſub utraque ſpecie conceſſa*. 227
Concilium OEcumenicum. 336

Confeſſor olim idem ac Martyr. 21. 46

Confirmatio per manus Epiſcopi conferenda. 27. 44

Conſecratio prima Eccleſiæ. 16. *Conſecratio ſolemnis Eccleſiæ & Altarium.* 47. *Octava Conſecrationis Eccleſiæ celebranda.* 79

Conſecratio Papæ a quo. 49. 107

Conſecratio, & Velatio Monialium. 16

Conſtantinopolis a Turcis capta. 252

Continentia ſacris Ordinibus annexa. 25. 34. 51

Controverſia de Gratia, & Libero Arbitrio ſopita. 243

Coronatio prima Imperatoris per Pontificem. 78. *ultima.* 267

Corporalia ex lino conficienda. 13. 44. 48

Corpore mancus non ordinandus. 60. *eſt irregularis.* 73

Corpus Chriſti ſine ſanguine non conſecrandum. 74

Correctio Hymnorum & Pſalmorum. 283

Chriſma quotannis in Cæna Domini renovandum. 31. *conficiendum a ſolo Epiſcopo.* 47. *in ſingulas Paræcias dividendum.* 102

Cruciatæ. 178. 188. 217

Cruces & Sanctorum Imagines in Templis, in domibus, in viis. 120. *luminibus*

nibus & cultu honorandæ. 120
Crucis ſignum in Sacramentis adhibendum. 124
Crucis Chriſti inventio. 44. Exaltatio. 99. Adoratio. 110
Crux ante Papam geſtanda. 128
Cubicularii. 70
Cupula S. Petri Romæ abſoluta. 277

D

DAlmatica cur lata. 31
Decora, & Nomina Principibus a Papis tributa. 378
Defunctorum memoria in Miſſa. 13. 85. Defunctorum ſodalitium inſtitutum. 154. Defunctorum omnium Fidelium commemoratio. 157. 239
Diaconi Pauperum Curatores. 30
Diœceſium diviſio. 38
Dies Cinerum initium Quadrageſimæ. 90
Differentia in Nomine, & Numero Pontificum. 394
Dignitates Eccleſiaſticæ a Laicis non conferendæ. 176
Dimiſſoriales Litteræ. 60
Dominus Vobiſcum cur à Sacerdotibus dicatur. 6

E

ECcleſiæ Romanæ Primatus. 44
Eccleſiæ cur ita vocatæ. 5. Eccle-

ſiæ

ſiæ fundi & redditus. 27. *Eccleſia Hæres ſcripta*. 43. *Eccleſiæ Prima conſecratio*. 16. *Eccleſia ab Epiſcopo tantum conſecranda*. 72. *Eccleſiæ & Altarium conſecratio ſolemnis*. 47. *Eccleſiæ immunitas*. 98. *Eccleſiæ ſæcula infelicia*. 139. 159. 169. *Eccleſiæ Perſecutiones*. 334

Eccleſiaſtica Beneficia quibus & quomodo conferenda. 193

Eccleſiaſticæ dignitates a Laicis non conferendæ. 176

Electores S. R. Imperii. 158. 205

Epilepticis, etſi convaleſcant, celebrare non licet. 174

Epiſcopalis menſa. 45. & *Cathedra*. 27

Epiſcopatus Novi in Belgio erecti. 272

Epiſcopium, & Patriarchium non expoliandum. 141

Epiſcopi Græci omnes Palliati. 147

Epiſcopi Papienſis Privilegia. 145

Epiſcopus tribus aliis Epiſcopis conſecrandus. 8. *Concionetur coram ſeptem Diaconis*. 10. *Sacrificet coram Sacerdotibus*. 25. *cur dicat* Pax vobis. 6. *a ſolo Papa condemnandus*. 25. *non transferendus ad aliam Eccleſiam niſi ob utilitatem publicam*. 29. *habeat carceres pro clericorum delictis*. 103. *non eligendus niſi triginta annos natus*. 193

Epiſcopus Auguſtinus Stefani Vicarius Apo-

Apoſtolicus. 297
Eremitæ S. Auguſtini ex Eremo in urbes vocati. 206
ad *Euangelium ſtandum ab omnibus.* 60
Euangelii D. Matthæi autographi inventio. 73. *emptio.* 251
Euchariſtia in Eccleſiis ſervanda. 199. *deferenda ad Ægrotos cum lumine & campanula.* 199. *non ſumenda ab Hæreticis.* 178
Eugenii Papæ IV. Epitaphium. 249
Excommunicatio in Cœna Domini. 222

F

Fabula Joannæ Papiſſæ. 128. *unde ortum habet.* 133
Feria quid. 48
Feria quarta Cinerum privilegiata. 232
Fœminis Monaſteria ingredi vetitum. 91
Feſtivitas Feriæ quintæ ſublata. 82. 112
Feſtum S. Petri ad Vincula. 67. *Omnium Sanctorum.* 69. 126. *SS. Corporis Chriſti.* 208. *Transfigurationis Dominicæ.* 254. *SS. Trinitatis.* 229. *Purificationis.* 109. 237. *Nativitatis.* 204. *Viſitationis.* 239. 241. *Conceptionis.* 258. 285. 296. *Præſentationis.* 258. 277. *Aſſumptionis B. Mariæ Virginis.* 58. 128. *Ad*

Ni-

Nives. 53
Flavius Blondus Hiſtoricus. 255
Fons Baptiſmalis. 23
Formoſi Papæ cadaver exhumatum inhumaniter, & degradatum. 139. *abſolutum.* 140. 143
Formula, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. 5

G

Generale Concilium. 336
Gloria Patri *&c. in fine Pſalmorum.* 58
Gradus Ordinum. 42
Græcorum cum Latinis unio ſubdola. 249
Gregorius Barbadicus Card. Epiſcopus Patavinus Venerabilis *titulo inſignitus.* 298
Guelphi, & Gibellini. 203. 501

H

Hebdomada duplicis Feriæ quintæ. 231
Hebdomadæ dies quare Feriæ vocati. 48
Hæreticus ſæculari poteſtate coercendus. 85
Hieroſolyma Infidelibus erepta. 179. *amiſſa.* 196
Hiſpanica Inquiſitio. 261
Homicida Irregularis. 132

Horarum Canonicarum Capitula. 84.
Ordinatio. 176
Horæ Canonicæ quotidie perſolvendæ ab Eccleſiaſticis. 85. *ſub pœna peccati.* 88. *inchoandæ a* ℣. Deus in adjutorium *&c.* 89
Hoſpitalarii Equites. 181
Hoſtia pridie conſecrata ſervanda in diem Paraſceves. 61
Hugonotti e Gallia ejecti. 290
Hymnus Angelicus in Miſſa. 14. *quando omittendus.* 170
Hymnorum, & Pſalmorum correctio. 283

I

Jacobus II. Angliæ Rex regno profugus. 291
Jejunium vetitum die Dominica, & olim feria quinta. 46. *ſervandum olim die ſabbati.* 61
Imagines Sanctorum pictæ. 111. *in templis, in domibus, & in viis ponendæ, & honorandæ.* 120. *Non niſi ſanctorum in Eccleſiis collocandæ.* 283
Imago Chriſti Abagaro Regi miſſa. 149
Immunitas Eccleſiaſtica. 98
Imperator equi Pontificii frænum agens. 130. *Imperatoris non eſt ſynodum convocare, Pontificemque mutare.* 151. *Imperator Papæ Strator, & Dia-*

& Diaconus. 236. eſt Advocatus & Defenſor Eccleſiæ. 163. Imperatorum Primus per Papam coronatus. 78. ultimus. 267. Ex Auſtriacis Imperatoribus Primus qui. 211
Imperatores a Papis decore aliquo inſigniti. 378
Imperii Romani a Græcis ad Latinos translatio. 117. Imperii Romani Electores. 158. 205. Imperii Romani inſigne Pomum Aureum Cruce decoratum. 163
Incenſatio oblatorum. 68
Index Librorum Prohibitorum. 270
Indulgentia Germanis poſt grates Deo in menſa actas bibentibus conceſſa. 200. Item Belgis. 201. Indulgentiæ SS. JESU Nomen colentibus impertita. 229. Nec non ſalutationem Angelicam in horarum pulſatione recitantibus. 264
Inquiſitio Hiſpanica. 261
Inquiſitionis Sacræ Tribunal. 270
Interſtitia Ordinum. 48. 59
Inventio S. Crucis. 44
Joannæ Papiſſæ Fabula. 128. unde orta. 133
Irregularis Bigamus. 59. 91. Claudus. 114. Corpore mancus. 73. Homicida. 132
Jubilæum. 381. 514
Julius Alberonius Cardinalis. 298

L

LAici Presbyterio, ſeu choro excluſi. 128
Lampades, & lumina in Eccleſia. 93
Lanceæ, & Tituli S. Crucis Inventio. 260
Leo Papa III. plures eodem die miſſas celebrat. 123
Librorum prohibitorum Index: 270
Litaniæ ſeu Rogationes. 7. 91. 522
Litaniæ Sanctorum tantum, & B. Mariæ Virginis Lauretanæ in Eccleſia canendæ. 280
Literæ Dimiſſoriales. 60
Literæ Pontificiæ olim cera, nunc plumbo ſignatæ. 121
a Litibus & Conjugiis diebus Quadrageſimæ, & jejunii abſtinendum. 54
Lumina in Eccleſia. 93
Lutheri Libri Romæ combuſti. 263

M

S. MAlachiæ Prophetia de futuris Pontificibus. 188
Manipulus in læva. 48
MARIA Virgo Deipara dicenda. 65
Vide Feſtum.
Martyrum Reliquiæ ſub Altaribus poſitæ. 39. Martyrum ſepeliendi mos. 41. 43.

Martyr idem olim ac Confeſſor. 21. 46

Matrimonium quomodo celebrandum. 10. 19. *Inter conſanguineos vetitum.* 26. 31.

Menſa Epiſcopalis quæ. 45

Miſſa a D. Petro prima celebrata. 1. *Triplex in Nativitate Domini.* 14. *in aliis diebus unica tantum dicenda.* 175. 199. *A jejuno celebranda, nec imperfecta relinquenda.* 18. *olim ſemper cum cantu.* 63. *ſolum in locis ſacris peragenda.* 78. *primis temporibus Eccleſiæ unica tantum ſingulis diebus celebrabatur.* 11. 98. *detecto capite celebranda.* 114

Miſſæ Partes. *Oratio Dominica.* 2. *Canon.* 7. *Dominus vobiſcum.* 5. 9. *Orate Fratres.* 9. 68. *Epiſtola, Euangelium, Qui pridie, Unde & memores.* 11. *Sanctus.* 13. *Memoria Defunctorum.* 13. *Gloria in Excelſis.* 14. *Confiteor.* 28. *Offertorium.* 40. 65. *Symbolum.* 51. *Communicantes.* 58. *Pax Domini, & oſculum Pacis.* 61. 106. *Judica, Introitus, Graduale, Offertorium, Tractus, Communio.* 65. *Incenſatio Oblatorum, Hanc igitur, Sanctum Sacrificium, Benedicamus Domino, Ite miſſa eſt.* 68. *Præfationes.* 74. *Kyrie eleiſon.* 89. *Libera nos.* 90.

Agnus Dei. 109. *Pulſanda campanula ad elevationem Hoſtiæ*. 202. *Euangelium S. Joannis in fine*. 274. *Præparatio ad Miſſam*. 66. *Veſtes Sacræ*. 7. 37. *Lumina*. 93
Miſſæ XXX. S. Gregorii Magni pro Defunctis. 90
Miſſalis Romani emendatio. 274
Mitra Pontificia. 48. 221. 234. 256. 578
Modus olim eligendi ſummum Pontificem. 32. *nunc*. 173. 193. 201. 202
Monachi ad ſacros ordines admiſſi. 59
Monialium Conſecratio, & Velatio. 16
Montes Pietatis. 272
Mulieribus niſi velatis ingreſſus Eccleſiæ interdictus. 3

N

NEpotiſmi *Conſtitutio*. 293
Nomina, & decora Principibus a Papis tributa. 378
Nominis in Pontificibus mutatio a quo primum cœperit. 127. 136. 162. 399
Notarii Primi. 6
Novi orbis detectio. 259. 260

O

OBlationes *Fidelium trifariam dividendæ*. 71
Oecumenici *Nomen ſoli Papæ convenit*.

nit. 87. 94
Oecumenicum Concilium. Vid. Concilium.
Offertorium Miſſæ. 40
Officium B. MARIÆ Virginis prius injunctum Monachis. 173. *poſtea Clericis.* 179
Oratio Dominica miſſæ inſerta. 2. *Oratio publica melior quam privata.* 62. *Oratio* A cunctis. 199
Ordinatio cur olim tantum ſabbato, & menſe Decembri. 72. 73. *Valida etiam ab Epiſcopo ſuſpenſo.* 75. *irrita per ſaltum.* 119
Ordines ſacri quomodo conferendi. 8. *quibus.* 25. 60. *non omnes ſimul.* 59. *Ordinibus ſacris continentia injuncta.* 25. 34. *Ordinum Gradus.* 42. *Interſtitia, & exercitia.* 48
Ordo Equitum Chriſti. 228
Organa in Eccleſia. 103
Origo Beneficiorum Eccleſiaſticorum. 76
Oſcitantes cur ſigno ſe Crucis muniant. 92
Oſculatio Pedum Papæ. 111
Oſculum Pacis. 61. *dandum Populo in miſſa.* 106
Oſtienſis Epiſcopus olim Papæ Conſecrator. 50. 107

P

Palla Linoſtima. 48. 521
Pallii Pontificalis inventor. 4. *dignitas.* 49. *cur ex Lana.* 50. *ubi, & a quibus conficiatur.* 50
Panis, cum cecidit, cur oſculandus. 18. *Panis benedicti erogatio in Eccleſia.* 46
Pantheum primum Idolorum Templum Deo conſecratum. 96. 126
Papalis Mitra ſimplici corona. 48. *duplici.* 221. *triplici.* 234. *gemmis pretioſiſſimis ornata.* 256
Papienſis Epiſcopi privilegia. 145
Paraſceves die adhibenda Hoſtia pridie conſecrata. 61
Paræciarum diviſio. 34
Parvuli baptizandi. 61
Paſcha quo die celebrandum. 1. 16. 23
Patrini. 15. 98
Pax Vobis *cur dicatur ab Epiſcopis.* 6. *Pax Domini, & Pacis oſculum in miſſa.* 61. 106. *Pacis Tabella.* 62. *Pax inter Sacerdotium, & Imperium.* 182
Pænitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta ab Hæreticis non ſumenda. 178
Perſecutiones Eccleſiæ. 334
Petrarcha. 134
Philippus V. ſe Hiſpaniæ regno abdicat. 298

Polo-

Polonorum Tonſura. 164
Polluta ab Hæreticis expianda. 82
Pontifex univerſalis Eccleſiæ Epiſcopus. 13. *quomodo olim eligeretur.* 32. *Pontificis Adoratio.* 78. *Pedum oſculatio.* 111. *Geſtatio.* 116. *Pontifex primus Alpes tranſiens.* 116. *Ante Pontificem crucis delatio.* 128. *Pontifex a Sacerdotibus ſepeliendus.* 130. *In quæſtione* facti, *non autem* juris, *errare poteſt.* 143. *A ſolis Cardinalibus eligendus.* 173. *ita ut duæ ſaltem tertiæ Cardinalium congregatorum partes conveniant.* 193. *Pontifex Romanus ſolus* Oecumenicus 87. 94. *&* Papa *vocandus.* 177
Pontifices quatuor eodem tempore Romæ ſedentes. 167. *Pontifices ab Eccleſia pro ſanctis habiti.* 333. *in Perſecutionibus ſublati.* 334. *ſub quibus Concilia Generalia habita.* 336. *Ex Religioſis Ordinibus aſſumpti.* 340. *Qui & quot ex variis Nationibus.* 345. *Optimæ præ reliquis notæ.* 347. *Inviti, atque renitentes electi.* 349. *Qui conſanguineos non reſpexerunt.* 352. *Nobiliori orti proſapia.* 354. *Tenui nati parentela.* 356. *Notæ non ita bonæ.* 359. *Minus literati.* 362. *Juvenes ad pontificatum aſſumpti.* 363. *Qui aliquot vixerunt dies.* 364. *Qui aliquot menſes.* 365. *Qui plures præ*

cæteris annos. 369. Qui eo pontificatus anno ſunt mortui, quem nomine præferebant. 367. Qui Imperatores coronarunt. 371. decuſque aliquod Principibus tribuerunt. 378. Qui primum Sanctos canonizarunt. 380. Qui annum Jubilæum celebrarunt. 381. Avenione in Galliæ reſidentes. 384. Pſeudopontifices. 385. Diuturnæ ſedis Pontificiæ Vacationes. 388. Qui non ex Cardinalibus electi. 392. Differentia in nomine, & numero Pontificum. 394. Qui primum nomen mutarint. 399. Ante Papatum legitime uxorati. 401. Pontificum Nepotes ad Papatum aſſumpti. 402. Muſici, Medici, Spurii, & Fratres ſibi in Pontificatu ſuccedentes. 404. Omnes hactenus Pontifices verſibus technicis deſcripti. 406

Pontificatus annos in Bullis numerandi initium. 18

Pontificiæ literæ prius cera, nunc plumbo ſignatæ. 121

Pontificii equi frænum Imperator agens. 130

Populus in Eccleſia luſtrali aqua benedicendus. 106

Præcedentia Legati Galli præ Hiſpano. 273

Præparatio ad Miſſam. 66

Presbyteri cur ſic dicti. 5

Pres-

Preſbyterio amoti Laici. 128
Primatus Romanæ Eccleſiæ. 44. 80
Principes a Papis decore aliquo inſignıti. 378
Probatio per ferrum candens exploſa. 137
Proceſſiones. 91. 104
Prophetia de futuris Pontificibus. 188
Protonotarii Apoſtolici Participantes. 6. 572
Pſalmorum in Eccleſia cantus. 28
Pſalmi Pœnitentiales in Quadregeſima. 199
Pſeudopontifices. 385
Puer quinquennis electus Archiepiſcopus Rhemenſis. 146. *decennis Papa.* 165

Q

Quadrageſima 1. 575. *Quadrageſimæ & Jejunii diebus a litibus, & conjugiis abſtinendum.* 54. *Quadrageſimæ initium dies Cinerum.* 90. *privilegiatum.* 232. *Quadrageſimale jejunium non interrumpendum.* 90. 112. *In quadrageſima Pſalmi Pœnitentiales recitandi.* 199
Quatuor anni Tempora. 26
Queſnellianæ Propoſitiones proſcriptæ. 296
Quietiſmus proſcriptus. 291. 292

Red-

R

Redditus Eccleſiæ quomodo diſpenſandi. 27
Reges a Papis decore aliquo inſigniti. 378
Regina Cœli Antiph. 92
Reliquiæ SS. Martyrum Altaribus incluſæ. 39. non movendæ temere. 88 a quibus tangendæ. 98. Earum contactus ſaluber. 152
Res ſacras vendere ſimoniacum. 62. 85
Rogationes ſive Litaniæ. 71. 91
Romanæ Eccleſiæ Primatus. 44. 80
Romanum Imperium a Græcis ad Latinos translatum. 117
Roſa Aurea. 235

S

Sabbati Jejunium olim. 61. Sabbatum cultui B. MARIÆ Virginis ſacrum. 61. 179
Sacerdotes cur Presbyteri appellati. 5. Honorandi. 28. 31. quam ætatem habere olim debebant. 31. Tutores eſſe non poſſunt. 36. poſſunt exercere inferiorum ordinum officia. 77
Sacramenta ſigno crucis adminiſtranda. 124

Salve Regina *Antiph.* 92
Salutatio Angelica ante concionem. 179. *ter in die recitanda.* 228.254
Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem, *Formula.* 5
Sancta Maria Mater Dei &c. *adjecta Salutationi Angelicæ.* 65
Sanctiones Pontificum tamquam ipſius S. Petri. 205
Sanctorum Imagines pictæ. 111. *Sanctorum Canonizatio ſolemnis prima.* 122. 165. *Sanctorum tantum Imagines in locis ſacris ponendæ.* 283
Schiſmata. 385
S. Sebaſtianus tutelaris contra Peſtem. 105
Sedes Epiſcopi qualis. 27
Sedes Prima a nemine judicatur. 43
Sedes Stercoraria. 134
Sedis Apoſtolicæ diuturniſſima Vacatio. 210. *Vacationes ejuſdem diuturniores.* 388
Sedis Romanæ Avenionem translatio. 225. *Romam reductio.* 137
Servi non ordinandi. 62
Servus Servorum Dei, *Titulus Pontificis.* 92
Simonia crimen in Sp. Sanctum. 171
Simoniacum ſacra vendere. 62. 85
Sponſiones de Pontificis morte, & electione anathematizatæ. 279
Spurii non ordinandi. 62
Standum ad Evangelium. 60

Stationes. 91
Stephanus III. primus Alpes tranſit. 216
Sternutantibus cur fauſta precemur. 92
Subdiaconatui continentia injuncta. 91
Succeſſores in Pontificatu non eligendi. 3
Symbolum Nicænum in Miſſa. 51.164
S. Athanaſii. 52
Synodus non ab Imperatore, ſed a Papa indicenda. 151

T

Tabella Pacis. 62
Tabernæ Clericis vetitæ. 62
Talionis pœna. 57
Templarii Equites. 181. *extincti.* 226
Tempora Anni. 26
Tempus Clauſum quid. 55
Teutonici Equites. 197
Theodorus Papa I. de Christi ſanguine Pyrrhum Hæreticum proſcribit. 101
Tiara, ſeu Regnum. 578. *V. Mitra.*
Tituli Eccleſiarum, & Cardinalium. 10. 16
Tonſura Polonorum. 164
Torneamenta vetita. 192
Tintinnabulorum, & Campanarum in Eccleſia uſus. 93
Triſagium in Miſſa. 13. *contra Ter-*

ramo-

ræmotum. 68
Typographica Ars. 258

V

Vacationes ſedis Apoſtolicæ diuturniores. 388
Vaſa ſacra a fœminis non tangenda. 13. *neq; a monialibus.* 18. *Metallica eſſe debent.* 24. 26
Vendere ſacra Simoniacum. 62. 85
Verba conſecrationis in Miſſa ſecreto pronuncianda. 84
Veſperæ Siculæ. 215
Veſtes Sacræ in Miſſa. 7. 37
Vicariatus Sedis Romanæ Vacantis. 100
Vigiliæ ſublatæ retento jejunio. 64
Vincula S. Petri. 67. 152
Unctio S. Criſmatis in vertice Baptizati. 47

Z

Zeno Imperator Conſtantinopolitanus vivus ſepultus. 73

FINIS.

VITTORIO ... BIBLIOTECA ... IN ROMA

NOI REFORMATORI

Dello Studio di Padoa.

HAvendo veduto per la Fede di reviſione, & approbatione del P. *F. Ambroſio Liſotti Inquiſitore di Padoa* nel Libro Intitolato: *Romomanorum Pontificum brevis notitia ec. Auctore Guilielmo Burio Bruxellenſi, con l'aggiunta degli altri Pontefici ſino a Benedetto XIII.* non v' eſſer cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica; e parimente per Atteſtato del Secretario Noſtro, niente contro Prencipi, e buoni coſtumi: concedemo Licenza a *Gio. Manfrè Stampatore*, che poſſi eſſer Stampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Publiche Librarie di Venetia, e di Padoa.

Dat. 23. Marzo 1724.

(Alviſe Piſani K.r Proc. Rif.
(Zan P.o Paſqualigo Rif.

Regiſtrata.

Agoſtino Gadaldini Segr.

MAG 2012535

Digitized by Google

Digitized by Google